DIVUS AUGUSTINUS SCIENTIFICE DIGESTUS

THEOLOGIA ASCETICA

VOLUMEN I ET II

DE ORATIONE

THEOLOGIA DOGMATICA

VOLUMEN I

DE SACRA SCRIPTURA JUXTA DIVUM AUGUSTINUM

(Proxime hoc volumen in lucem prodibit.)

DE ORATIONE

SECUNDUM DIVUM AUGUSTINUM

SUMMOSQUE DOCTORES ECCLESIAE JOANNEM CHRYSOSTOMUM ET THOMAM AQUINATENSEM

ACCURANTE

R. P. EULOGIO NEBREDA

CORDIS MARIAE FILIO

THEOLOGIAE DOGMATICAE EX-PROFESSORE

Vol. I

BILBAO

Ed. ELÉXPURU HNOS.—TYPOGRAPHI S. RITUUM CONGR.

MCMXXII

APPROBATIONES

Nihil obstat.

FRANCISCUS NAVAL, C. M. F.
Censor deputatus.

Imprimatur.

ANTHONIUS NAVAL, C. M. F.
Subdirector Gralis.

Nihil obstat.

ASSUMPTIO A GURRUCHAGA,
Censor.

23 Jul. an. 1919.

Imprimatur.

DR. JOS. LEONTIUS O. DE ZARATE
Gubern. Eccus.

Victor. 24 Jul. an. 1919.

EXCMO · AC · RMO · DOMINO · DOCTORI

FRATRI · ZACARIAE · MARTINEZ · NVÑEZ

DIOECESEOS · OSCENCIS · SAPIENTI

PRAECLARISSIMOQVE · ANTISTITI

AC · NUPERRIME · EPISCOPO · VICTORIENSI · RENVNTIATO

QVI · ORDINIS · AUGUSTINIANI

NOSTRAEQVE · PROVINCIAE · BVRGENSIS

CEV · INSIGNE · DECVS · MERITO · CELEBRATVR

HOC · DE · ORATIONE · OPVS · GRATISSIMVM

IN · MAGNAE · AESTIMATIONIS · ATQVE · ADMIRATIONIS

PIGNVS · OFFERT · DICAT · NVNCVPAT

EVLOGIVS · NEBREDA

C · M · F

PRAEFATIO

Tibi, venerabilis sacerdos, aut ad sacerdotium candidate, hoc qualecumque opus de *Oratione* offero atque dico.

Summopere tibi profuturum jure ac merito arbitrarer, quum nihil aliud illo invenies praeter summorum Ecclesiae Doctorum verba atque sententias. Mihi quidem in eo adornando ingens fuit labor, tibi autem in eo legendo erit absque dubio dulcissimum solatium.

Ne tamen aut ea requiras, aut ea forsitam exspectes, quae dum conscriberem, longe ab animo fuerunt, animadversiones quasdam faciendas peropportunum duxi.

In primo dicam meum propositum, hujusque operis finem. Quod nimirum efficere tendo, hoc est: divum Augustinum in plurimorum commoditatem, qui ob ejus operum amplitudinem magnitudinemque legere nequeunt, scientifice digerere, ac in pauca volumina colligere, ut hac ratione facillime tantum Doctorem sibi familiarem reddant, ejusque doctrinam, quae sive conscienter, sive inconscienter omnium fere catholicorum libros pervasit, apprime calleant.

Quod vero attinet praesens volumen, litterate excerpsi e quibusdam magnis Ecclesiae Patribus ac Doctoribus quae circa orationem sapienter atque eloquenter ipsi tractavere: cum ut facilius ea sacerdos cognoscat, tum etiam quatenus ad fontes veritatis ac pietatis animum convertat, quae e libris nostrorum in fide parentum effluunt copiosissime.

Non parvi duco, quinimmo plurimum aestimo, qui a recentioribus aurei de Oratione tractatus prodierunt; sed mallem ad pristinos fontes sanctorum Patrum iterum atque iterum rediremus, ut sapienter, ut pie, ut solidissime sermonem ad populum haberemus. Non absque ratione scripsit olim latinus poëta:

Nam quamquam sapor est adlata dulcis in unda,
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquae;
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de caelata sumere lance juvat.

Doctrina libri hujus potissimum est augustiniana: quidquid Doctor Hipponensis de Oratione egregie scripsit, totum aut ferme ex integro hic reperies.

Accedit praeterea doctrina summorum Doctorum Joannis Chrysostomi et Thomae Aquinatensis, qui merito censentur veluti duo Ecclesiae lumina. In ceteris autem voluminibus, quae Deo adjuvante prodibunt, doctrina erit augustiniana tantum cum adnotationibus e Magistro angelico desumptis.

Quod attinet hujus operis dispositionem, animadvertendum est, **nexum partium et sententiarum haud ese verbalem, externum, materialem; sed logicum, internum, organicum,** ut ita dicam, ea potissimum ratione, quia ad litteram propositiones desumptae sunt, ideoque res agebatur impossibilis discretione. Nihilominus sensum plenum ac perspicuum semper habent, possentque facili calamo, aliquibus immutatis, etiam materialiter cohaerere.

Quare fortassis diceret quispiam; nonne opportunius ac melius fuisset totam propositionem seu materiam in unum corpus redigi, proprioque stylo apte componi?—Nullo, inquam, modo. Primum quidem, quoniam hoc esset contra meum propositum; deinde vero, quia tunc librorum nume-

rus, haud tamen excellentia augeretur: postremo, quae ratio est princeps, quoniam tunc nec magni cordis Augustini pulsus sentires, nec auream Chrysostomi eloquentiam perciperes, nec angelici Doctoris summum ingenium recognosceres.

Jam toto animo exoptarem, ut hos egregios Doctores ac Magistros diurna nocturnaque versaremur manu.

Quod ego feci, potes et ipse praestantius facere; iter stravi, hos duces sequere tuto, nec tuus sermo erit sententiis vacuus ac verbis refertus.

Perge modo, et qua te ducit via, dirige gressum.

E. Nebreda, C. M. F.

MONITUM

Editiones, quibus ad hoc volumen parandum usi sumus, fuerunt: pro divo Augustino, editio Caillau, apud Parent-Desbarres, Parisiis 1839, 41 vol.; pro sancto Jo. Chrysostomo, editio Migne; pro angelico autem Doctore, editio Vives.

Quod attinet sacrae Scripturae citationes, noluimus immutare textus, sed eos reliquimus, prouti jacent in operibus nostrorum Doctorum. Igitur qui authentice illos allegare voluerit, editionem Vulgatam requirat.

Postremo animadvertimus opus in duo volumina esse dispartitum, commoditatis legentium causa.

INDEX ANALITICUS

PAG.

Approbationes IV
Operis nuncupatio.. V
Praefatio.. VII

CAPUT I. De Orationis natura et fundamento.

Summa: 1-2. *Notio orationis.*—3. *Partes orationis.*—4-6. *Divisio orationis.*—7. *Ejus distinctio a gratulatione.*—8. *Jaculatoriae.*—9-12. *Oratio donum divinum.*—13-18. *Orationis fundamenta* 5-26

APPENDIX AD CAPUT I

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 19. *Notio orationis.*—20-21. *Excellentiae orationis.* —22-26. *Oratio interna, gemitus cordis, gratiarum actio.* —27-34. *Duae de precatione homiliae*................. 26-46

CAPUT II. Christus orationis Magister atque exemplar.

Summa: 35-36. *Christus orationis doctor.*—37-38. *Christus ut Deus oratur, ut homo orat.*—39. *Nullum dedecus Christo ex ejus oratione.*—40-46. *Unio Christi orantis cum suis membris.*—46-47. *Oravit saepius in terra.*—48-49. *Oravit in cruce pro inimicis.*—50-51. *Orat in caelo.*—52. *Aliquando nec in caelo jam Christus orabit.*—53-55. *Omnia per Christum a Deo petere debemus.*—56. *Christus ipse invocandus*.................................. 43-99

APPENDIX AD CAPUT II

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

PAG.

Summa: 57. *Christus magister orationis.*—58. *Christus non orat ut Deus, sed exaudit.*—59-60. *Christus ut homo non orat ex indigentia, sed ex condescensione.*—61. *Christus oravit in horto olivarum et in cruce*.................... 99-110

CAPUT III. De necessitate orationis ex parte Dei: quare scilicet velit Deus homines orare, cum ipse noscat necessitates et preces nostras.

Summa: 62-67. *Deus vult nos orare et praecipit,* a) *non ut ei manifestemus quod ignorat;* b) *sed ut ejus praescientia verificetur;* c) *ne ejus dona vilescant;* d) *ut cor nostrum ad ipsa recipienda capacius fiat;* e) *ut nos exerceat et merita accrescant*.................................. 111-121

APPENDIX AD CAPUT III

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 68-69. *Deus cupit ut homines ad ipsum confugiant.* 121-123

CAPUT IV. De necessitate orationis ex parte hominis.

Summa: 70. *Necessitas orationis ex praecepto.*—71-72. *Ex indigentia, et primum ad fidem habendam.*—73-76. *Ad veritatem capessendam.*—77-78. *Ad caritatem obtinendam et augendam.*—79-82. *Ad vitam et perfectionem christianam.*—83-86. *Ad bene agendum et servanda Dei praecepta* 125-185

CAPUT V. De necessitate orationis ex parte hominis (prosecutio).

Summa: 87. *Necessitas orationis ad virtutes acquirendas, et primo ad obedientiam.*—88. *Ad virtutem continentiae ge-*

PAG.

neratim sumptae.—89-91. *Ad continentiam proprie dictam.*—92. *Ad virginitatem servandam.*—93-96. *Ad perseverantiam tum bene agendi, tum finalem.*—97-98. *Ad hominum correptionem*.............................. 187-227

CAPUT VI. De necessitate orationis ex parte hominis (conclusio).

Summa: 101-103. *Necessitas orationis ad hostes, cum visibiles, tum invisibiles rejiciendos.*—104-106. *Ad tentationes superandas.*—107-109. *Ad concupiscentias refrenandas et spirituales languores sanandos.*—110-115. *Ad vitanda peccata.*—116-117. *Ad linguam domandam.*—118-119. *Ad solatium et juvamen in tribulationibus et tristitiis.*—120. *Ad quaecumque mala procul avertenda* 229-275

APPENDIX AD CAPUT VI

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 121. *Oratio magnum telum adversus tentationes.*—122-123. *Invocandus Deus in tribulationibus.*—124. *Ad daemonem vincendum.*—125. *Utilitas orationis ad omnia.* 276-288

CAPUT VII. De orationis seu petitionis objecto.

Summa: 126. *Duplicis generis bona: aeterna et temporalia.*—127-134. *Praecipuum petitionis objectum Deus et vita aeterna.*—135. *Petenda etiam bona interiora.*—136. *Bona temporalia dantur et bonis et malis*.................... 298-326

APPENDIX AD CAPUT VII

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 137-138. *Petenda quae justa sunt. Non bona materialia. Omnium bonorum dispensatio Deo committenda*.. 327-331

CAPUT VIII. De Subjectis orantibus.

PAG.

Summa: 139. *Qua ratione Spiritus sanctus oret.*—140-141. *Angeli offerunt Deo orationes nostras.*—142-143. *Orat Christi Ecclesia.*—144-145. *Extra Ecclesiam catholicam nemo exauditur ad vitam aeternam.*—146-147. *Fit satis objectionibus.*—148. *Sancti in caelo orant pro nobis.*—149. *Multum in speciali valet intercessio S. Stephani.*—150. *Quantum valeat oratio sanctorum in terra degentium.*—151. *Sacerdotes orare debent.*—152-154. *Religiosi ex ipso statu orationi incumbere debent.*—155. *Concionatores orare debent.*—156. *Oratio divi Augustini post concionem.*—157-158. *Orare debent qui studiis incumbunt.*—159. *Peccatores ex misericordia exaudiuntur.*—160. *Sacerdos orans pro populo, quamvis peccator, exauditur.*—161. *Omnes homines cujuslibet condicionis orare debent.*—162. *Christiani imperatores orare debent*............. 333-400

APPENDIX AD CAPUT VIII

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 164. *Angeli orant pro nobis.*—165. *Ecclesia efficaciter orat.*—166. *Sacerdos orare debet.*—167. *Plurimum valet intercessio sanctorum.*—168. *Vis orationis sanctorum in terra degentium.*—169. *Precibus sanctorum non omnia relinquenda.*—170. *Vita monachorum angelica est atque orationis.*—171. *Omnes orare debent.*—172. *Mulieres facilius et vehementius orant*......................... 401-417

CAPUT IX. De subjectis pro quibus est orandum.

Summa: 173. *Pro omnibus generatim orare debemus.*—174-175. *Pro praelatis.*—176. *Pro concionatoribus.*—177. *Pro regibus.*—178-179. *Pro inimicis et persecutoribus.*—180. *Exemplum insigne sancti Stephani martyris.*—181. *Pro peccatoribus.*—182. *Pro infidelibus et haereticis.*—183.

PAG.

Brevis divi Augustini oratio pro haereticis.—184-186. *Possumus ac debemus pro defunctis exorare.*—187. *Non orandum pro damnatis, sive angelis sive hominibus*..... 419-471

APPENDIX AD CAPUT IX

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 188. *Orandum est pro praelatis.*—189. *Pro regibus seu pro humanis potestatibus.*—190. *Pro cognatis.*—191-192. *Pro inimicis.*—193-194. *Pro defunctis.*—195. *Pro omnibus orare debemus*.............................. 471-498

INDEX RERUM ALPHABETICUS.......................... 499-509

DE ORATIONE

SECUNDUM DIVUM AUGUSTINUM

CAPUT I. De Orationis natura et fundamento.

Summa: 1-2. *Notio orationis.*—3. *Partes orationis.*—4-6. *Divisio orationis.*—7. *Ejus distinctio a gratulatione.*—8. *Jaculatoriae.*—9-12. *Oratio donum divinum.*—13-18. *Orationis fundamenta.*

1.—Notio orationis propria. Impletum est die Veneris, quod praefiguratum est, et juxta quod Christus dixit in cruce pendens: *Consummatum est* (Jo. XIX, 30). Hic libet demorari, et infirmitatem nostram exhortari. Jam plumbo iniquitatis liquefacto, et velut aurum in fornace, confessione ceterisque medicamentis et purgamentis, obviam Christo florentes properemus, et nudi omni vitio et peccato, nudam Christi crucem ascendere studeamus. In ipsa namque pendet latitudo discretionis; latet in longitudine tunica talaris Joseph, perseverantiae et sanctificationis.

Quis igitur, fratres, ad hanc non accedet? Orare namque debemus, ut ad hanc crucem ascendere valeamus. *Oratio* namque *est mentis ad Deum affectuosa intentio.*

Sine intermissione orare debemus, ait Apostolus (I Thes. V, 17), id est, semper Deum in corde desiderare debemus [1].

Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater (Rom. VIII, 15). Dominus timetur, pater amatur. Clamor iste cordis est, non faucium, non labiorum: intus sonat, auribus Dei sonat. Clauso ore, labiisque immotis, Susanna ista voce clamabat (Dan. XIII). Cor clamet: *Pater noster, qui es in caelis* [2].

Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, Deo loqueris [3].

2.—**Notio orationis metaphorica.** Orandum semper est, si cupimus exaudiri; est enim oratio avis velocissima, quae etiam proprium caelum penetrat, et attingit et volat usque ad pedes Domini, nec ab eo recedit quousque exaudita fuerit. Oremus ergo singuli, oremus universi. Orare docere debetis pueros, filios et puellas, et quid orare et quid in oratione petere debeant. Oremus et nos universi, ut mundati per abstinentiam jejunio-

---

[1] Serm. IX de Passione, n. 3. Circa hujusmodi definitionem divus Thomas animadvertit sequentia: Dupliciter affectus dirigitur in Deum: *a)* sicut in objectum, et ita est amor Dei; *b)* ut in illum quo affectus mentis desiderantis explendus est; hoc modo est oratio. Unde definitio haec Augustini materialis est, secundum quod per rem directam significatur ipsa directio; sicut etiam quandoque per fidem significatur res credita, nimirum fides objectiva (IV Dist. XV, Q. IV, a. 1).

[2] Serm. 156, n. 15 (a. 13).

[3] Enarratio in Psal. 85, n. 7. **Doctrina divi Thomae:** Oratio est actus elicitus virtutis Religionis, quae vicissim justitiae pars est potentialis (2. 2. q. 80). Ratio est, quia per orationem homo Deo reverentiam exhibet, sese ei subjiciendo, profitendoque se eo indigere velut auctore suorum bonorum (2. 2. q. 83, a. 3, et ad 3). Hoc autem praestat religio.

Quare post devotionem oratio est praecipua inter actus religionis; per eam nimirum religio movet intellectum hominis ad Deum (2. 2. q. 83, a. 3 ad 1 et 3).

rum digne accedamus ad mysterium angelorum, ut tandem trahat nos ad consortium piorum Jesus Christus Dominus noster [1].

3.—Partes orationis. Illa plane difficillime discernuntur, ubi ad Timotheum scribens Apostolus, ait: *Obsecro itaque primum omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones* (1 Tim. II, 1).

Precationem et deprecationem multi nostri hoc idem putant, et hoc cotidiano usu jam omnino praevaluit. Qui autem distinctius latine locuti sunt, precationibus utebantur in optandis bonis; deprecationibus vero in devitandis malis.

Precari enim dicebant esse precando bona optare; imprecari mala, quod vulgo jam dicitur, maledicere; deprecari autem, mala precando depellere.

Immediate tamen est actus rationis practicae, quatenus ratio petit aliquid fieri a superiore per modum cujusdam ordinationis. Ordinatio autem est actus rationis (2. 2. q. 83, a. 1).

Sed imperari etiam potest a caritate duplici ratione; scilicet *ex parte objecti petendi*, quatenus petenda est unio cum Deo, quod pertinet ad caritatem; et *ex parte petentis*, quatenus homo accedit mente ad Deum (2. 2. q. 83, a. 1 as 2).

Variae orationis definitiones. Ascensus mentis in Deum. Multipliciter elevatur anima in Deum: *a)* ad ipsum cognoscendum ratione; *b)* ad admirandum celsitudinem potestatis ipsius, et haec est *elevatio fidei*; *c)* ad tendendum in excellentiam aeternae beatitudinis, et haec est *elevatio spei*; *d)* ad inhaerendum divinae bonitati et sanctitati, et haec est *elevatio caritatis*; *e)* ad imitandum divinam justitiam in opere, et haec est *elevatio justitiae*; *f)* denique ascendit ad Deum, prout in eo auxilium quaerit, et hic est *ascensus orationis* (Prooem. in Psalmos; IV Sent. Dist. XV, q. IV, a. 1).

Petitio decentium a Deo. Haec definitio, quae est sancti Joannis Damasceni, verissime essentiam orationis declarat (IV. Dist. XV, q. IV, a. I, q. 3). Petitio decentium a Deo cum quadam mentis elevatione. Actus rationis per quem aliquis superiorem deprecatur (2. 2. q. 83, a. 10). Quaedam annuntiatio desiderii ad eum per quem explendum exspectatur (IV, Dist. IV, a. 1, q. 1 ad 1). Quaedam explicatio voluntatis ad Deum, ut eam impleat (3. q. 21, a. 1).

[1] Serm. 27 in Quadrages. n. 9.

Pro interpellationibus alii legunt postulationes. Sed profecto advertis et nosti aliud esse interpellare, aliud postulare. Non enim solemus dicere, postulant interpellaturi, sed interpellant postulaturi; verumtamen ex vicinitate verbum usurpatum, cui propinquitas ipsa impetrat intellectum, non est velut censoria notatione culpandum. Nam et de ipso Domino Jesu Christo dictum est, quod *interpellat pro nobis* (Haebr. VII, 25). Numquidnam interpellat et non etiam postulat? Imo vero quia postulat, pro eo positum est, interpellat. Evidenter quippe alibi de eo dicitur: *Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est exoratio pro peccatis nostris* (1 Jo. II, 1).

Cum igitur et qui precatur oret, et qui orat precetur, et qui interpellat Deum, ad hoc interpellet, ut oret et precetur; quid sibi vult quod ista ita posuit Apostolus, ut non sit eorum negligenda distinctio?

Excepto itaque nomine generali, et salva loquendi consuetudine, secundum quam sive dicas precationem, sive orationem, sive interpellationem, vel postulationem, una eademque res intelligitur; aliqua etiam singulorum istorum proprietas inquirenda est; sed ad eam liquido pervenire difficile est. Multa quippe hinc dici possunt, quae improbanda non sint.

Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut *precationes* accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: *orationes* cum benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit [1].

---

[1] Epist. 149 ad Paulin. nn. 12-16 (a. 59). En modo **doctrinam**

4.—Divisio orationis. *Ante te est omne desiderium meum* (Ps. 38, 10). Non enim ante homines, qui cor videre non possunt, sed ante te est omne desiderium meum. Sit desiderium tuum ante illum, *et Pater qui videt in abscondito, reddet tibi* (Mt. VI, 6).

Ipsum enim desiderium tuum oratio tua est; et si continuum desiderium, continua oratio. Non enim frustra dixit Apostolus: *sine intermissione orate* (1 Thess. V, 7).

Nunquid sine intermissione genuflectimus, corpus prosternimus aut manus levamus, ut dicat sine intermissione orate?

Aut si sic dicimus nos orare, hoc puto, sine intermissione non possumus facere.

---

divi Thomae. *Partes orationis* sunt aut *integrales,* quae nempe ad completam orationem requiruntur; vel *subjectivae,* secundum diversitatem eorum quae petuntur, vel secundum diversum modum petendi (IV, Dist. XV, q. IV, a. 3, q. 1). Enumerantur a divo Paulo, atque utramque distinctionem habent adjunctam. Obsecro, inquit, primum omnium, fieri obsecrationes, orationes postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.

Quatuor igitur veluti partes orationem integrantes recensentur: *a)* ascensus mentis in Deum, quae est *oratio,* prout contra alia dividitur (2. 2. q. 83, a. 17 ad 2); *b) petitio,* quae significatur nomine postulationis; haec praeterea videtur importare determinatam petitionem, et quamdam protensionem desiderii in id quod petitur (IV, Dist. XV, q. IV, a. 3, q. 1 ad 3); *c)* causa quare debet petenti gratia concedi; haec non sunt merita propria, sed misericordia seu benignitas et sanctitas Dei, propter quam petimus exaudiri: et ad hoc pertinet *obsecratio,* quae est adjuratio et contestatio per sacra; sicut, *per passionem et crucem tuam libera nos, Domine*: *d)* ratio impetrandi ex parte petentis est *gratiarum actio,* quia de acceptis beneficiis gratias agentes, meremur accipere potiora (2. 2. q. 83, a. 17). Quare in gratiarum actione consummatur oratio, ut sequenti orationi aditus pateat (IV, Dist. XV, q. IV, a. 3, q. 1).

Unde iste modus orandi est in Ecclesia Dei: *Omnipotens sempiterne Deus*; ecce ascensus mentis, qui est oratio: *qui dedisti Ecclesiae tale beneficium,* ecce gratiarum actio: *praesta,* quaesumus, ecce postulatio: *per Dominum,* etc., ecce obsecratio. Similiter in Missa est obsecratio usque ad consecrationem corporis et sanguinis, quia in eis est

Est et alia interior sine intermissione oratio, quae est desiderium. Quidquid aliud agas, si desideras illud sabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum continua vox tua est.

Tacebis si amare destiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum est: *quoniam abundabit inquitas, refrigescet caritas multorum* (Mt. XXIV, 12). Frigus caritatis silentium cordis est; flagrantia caritatis desiderium cordis est. Si semper manet caritas, semper clamas; si semper

---

commemoratio sacrorum, ex quibus est fiducia impetrandi: in mysterio consecrationis est oratio, quia meditatio eorum quae Christus agit; in aliis vero usque ad communionem est postulatio pro vivis et mortuis, et pro se; in fine autem est gratiarum actio (In Epit. 1 ad Timoth. 2, lect. 1).

Exordium orationis. Sicut oratio rethorica habet exordium partem sui, ita et oratio ad Deum fusa; unde et introitus in Missa cantatur. Sed hoc interest, quia in oratione rethorica exordium ponitur propter illos ad quos oratio fit, ut benevoli, dociles vel attenti reddantur; sed in oratione de qua loquimur, exordium requiritur quandoque ad excitandum orantis desiderium ad devote petendum.

In exordio autem quod ad benevolentiam captandam inducitur, quattuor modis secundum Tullium proceditur (Libr. I Reth.).

Quia captatur benevolentia ex persona judicis, dum laudatur; vel ex negotio, dum ejus dignitas ostenditur; vel ex persona petentis, sicut dum ostendit meritum ejus in eos quos alloquitur; vel ex persona adversariorum, dum contra eos audientium animos concitantur.

In oratione autem quam ad Deum fundimus, pro nobis tantum intercedimus, non ut alii offensam incurrant. Negotium etiam pro quo oramus, ipse Deus est, ad quem sunt omnia desideria nostra ordinanda.

Unde dupliciter orantis affectus ad devotionem quasi quodam exordio excitatur; scilicet ex parte Dei, dum ipsum laudamus; et ex parte nostra, dum nostram infirmitatem recogitamus; et quantum ad primum potest laus Dei considerari velut orationis pars: et quantum ad secundum supplicatio, quae est humilis et devota precatio; in qua etiam potest includi negotium, pro quo oramus, in quantum ex necessitate, quae nos impellit ad orandum, spiritus noster humiliatur. Postulatio autem ad progressum orationis pertinet.

Advertendum denique est, laudem Dei posse considerari veluti partem integrantem et complementariam orationis (IV, Dist. XV, q. IV, a. 3, q. 2, et ad 2).

clamas, semper desideras; si desideras, requiem recordaris [1].

5.—Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silente corporis voce, alium quemlibet hominem potest latere, non Deum. Sive ergo cum voce carnis, quando id opus est, sive cum silentio ad Deum, cum oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio, quae cum est in oratione magnum expromit desiderantis et petentis affectum. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. Tales orationes rarae sunt multis, crebrae autem paucis, omnes vero utrum cuiquam, nescio. Talem suam commemorat orationem, qui cantat hunc psalmum, dicens: *clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine* [2].

6.—*Voce mea ad Dominum clamavi* (Ps. III, 5), id est non corporis voce, quae cum strepitu verberati aeris promitur; sed voce cordis, quae hominibus silet, Deo autem sicut clamor sonat.

---

[1] Enar. in Ps. 37, n. 14.

[2] Enar. in Psalm. 118, Serm. 29, n. 1. Dicit divus Thomas: oratio aliquando dicitur desiderium, vel quia desiderium est causa petendi, cum petitio quodammodo sit desiderii interpres, vel hoc dicitur ad ostendendum exauditionis velocitatem, quia scilicet dum adhuc aliquid in desiderio pauperum est, Deus exaudit, antequam orationem proponant, secundum illud Is. LXV, 24: *eritque antequam clament, ego exaudiam eos* (2, 2. q. 83, a. 1, ad 1). *Desiderium cordis tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum* (Ps. XX, 2). Causa gaudii est impletio desiderii, secundum Prov.: *desiderium si completur, delectat animam* (XIII, 19). Sicut se habet desiderium ad gaudium sic motus ad quietem, ad quam per motum pervenitur. Unde primo ponitur impletio desiderii. Deinde ponitur in quibus desiderium implevit, ibi, *quoniam praevenisti.*

Est autem duplex desiderium: unum quod est tantum in corde,

Qua voce Susanna exaudita est (Dan. XIII, 44); et de qua voce ipse Dominus praecipit, ut in cubiculis clausis, id est, in secretis cordis sine strepitu oretur (Mt. VI, 6).

Nec facile quisquam dixerit hac voce minus orari, si nullus verborum sonus reddatur ex corpore; quoniam et silentes cum in cordibus oramus, si alienae ab affectu orantis cogitationes intercurrant, nondum dici potest voce mea ad Dominum clamavi. Neque hoc recte dicitur, nisi eum sola anima, nihil carnis nihilque carnalium intentionum in oratione attrahens, loquitur Domino ubi solus audit. Clamor autem etiam iste dicitur propter vim ipsius intentionis [1].

Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum (Ps. IV, 4). Hic nos admoneri credo, ut magna intentione cor-

---

aliud quod exprimitur ore: et utrumque impletur, quia Deus antequam oretur, exaudit. Quantum ad primum dicit, desiderium ejus tribuisti ei. Quantum ad secundum, dicit, Et voluntate labiorum ejus, id est, quam expressit per labia: non fraudasti eum, quia exaudisti eum.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Hic ponit in quibus impletur desiderium tum cordis, tum orationis, quod idem est quod desiderium labiorum; et ideo primo ponit beneficium spirituale interius, quod est beneficium gratiae; et quantum ad hoc dicit, quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Benedicere est bonum dicere; et dicere Dei est ejus facere. Unde in benedictione Dei intelligitur infusio bonitatis, quae est dulcis benedictio (Expos. in Ps. 20, n. 2).

Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor (Ps. 29, 6). Orat pro amotione mali et pro assecutione boni. Dicit ad te Domine clamabo, ut clamor intelligatur oratio quae fit ad remotionem mali, in Chisto passionis, in peccatore peccati, in homine adversitatis.

Et ad Deum meum deprecabor. Deprecatio est propter bonum dandum: Christo scilicet gloriam, peccatori gratiam, homini afflicto prosperitatem. Vel clamur refertur ad afflictionem cordis, deprecatio ad assiduitatem orationis, juxta illud Jac.: *multum valet deprecatio justi assidua* (Expos. in Ps. 29, n. 6).

In alio loco idem s. Doctor scribit: Deprecatio proprie est pro removendis malis (Expos. Ps. 6, n. 6).

[1] Enar. in Psalm. 3, n. 4.

dis, id est, interno et incorporeo clamore auxilium imploremus Dei. Quoniam sicut gratulandum est de illuminatione in hac vita, ita orandum est pro requie post hanc vitam. Quapropter aut ex persona fidelis evangelizantis, aut ex ipsius Domini sic accipiendum est, ac si dictum sit: *Dominus exaudiet vos, dum clamaveritis ad eum* [1].

7.—Ejus distinctio a gratulatione. Docet et nos aliquid cotidiana oratio salutis nostrae, *sanctificetur nomen tuum* (Mt. VI, 9); cotidie petimus, cotidie rogamus ut fiat.

---

[1] Enar. in Ps. IV, n. 5. **Doctrina divi Thomae.**

Divisio orationis. Oratio est *singularis* seu *privata*, quam quisque pro se facit, seu quae offertur a singulari persona cujusque, sive pro se sive pro aliis orantis: *communis* seu *publica*, quae per ministros Ecclesiae in persona totius fidelis populi Deo offertur. Haec necessario *vocalis* est.

Privata aut *vocalis* aut *mentalis* esse potest (2. 2. q. 83, a. 12; IV, Dist. XV, q. IV, a. 2) et sicut dicit D. Thomas, voce et sine voce fieri potest, secundum quod magis orantis animo suppetit (IV, Dist XV, q. IV, a. 2).

Utilitas orationis vocalis. Vox orationi adjungitur propter quattuor: *a)* ut homo excitet seipsum verbis ad devote orandum; *b)* ut intentionem custodiat, ne evagetur, magis enim tenetur ad unum, si verba etiam orantis affectui conjunguntur; *c)* ex vehementia devotionis in orante vox sequitur; *d)* propter debitum justitiae, quia Deo cui reverentia exhibetur, non solum mente, sed etiam corpore serviendum est (IV, Dist. XV, q. IV, a. 2, q. 1; 2. 2. q. 83, a. 12 et ad 1 et 2).

Adjungitur vox orationi privatae ad excitandam interiorem devotionem, qua mens orantis elevetur in Deum; quia per exteriora signa sive vocum, sive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectionem.

Et ideo in singulari oratione tantum est vocibus et hujusmodi signis utendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem. Si vero mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est a talibus cessandum; quod praecipue contingit in his quorum mens sine hujusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata (2. 2. q. 83, a. 12).

Hymnus est laus Dei cum cantico. *Canticum* autem exultatio mentis de aeternis habita, prorrumpens in vocem. *Soliloquium* est colloquutio hominis cum Deo singulariter vel secum tantum, quia hoc convenit laudanti et oranti. Psalmorum finis est oratio quae est elevatio mentis in Deum (Prooem. in Psalmos).

Si nos quisquam interroget, quid est quod petis, ut sanctificetur nomen Dei? Aliquando enim sanctum non est, ut modo sanctificetur? Et tamen nisi vellemus fieri, non peteremus ut fieret.

Alia est enim gratulatio, alia oratio; gratulamur ex eo quod est, oramus ut sit quod nondum est.

Quid est ergo sanctificetur nomen tuum? Et intelligimus quod hic dictum est: *Domine Deus meus, magnificatus es nimis* (Ps. 103, 2). Hoc est sanctificetur nomen tuum; sanctum sit apud homines nomen tuum.

Sanctum est enim semper nomen tuum, sed quibusdam immundis nondum est sanctum nomen tuum... Quid ergo rogamus, sanctificetur nomen tuum? Ut illis hominibus, qui per infidelitatem nondum habent, nomen Dei sanctum sit, quibus nondum est ille sanctus, qui per se et in se, et in sanctis suis sanctus est.

Rogamus pro genere humano, rogamus pro orbe terrarum, pro omnibus gentibus, cotidie sedentibus et disputantibus, quia non est rectus Deus, et non recte judicat Deus, ut aliquando ipsi se corrigant, et rectum cor ad illius rectitudinem ducant; et adhaerentes ei, directi ad rectum, non jam vituperent, sed placeat rectis rectus; quia, *quam bonus Deus Israel, sed rectis corde* (Ps. 72, 2) [1].

8.—**Jaculatoriae.** *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei* (Ps. 43, 4). Ad te perveniat oratio mea, ex desiderio aeternorum tuorum beneficiorum excussa et jaculata ad aures tuas emitto eam, adjuva eam ut perveniat, ne deficiat in itinere medio, et quasi collapsa corruat. Sed etsi non mihi eveniunt modo bona quae postulo, securus sum tamen quia postea venient [2].

---

1 Enar. in Ps. 103, Serm. I, n. 3.

2 Enar. in Ps. 53, n. 5.

Ora brevissime ac perfectissime quantum potes. Deus semper idem, noverim te, noverim me. Oratum est [1].

Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo *jaculatas,* ne illa vigilanter erecta, quae oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio, ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest; ita si perduraverit, non cito esse rumpendam.

Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis.

Multum autem precari est ad eum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo et gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per Verbum condidit, et humana verba non quaerit [2].

9.—**Oratio est donum divinum.** Si dixerimus meritum praecedere orationis, ut donum gratiae consequatur, impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet a se ipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur; verumtamen ne saltem orationis putarentur praecedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiae munera reperitur. *Quidquid enim*

---

[1] Soliloq. libr. 2, cap. 1.

[2] Epist. 130 ad Probam., n. 20, (a. 121).

oremus, ait Doctor gentium, *sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. VIII, 26).

Quid est autem interpellat, nisi interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est interpellare gemitibus. Nullius autem rei esse indigentem fas est credere Spiritum sanctum. Sed ita dictum est interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectus; sicut illud in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Mt. X, 20).

Neque enim et hoc ita fit de nobis tamquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit [1].

Nam non esse intelligendum spiritum nostrum, de quo dictum est, interpellat gemitibus inenarrabilibus, sed Spiritum sanctum, quo nostra infirmitas adjuvatur, satis ipse demonstrat Apostolus: inde enim coepit; *Spiritus,* inquit, *adjuvat infirmitatem nostram* (Rom. VIII, 26); deinde ita subjunxit; quid enim oremus sicut oportet, nescimus, et cetera. De hoc quippe Spiritu alibi dicit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba, Pater* (Ib. 15). Ecce hic non dixit quod ipse Spiritus clamet orando; sed in quo clamamus Abba, Pater.

Alio tamen loco ait: *Quoniam filii Dei estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater* (Gal. IV, 6). Non hic ait: in quo clamamus, sed ipsum Spiritum clamantem dicere maluit, quo efficitur ut cla-

[1] Epist. 194 ad Sixtum Rom., n. 16, (a. 105).

memus; sicut sunt illa: ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus, et Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis [1].

10.—Sicut ergo nemo recte sapit, recte intelligit, recto consilio ac fortitudine praevalet, nemo scienter pius est, vel pie sciens, nemo timore casto Deum timet, nisi acceperit Spiritum sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis et timoris Dei; nec habet quisquam virtutem veram, caritatem sinceram, continentiam religiosam, nisi per Spiritum virtutis et caritatis et continentiae; ita sine Spiritu fidei non est recte quispiam crediturus, nec sine Spiritu orationis salubriter oraturus.

Non quia tot sunt spiritus, sed *omnia haec operatur unus atque idem Spiritus dividens propria unicuique prout vult* (1 Cor. XII, 12); quia *Spiritus ubi vult spirat* (Jo. III, 8); sed quod fatendum est, aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adjuvant ut sint fideles, inhabitans adjuvat jam fideles [2].

11.—Quis veraciter gemat, desiderans accipere quod orat a Domino, si hoc a se ipso se sumere existimet, non ab illo?

Praesertim, quoniam oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus, ait Apostolus, interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Qui enim scrutatur corda, scit quid sapiat Spiritus, quia sacundum Deum interpellat pro sanctis* (Rom. VIII, 26).

Quid est ipse Spiritus interpellat, nisi interpellare fa-

---

[1] Epist. 194, n. 17.
[2] Epist. 194, n. 18.

cit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniam veritas est Spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba, Pater.*

Et hic quid est clamantem, nisi clamare facientem, tropo illo quo dicimus laetum diem, qui laetos facit? Quod alibi manifestat, ubi dicit, non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Ibi dixit clamantem; hic vero, in quo clamamus, aperiens videlicet quomodo dixerit clamantem, id est, sicut jam exposui, clamare facientem.

Ubi intelligimus et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritaliter clamemus ad Deum.

Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quaeramus, pulsemus; et hoc esse dicunt, quod gratia praeceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, et invenimus quaerentes, aperiturque pulsantibus; nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quaeramus atque pulsemus.

Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Quod vidit beatus Ambrosius. Ait enim (Com. in Isai.), et orare Deum, gratia spiritalis est; sicut scriptum est: *Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto* [1].

12.—Pelagiani dicunt ab homine incipere meritum per liberum arbitrium, cui Deus subsequens gratiae retribuat adjumentum.

---

[1] De Dono Persever. n. 64. Similia habet sanctus Doctor in opere, De anima et ejus origine, lib. IV, n. 13.

Etiam hic refellat eos venerandus Ambrosius, dicens in expositione Isaiae prophetae: quia humana cura sine divina ope imbecilla est ad medendum, Deum auxiliatorem requirit. Item in libro qui inscribitur *de Fuga saeculi:* Frequens nobis, inquit, de effugiendo saeculo isto est sermo: atque utinam quam facilis sermo, tam cautus et sollicitus affectus. Sed quod pejus est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum et vanitatum effusio mentem occupat, ut quod studeas vitare, hoc cogites animoque volvas. Quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem, quam effectus, testatur propheta dicendo: *Declina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* (Ps. 118, 36). Non enim in potestate nostra sunt cor nostrum et nostrae cogitationes, quae improviso offusae mentem animumque confundunt, atque alio trahunt quam tu proposueris: ad saecularia revocant, mundana inserunt, voluptaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore, quo elevare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque dejicimur.

Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio divino qui fieri potest? Nullo profecto modo.

Denique supra eadem Scriptura dicit: *Beatus vir cujus est auxilium ejus abs te, Domine, ascensus in corde ejus* (Ps. 83, 6). Quid apertius et sufficientius dici potest?

Sed ne Pelagiani forte respondeant, eo ipso quo divinum auxilium poscitur, praecedere hominis meritum; idipsum meritum dicentes, quia orando fit dignus qui gratia divina subveniat (1 Cor. XII, 3).

Attendant quid idem vir sanctus dicat in expositione

Isaiae: Et orare Deum, inquit, gratia spiritalis est. *Nemo* enim *dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto* [1].

13.—Orationis fundamenta sunt theologicae virtutes. Ne se vel ipsius orationis meritum extollat, etiamsi ad vincendas temporalium rerum cupiditates, et diligenda bona aeterna atque ipsum fontem omnium bonorum Deum, adjutorium datur oranti, fides orat quae data est non oranti, quae utique nisi data esset, orare non posset. *Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? Quomodo credent, quem non audierunt? Quomodo audient sine praedicante?* (Rom. X, 14). Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Proinde minister Christi hujus fidei praedicator, secundum gratiam quae data est illi, plantator est et rigator [2].

14.—Habete fidem; sed ut habeatis fidem, orate fide. Sed orare fide non possetis, nisi fidem haberetis. Non enim orat nisi fides.

Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Aut quomodo praedicabunt si non mittantur? Ideo loquimur, quia missi sumus.

Audite nos, audite illum per nos.

Ergo ait aliquis: invocamus Deum, ut det nobis perseverare in his bonis quae habemus, et addat bona quae

---

[1] Contra duas Epist. Pelagianorum, n. 30. *Divus Thomas ait:* Oratio sine gratia gratum faciente meritoria non est, sicut nec aliquis alius actus virtuosus. Et tamen etiam oratio, quae impetrat gratiam gratum facientem, procedit ex aliqua gratia, quasi ex gratuito dono; quia ipsum orare est quoddam donum Dei, ut Augustinus dicit (2. 2. q. 83, a. 15 ad 1).

[2] Epist. 194 ad Sixt. n. 10 (a. 105).

non habemus. Praecessit ergo fides quae rogat. Certe totum dat Deus. Ut enim daret mihi, rogavi; ut rogarem prius credidi. Ergo mihi dedi quod credidi, et Deus dedit quod credens oravi. Solvatur quaestio; non enim parva est. Hoc te video loqui, quia tu prior dedisti aliquid Deo, ut cetera daret tibi. Dedisti quippe illi fidem tuam et orationem tuam.

Et ubi est quod ait Apostolus: *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, aut quis prior dedit illi et retribuetur ei?* (Rom. XI, 34, 35). Ecce qualis vis esse. Ergo prior dedisti Deo, et hoc dedisti, quod tibi non dedit Deus? Invenisti unde dares? Homo mendice, unde habuisti? Ergo unde dares aliquid habuisti? Quid enim habes, quod non accepisti? Ergo de bonis Dei das Deo; ex eo quod tibi dedit, a te accipit. Nam mendicitas tua, nisi ipse prior dedisset, inanissima remaneret.

Audite unde hoc evidentius probetis. Ecce vos quia credidistis, accepistis; quid dicimus de eis qui nondum crediderunt, qualis erat Saulus, qui nondum crediderat?

Accepit autem ut crederet; posteaquam credidit Christo, tunc coepit invocare Christum. Ab illo accepit ut crederet, et credendo invocaret, invocando cetera acciperet.

Quid putamus, fratres? Saulus antequam crederet, orabant pro illo qui crediderent annon orabant? Dicatur mihi, si non pro illo orabant, quare dixit Stephanus: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum?* (Act. VII, 59). Orabatur et pro illo, et pro aliis infidelibus ut crederent.

Ecce nondum habebant fidem, et orationibus fidelium accipiebant fidem. Nondum habebant quod Deo

offerrent, quia nondum erant misericordiam consecuti, ut fideles essent. Denique posteaquam Saulus iste conversus est, una voce elisus et levatus, elisus fuit persecutor, levatus est praedicator [1].

15.—Fides orationis fons. *Oportet semper orare et non deficere* (Lc. 18, 1). Lectio Sancti Evangelii aedificat nos ad orandum et credendum, et non de nobis, sed de Domino praesumendum.

Quae ad orandum major hortatio, quam ut nobis de judice iniquo proponeretur similitudo? Judex enim iniquus, nec Deum timens, nec hominem reverens, audivit tamen viduam interpellantem se, victus taedio, non pietate inclinatus.

Si ergo exaudivit qui oderat quod rogabatur, quomodo exaudit, qui ut rogemus hortatur. Cum ergo nobis ista e contrario comparatione Dominus suaderet; quia oportet semper orare et non deficere; adjecit et ait: *Verumtamen cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem in terra?* (Lc. 18, 1). Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat quod non credit? Unde et Apostolus beatus, cum ad orandum exhortatur, ait: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Rom. X, 13). Et ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire rivum, ubi caput aquae siccatur, adjunxit atque ait: quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt? Ergo ut oremus, credamus, et ut in ipsa non deficiat fides, qua oramus, oremus.

Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Fides, inquam, fundit orationem, fusa oratio etiam ipsi fidei impetrat firmitatem.

[1] Serm. 168, Gal. VI, nn. 5, 6. (a. 17, ex homil. 50).

Etenim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: *vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Lc. XXII, 46). Quid est in tentationem intrare, nisi a fide exire? In tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit; et in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit [1].

16.—*Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Joel, II, 32). Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt?... Aut quomodo praedicabunt, si non mittantur? Sicut scriptum est: *Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona* (Isai. LII, 7).

Ipsi sunt medici curantes a latronibus sauciatum; sed Dominus eum perduxit ad stabulum (Lc. X, 34); quia ipsi sunt etiam operantes in agro dominico: *Nec tamen qui plantat est aliquid, aut qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (1 Cor, III, 7).

Ideo et ego ad Dominum clamavi, hoc est, Dominum ut salvus essem, invocavi. Quomodo autem invocarem, nisi crederem? Quomodo crederem nisi audirem? Sed ut audita crederem, ipse me attraxit; quia in occulto a morte cordis non quilibet medici, sed ipse excitavit. Nam multi audierunt, *quia in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines terrae verba eorum* (Ps. 18, 5); sed non omnium est fides. Ac per hoc, nec ego credere potuissem, nisi me Dei misericordia praevenisset [2].

17.—*Dixi Domino, Deus meus es tu* (Ps. 139, 7). Magna vox orationis movet fiduciam.

Numquid illorum perversorum hominum non est Deus? Cujus enim non est Deus, qui est verus Deus?

---

[1] Serm. 115 in Lc. XVIII, n. 1 (a. 36).
[2] Enar. in Ps. 87, n. 13.

Sed tamen proprie eorum est, qui eo fruuntur, qui ei serviunt, qui libenter sub ipso sunt. Nam et mali quamvis inviti, sub ipso sunt. Illi appellant Deum, a quo coronentur; sub illo illi fugiunt, a quo damnentur.

Et iniquus qui non vult habere Dominum Deum suum, quo fugiet Deum omnium? Bonum est illi ergo, ut convertatur ad Deum omnium, faciatque illum conversione suum; et positus inter tales peccatores, seductores, hypocritas, superbos, dicat ad Deum, quem sui conversione sibi fecit Deum suum: *Dixi Domino, Deus meus es tu. Percipe auribus, Domine, vocem deprecationis meae.*

Simplex quidem sententia est, et facilis ad intelligendum; sed tamen delectat forte cogitare, quare non dixerit, percipe auribus deprecationem meam; sed velut evidentius exprimens affectum animi sui, ait: vocem deprecationis meae, vitam deprecationis meae, animam deprecationis meae, non quod sonat in verbis meis, sed unde vivunt verba mea. Ceteri enim strepitus sine anima, soni dici possunt, voces non possunt. Vox proprio animatorum est, vivorum est.

Quam multi autem deprecantur Deum, et non sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo! Sonum deprecationis habere possunt, vocem non possunt, quia vita ibi non est. Hujus qui vivebat; quia Deum suum intelligebat, et a quo liberaretur videbat, et a quibus liberaretur sentiebat, ipsa erat vox deprecationis ejus [1].

18.—In hujus vitae tenebris, in quibus peregrinamur a Domino (2 Cor. V, 6), quandiu per fidem ambulamus, non per speciem, desolatam debet se christiana anima

[1] Enar. in Ps. 139, n. 10.

reputare, ne desistat orare; et Scripturarum divinarum sanctarumque sermoni discat tamquam lucernae in obscuro loco positae, fidei oculum intendere, *donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris* (2 Petr. I, 19).

Hujus enim lucernae quidam fons ineffabilis lumen illud est, quod sic lucet in tenebris, ut non comprehendatur a tenebris, cui videndo, fide corda mundanda sunt. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Mt. V, 8): et, *scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus cum sicuti est* (1 Jo. III, 2). Tunc erit vera vita post mortem. Verumque solatium post desolationem [1].

Ordo est aedificationis vestrae, ut discatis prius quid credatis, et postea quid petatis. Sic enim dicit Aposto lus: *erit omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus eri*. Hoc testimonium beatus Paulus posuit de Propheta, quia praedicta sunt per Prophetam ista tempora, quando omnes invocaturi erant Deum: *Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Et adjunxit: *quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt?...* Missi sunt ergo praedicatores, praedicaverunt Christum (Rom. X, 13-15).

Illis praedicantibus populi audierunt, audiendo crediderunt, credendo invocaverunt. Quia ergo rectissime et verissime dictum est: quomodo invocabunt, in quem non crediderunt, ideo prius didicistis quod crederetis; hodie didicistis eum invocare, in quem credidistis [2].

Altare itaque spiritaliter in interiore Dei templo ipsam fidem accipere possumus, cujus signum est altare visibile (Mt. V, 23). Quodlibet enim munus offerimus Deo,

---

[1] Epist. 130 ad Prob. n. 2.
[2] Serm. 57, de orat. Domin. n. 1 (a. 9).

sive doctrinam, sive orationem, sive hymnum, sive psalmum, et si quid tale aliud spiritualium donorum animo occurrit, acceptum non potest esse Deo, nisi fidei sinceritate fulciatur, et ei fixe atque immobiliter tamquam imponatur, ut possit integrum atque illibatum esse quod loquimur [1].

Quomodo enim tu sic studeres orare Deum, nisi sperares in eum? [2].

APPENDIX AD CAPUT I

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 19. *Notio orationis.*—20-21. *Excellentiae orationis.*—22-26. *Oratio interna, gemitus cordis, gratiarum actio.*—27-34. *Duae de precatione homiliae.*

19.—Notio orationis. Magnum bonum precatio. Nam si homini quis loquens virtute praedito, non parvum inde fru-

---

[1] Serm. Domin. in Mont. lib. I, cap. X, n. 27.

[2] Epist. 130 ad Prob. n. 2. **Doctrina divi Thomae** circa orationis fundamenta. Oratio innititur principaliter fidei, non quantum ad efficaciam merendi, quia sic innititur principaliter caritati; sed quantum ad efficaciam impetrandi, quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiae divinae et misericordiae et fidelitatis, ex quibus oratio impetrat quod petit (2. 2. q. 83, a. 15 ad 3).

Fides, spes et caritas supponuntur ad latriam, et sic actus orationis eis attribuitur. Tamen etiam ad orationem secundum propriae speciei rationem habent aliquam convenientiam et praeexiguuntur ad eam. Petitio enim frustra ad aliquem dirigitur, nisi credatur quod petitum praestare potest, et speratur quod velit; et est presuntuosa petitio, nisi ei fiat, qui aliquo modo petenti unitus sit: unionem autem caritas facit (IV, Dist. XV, q. IV, a. 1, q. 2 ad 3).

Gemitus sive fletus non est oratio per essentiam, sed est quasi fundamentum orationis. Superflua enim videtur petitio, ubi necessitas deest; et ideo recognitio suae miseriae, qua indigentem se aliquis videt, et sibi subvenire non potest, quae gemitum in affectu facit, quasi oratio reputatur a Deo (IV, Dist. XV, q. IV, a. 1, q. 2 ad 3).

ctum percipit; quantis bonis non fruetur is, cui cum Deo colloquium fuerit? Oratio enim colloquium est cum Deo [1].

20.—Excellentiae orationis. Jam finem faciens, ad orationis rursus cohortationem me convertam. Licet enim de hoc argumento saepe verba fecerimus, tamen operae pretium fuerit, ut nunc etiam de eo dicamus; nam et earum vestium quae semel tinctae fuerint, facile color evanescit: quas vero multoties et frequenter immersas eduxerint infectores, eae florem coloris immutabilem servant; hoc et in animabus nostris contingit; siquando enim eadem verba frequenter audierimus, quasi tincturam quamdam exceptamdo ctrinam non facile deponemus.

Ne igitur perfunctorie audiamus; non enim est, non est, inquam, oratione quidquam potentius, aut quod ei possit aequari. Non sic amictus purpura splendidus est imperator, ut qui orat, *colloquio cum Deo* exornatus.

Ut enim si adstante exercitus, ducibus, magistratibus, consulibus multis, accedens quis privatim cum imperatore in colloquium veniat, cunctorum oculos ad se convertit, eaque ratione fit illustrior, sic et orantibus accidit.

Cogita namque quantum illud sit futurum, ut praesentibus angelis, adstantibus archangelis, Seraphim, Cherubim, caeterisque virtutibus omnibus, unus homo multa cum fiducia possit accedere, et cum virtutum illarum rege colloqui; num hoc illi cujuslibet honoris instar erit?

Neque vero tantum honorem, sed utilitatem quoque maximam possumus ex oratione decerpere, vel etiam antequam id quod petimus, obtinuerimus.

Nam simul atque manus in caelum quis extenderit, Deumque invocarit, confestim ex rebus excessit humanis, ad futuram vitam mente translatus, ac deinceps quae sunt in caelis animo concipit; nihilque cum hac vita commune tempore precationis habet, si diligenter precatus fuerit. Sed licet efervescat iracundia, facile sedatur; licet cupiditas exardescat, extinguitur; licet invidia torqueat, multa cum facilitate depellitur; idemque contingit, quod exoriente sole propheta dicit contingere.

---

[1] In cap. XI Gen. Hom. 30, n. 5.

Quid illud est? *Posuisti tenebras et facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae, catuli leonum rugientes ut rapiant et quaerant a Deo scam sibi. Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur* (Ps. 103, 20-22).

Ut igitur radiis solis exorientibus ferae omnes fugantur, at in sua lustra discedunt; ita nimirum ubi tamquam radius quidam ex ore nostro linguaque oratio sese effuderit, cum mens illuminatur, tum expertes rationis ac belluinae perturbationes aufugiunt et abiguntur, atque in suos specus abscedunt, si modo diligenter, si attento animo, si mente vigilanti oraverimus. Tunc licet adfuerit diabolus, abigitur; licet daemon, recedit.

21.—Oratio portus tempestate jactatis, fluctuantibus anchora, scipio titubantibus, pauperum thesaurus, divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis.

Oratio simul et bona nobis immota conservat, et confestim mala transmutat; sive tentatio invaserit, facile propulsatur; sive pecuniarum jactura, sive quodlibet aliud eorum, quae molestiam animae nostrae inurunt, cuncta quamprimum repellit.

Oratio moeroris omnis refugium, hilaritatis argumentum, occasio perpetuae voluptatis, philosophiae mater.

Qui diligenter potest orare, licet omnium sit pauperrimus, tamen omnium est ditissimus; ut qui oratione destitutus est, omnium est pauperrimus.

Nonne rex erat Achab, et vim auri argentique habebat immensam? At quoniam orationem non habebat, Eliam quaerens circumibat, hominem, qui neque diversorium, neque vestem habebat, sed melotem solam.

Quid hoc sibi vult, quaeso? Tu qui tot habes apothecas, eum qui nihil habet, quaeris? Ita est, inquit; nam quid mihi tandem prosunt haec promptuaria, cum hic nobis caelum clauserit, et inutilia cuncta reddiderit? Vides, ut hic illo fuerit opulentior? Nam quousque vocem hic emitteret, in multa paupertate rex cum toto comitatu versabatur.

O rem mirabilem! Ne vestem quidem habuit, et caelum claudit; ideo nimirum caelum clausit, quia vestem non habuit; quia nihil hic possedit, idcirco multam exhibuit po-

testatem; cum labra tantum diduxisset, ut innumeri e caelo thesauri delaberentur effecit. O sanctum os, cui fontes imbrium inerant! O linguam stillas effundentem! O vocem hominis bonis innumeris scaturientem! [1].

22.—**Oratio vera clamor cordis.** *Domine, clamavi ad te, exaudi me* (Ps. 140, 1). Clamorem hic dicit internum, quem cor inflammatum peperit, et contritus animus, quo cum clamaret Moyses, exaudiebatur. Quemadmodum enim qui clamat, vires suas exhaurit, ita etiam qui corde clamat, totam mentem suam convertit.

Talem ergo clamorem Deus requirit, qui cor convertat, non sinat oscitare, nec canentem alio divertere. Non solum autem quaerit talem clamorem, sed etiam ut ipse oretur. Sunt enim multi qui stant quidem, ad Deum autem non clamant, sed labia ad Deum clamant et nomen Dei circumferunt, at mens nihil sentit eorum quae dicuntur.

Qui ita se gerit, non clamat, etsi maxime vociferetur; qui ita se gerit, Deum non orat, etsi maxime videatur orare.

At non ita Moyses, sed clamabat et exaudiebatur; et ideo ei a Deo dicitur; *cur ad me clamas?* (Ex. XIV, 15). Non solum autem clamans, sed etiam tacens impetravit, quae voluit, ut qui se dignum praebuisset, ut a Deo exaudiretur.

Quod si vis etiam videre peccatores intense et vehementer orantes, magnaque voce clamantes et impetrantes, vide meretricem quae clamat silentio (Lc. VII, 38): vide publicanum qui a sola oratione fuit justificatus (Lc. XVIII, 13). Hic quoque tali clamore utitur, et ideo dicit: *Domine, clamavi ad te, exaudi me* [2].

23.—*Intellige clamorem meum* (Ps. V, 1). Clamorem hic dicit, non vocis intentionem, sed mentis affectionem.

Nam Moysi etiam tacenti dixit: Quid clamas ad me? Non dixit, quid oras ad me, sed quid clamas ad me, quoniam cum vehementi affectu ad eum accesserat.

Ut ergo scires hic quoque non dici clamorem, sed mentis

---

[1] De Consubstantiali contra Anomaeos, Homil. VII, n. 7.

[2] Exposit. in Psalm. 140, nn. 1, 2.

affectionem, et intensum studium, non dixit: auribus percipe clamorem meum; sed intellige, hoc est, disce.

Etsi enim humanis verbis usus est, in ipsis tamen verbis humanis quod recte repraesentatur significat. Intende voci supplicationis meae; dicit rursus vocem internam.

Ita etiam clamabat Anna. Et non dixit simpliciter et absolute, intende voci orationis meae, sed supplicationis meae (1 Reg. I, 13). Eum enim qui orat, oportet et habitum et mentem supplicis induere. Qui enim supplex est, non adhibet verba accusatoris; qui autem inimico male precatur, est accusator potius, quam supplex [1].

24.—Gemitus spiritus quis sit. Licet etiam sine voce psallere, cum mens intus resonet. Non enim hominibus canimus, sed Deo, qui potest vel corda audire, et in mentis nostrae arcana ingredi.

Hoc quoque Paulus ostendens vociferatur, dicens: *Ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quod secundum Deum postulet pro sanctis* (Rom. VIII, 26, 27).

Hoc autem dicebat, non quod Spiritus gemeret, sed quod viri spirituales, qui habent dona Spiritus, pro propinquis orantes, et supplicationes offerentes, hoc facerent cum compunctione et gemitibus.

Hoc nos quoque faciamus, et cotidie Deum interpellemus per psalmos et orationes [2].

25.—Gratiarum actio. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo* (Ps. 9, I). Duplex est genus confessionis: vel est enim propriorum peccatorum condemnatio, vel in Deum gratiarum actio. Hic quidem significat gratiarum actionem.

Quid est autem in toto corde meo? Cum omni alacritate animi, cum studio, inquit. Non pro rerum prospero successu, sed etiam propter contraria. Hoc enim est maxime grati animi, hoc sapientiae studiosi, in rebus etiam asperis et adversis gratias agere, pro omnibus gloria Deum afficere, non

---

[1] Exposit. in Ps. V, n. 3.
[2] Exposit. in Ps. 41, n. 3.

solum pro beneficiis, sed etiam pro suppliciis. Hoc enim majorem mercedem conciliat.

Nam in bonis quidem gratias agens, reddidisti debitum; in malis autem, Deum constituisti debitorem. Qui enim beneficio affectus est et agit gratias, reddit debitum; qui autem male affectus est, et gloria afficit, is debitum acquirit. Pro illa gratiarum actione multa alia Deus et tunc et nunc reddit; quare nec malorum quidem sensus ad nos perveniet. Nemo enim de iis dolore afficitur, pro quibus Deo agit gratias; quocirca aliud quoque hinc lucrifaciemus, nempe aegritudinem animi discutiemus.

Quando enim privatus fueris pecuniis, et gratias egeris, non tantum te mordere potest damnum, quantum laetitia afficit gratiarum actio.

Hoc diabolo letale vulnus infligit; hoc reddit animam studio sapientiae praeditam; hoc de rebus praesentibus verum comparat judicium [1].

26.—*Exultavit cor meum in salutari tuo* (Ps. 12, 6). *Et ego in misericordia tua speravi.* Quid ergo recte fecisti ut petas, ut rursus te respiciat, ut tuam orationem exaudiat, ut tuae mentis oculi illuminentur? Undenam autem haec tibi speras futura?

Dicant quidem, inquit, alii, si quid possint dicere; ego autem unum scio, unum dico, omnem spem meam in illo colloco; illud mihi propono, misericordiam tuam, tuam clementiam. Ego autem, inquit, in misericordia tua speravi.

Vidisti prophetae humilitatem, vidisti pium et gratum viri animum? Licet posset innumerabilia a se recte facta dicere, et per ea Deum exorare, eorum nihil dicit, sed ad solam confugit Dei misericordiam. Misericordiam, inquam, et Dei clementiam pro omni supplicatione proponit.

Deinde confidens fore ut spe non frustraretur, subjunxit, exultavit cor meum in salutari tuo.

Vidisti animam bene sperantem? Petiit et priusquam acceperit, tamquam qui accepisset, agit gratias, ac Deum canit hymnum, omniaque facit, quae praemissa sunt.

---

[1] Exposit. in Ps 9, n. 1.

Undenam autem est tam bona spe praeditus? Ex pio et grato animo, ex magno et vehementi studio petitionis; sciebat enim qui sic peteret, a Deo exaudiri, ex magno cordis calore et agitatione. Quemadmodum ergo qui segniter et negligenter petunt, etiam cum acceperint, vix donationem sentiunt; ita qui intenso studio et vehementi animi contentione petunt, etiam priusquam acceperint, ex magna et pura sua affectione perinde ac si accepissent, donum sentiunt, divina gratia laetitiam antea immittente; et propterea agunt gratias, et ab accipiendo non longe absunt [1].

27.—Formulae precandi laudandae. Duas ob causas Dei cultores admirandi sunt ac beati judicandi [2]: tunc quod spem salutis suae in sanctis precibus collocaverint, tum quod, cum hymnos et precandi formulas, quas Deo cum laetitia ac timore offerebant, litteris mandarent, nobis quoque suum thesaurum tradiderint, ut omnem posteritatem possent ad se imitandos allicere.

Par est enim doctorum mores ad eos pervenire, qui ipsis dant operam; itemque par est prophetarum discipulos imitatores eorum esse justitiae, ita ut vitam nostram in precibus Deique culto perpetuo traducamus, atque in ea re vitam, valetudinem, divitias, bonorum finem positum esse censeamus, ut Deum puro et incorrupto animo deprecemur.

28.—Utilitas ac vis orationis. Etenim ut corpus solis lumine, sic animus precationum radiis illustratur. Si ergo caeci calamitas est solem aspicere non posse, quanta tandem est christiani viri jactura, non assidue Deum precari Christique splendorem in animum precibus inferre?

Jam vero Dei benignitatem atque clementiam quis non admiretur, quis non suspiciat, quam nobis ostendit, cum tantum honorem hominibus deferat, et eos precatione ac sua consuetudine dignetur?

---

1 Exposit. in Psalm. 12, nn. 1, 2.

2 Quia non certo constat de authenticitate harum duarum homiliarum, ideo quasi per viam appendicis eas apponimus. Nihilominus pulchra de oratione continent, non indigna sane sancti Joannis Chrysostomi; hac de causa nec expungere omnino de nostro opere voluimus. Cf. Vol. 2, p. 774, Edit. Migne.

Etenim cum Deo revera precationis tempore colloquimur, qua cum angelis quoque conjungimur, qua longe a pecudum societate recedimus.

Angelorum est enim precatio, quae vel eorum superat dignitatem, siquidem cum Deo loqui praestantius quiddam est. Atque id ipsi nos docent, qui magno timore preces offerunt, nosque admonet, nobis, qui ad Deum accedimus, timorem esse simul et laetitiam adhibendam; timendum quidem, verentibus, ne precatione indigni esse videamur; laetitia nos tamen ex honoris magnitudine perfundi oportere, quod tanta ac tali providentia mortale genus honestetur, ut assiduo Dei congressu perfruatur, ex quo et a mortalitate et a vitae curriculo exiguo tempore circumscripto recedimus; quippe qui tametsi natura mortales, ob Dei tamen consuetudinem familiarem ad vitam progredimur immortalem.

Etenim qui cum Deo familiariter versatur, morte illum omnique interitu potiorem esse necesse est. Atque ut est omnino necesse, qui solis radiis potiatur, a tenebris procul abesse; ita Dei consuetudine fruentem necesse est non amplius esse mortalem; nos enim ad immortalitatem ipsa honoris magnitudo traducit.

Nam si qui regem alloquuntur, et apud illum locum obtinent dignitatis, fieri non potest, ut inopia laborent, fieri omnino longe difficilius potest, ut qui supplices ad Deum accedunt, et cum eo colloquuntur, mortales animos nanciscantur; mors enim est animi vita a pietate ac legibus aliena.

Ejusdem igitur animi vita constat et religione, et actionibus vivendi, quae cum religione consentiant; atqui vitam sanctam ac divino cultui congruentem preces afferunt, et in animos nostros mirificam rerum omnium pretiosarum copiam recondunt.

Nam sive quispiam virginitatem adamarit, sive nuptiarum temperantiam colat, sive iracundiam continere, et mansuete agere, sive invidia vacare aut aliud quid officii praestare nitatur, precatione duce, et hujusmodi vitae viam muniente, expeditum habebit et facilem pietatis cursum; non enim fieri ullo modo potest, ut qui temperantiam, justitiam, mansuetudinem, benignitatem a Deo petunt, non voti compotes fient.

Petite enim, inquit, *et dabitur vobis* (Mt. IX, 7). *Omnis enim qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur* (Lc. XI, 9). Et alibi rursus: *Quis est,* inquit, *ex vobis, a quo si petierit filius suus panem, num lapidem dabit ei? Vel si piscem petierit, num serpentem dabit ei? Si igitur vos, cum mali sitis, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus se?* (Lc. XI, 11-13).

29.—Magnum malum non vacare orationi. His verbis et hac spe proposita, ad precationem nos rerum omnium Dominus cohortatur; nos vero decet obtemperantes Deo, in laudibus ac precibus perpetuo vivere, ita ut Dei cultui quam animis nostris arctius haereamus; ita enim licebit nobis vitam hominibus dignam agere.

Nam quicumque Deum non precatur, neque divino colloquio assidue frui cupit, mortuus est, et anima sensuque caret. Illud est maximum stultitiae ac stuporis argumentum, si honoris hujus magnitudo ignoratur, si precatio non amatur, si non animae mors esse existimatur, Deum non adorare.

Ut enim corpus hoc nostrum, cum animus abest, mortuum est ac foetidum; ita nisi se animus ad precationem excitat, mortuus est, miser ac foetidus. Atqui quavis morte acerbius putandum esse precatione spoliari, magnus ille propheta nos Daniel docet, qui mori maluit, quam tribus diebus a precibus vacare (Dan. VI, 10).

Neque enim ut contra pietatem aliquid faceret, praecepit rex ille Babylonis, sed illud agebat, ut trium dierum cessationem reperiret. Nam sine divino nutu bonum nullum in nostros animos venerit; nutus vero divinus labores nobiscum aggreditur, eosque praeclare sublevat, si preces videat a nobis diligi, nosque assidue Deum orare ac sperare cuncta inde ad nos bona descensura.

Quando igitur aliquem video a precationis studio abesse, neque illius ardenti ac vehementi amore teneri, jam mihi exploratum est, nihil ab eo magnificum, nihil praeclarum possideri.

Quando vero aliquem cerno in Deo colendo sine satietate

persistere, quique non precari assidue in magnis numeret detrimentis, omnium ille virtutum acerrimum cultorem, Deique templum esse conjicio. Quod si amictus hominis, pedum gressus, et risus dentium quae in ipso sunt retegit (Eccli. XIX, 27), secundum sapientem Salomonem, multo magis precatio Deique cultus est justitiae argumentum, cum illa vestis quaedam sit spiritualis ac divina, quae mentes nostras magno decore ac pulchritudine induit, et exornat, quae singulorum vivendi rationem dirigit; quae non patitur ulla re vili et absurda mentem occupari; quae persuadet ut Deum ac dignitatem, quae ab illo in nos derivatur, vereamur; quae docet, ut omnis hostis improbi praestigias depellamus; quae turpes et indignas cogitationes abigit; quae in voluptatis despicientia animum cujusque constituit.

30.—Precationis necessitas. Et fieri quidem omnino non posse, ut sine precibus vita cum virtute dicatur, perspicuum esse omnibus existimo.

Etenim quomodo quis virtutem colat, qui non accedat, seque abjiciat supplex assidue ad eum, qui eam suppeditat atque largitur? Qua ratione quis temperantem et justum se esse cupiat, qui non placide cum illo versetur, qui et haec et plura his a nobis exigit?

Volo autem paucis ostendere, nos, quamvis culpis et sceleribus coopertos precatio deprehendat, illico tamen expiari. Jam vero, quid precatione majus vel divinius sit, quando medicinam quamdam, expultricem aegritudinum esse constat iis, qui morbis animi conflictantur?

Notum est Ninivitas a plurimis per precationem delictis et sceleribus liberatos (Jon. III). Statim enim ut illos deprecatio occupavit, justitiae participes effecit, et civitatem quae cum intemperantia, nequitia, vivendique ratione nefaria degere consueverat, celeriter correxit, veteri consuetudine plus valens, coelestibus civitatem legibus explens, temperantiam, benignitatem, clementiam, procurationem pauperum secum ducens.

Sine his enim animam incolere non potest; verum inquamcumque mentem commigrarit, omni eam probitate cumulat, ad virtutem informat, nequitiam pellit. Et sane si quis tunc

Ninivem ingressus esset, qui illam antea probe nosset, civitatem profecto non agnovisset; ita repente a nequiore vita ad pietatem transilivit.

Ut enim feminam inopem ac pannosam, aureis postea vestimentis exornatam si quis aspexerit, mulierculam non agnoscat; ita qui civitatem illam antea vidisset egentem a spiritualibus destitutam thesauris, ignorasset omnino, quaenam esset civitas, quam ita precatio commutare et illius mores vivendique rationem ad virtutem traducere potuisset.

Et vero mulier quaedam, quae in intemperantia et meretricio quaestu omnem anteactae vitae cursum confecerat, simul atque se ad Christi pedes abjecit, salutem consecuta est (Lc. VII, 37).

Atqui non modo criminum culpas ac maculas delet, sed magna etiam pericula repellit. Rex ille simul ac vates admirabilis David plura et gravia bella precatione profligavit, his telis duntaxat exercitum praemuniens, et efficiens, ut per quietem et securitatem sui milites victoria potirentur. Nam alii quidem reges in ducum experientia et arte, in sagittariis, peditibus et equitibus spem salutis habebant; at magnus David sanctis precibus exercitum muniebat, non ducum, centurionum, praefectorum equitum supercilia intuebatur, non pecunias colligebat, non arma comparabat; sed e caelo divina illa armorum genera universa ducebat.

Cuncta enim revera caelestium armorum genera divinis precibus continentur; quae vel solae possunt eos tueri, qui se Deo tradiderunt. Nam peditum quidem robur atque peritiam ,sagittariorum experientiam, in prodendo hoste calliditatem saepe vel hostilis obtutus, atque adversariorum animus, aliaque multa inanem reddunt; at precatio telum est insuperabile, tutumque praesidium, quod aeque militem unum, ac multa millia profligat.

Nam et admirabilis David Goliadem illum, ut metuendum quemdam daemonem irruentem, non armis non gladiis, sed precatione dejecit (I Reg, XVII). Ita telum est acerrimum et regibus in praeliis deprecatio, et nobis ad daemonum impetum propulsandum.

Ita etiam rex Ezechias victor ex Assiriorum bello discesit (IV Reg, XIX), non acie instructa, sed una precatione

hostium copiis opposita; idem hac una ratione mortem evitavit, Deum congrua pietate veneratus, atque ita una precatio regem vitae restituit (Isai. XXXVII).

Et sane animum peccatis inquinatum facile precibus expiari, testis est publicanus, qui cum a Deo veniam precatus esset, voti compos discessit (Lc. XVIII, 13); testis leprosus, qui simul atque se ad Dei pedes abjecit, illico curatus est (Lc. XVIII, 35).

Quod si a corpore Deus vitiato atque corrupto morbum celerrime depulit, multo magis animo vitiis infecto curationem humaniter adhibebit; nam quo praestantior est animus corpore, eo magis par est ardentius a Deo in eo studium collocare.

Et sane sexcenta quispiam cum vetera, tum nova proferre possit exempla, si quibus preces saluti fuerunt, enumerare voluerit universos. At fortasse quispiam e segnioribus, et iis qui accurate ac studiose precari nolint, dixerit illa verba Deum idcirco esse prolocutum, videlicet: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui est in caelis* (Mt. VII, 21); ego vero si solam precationem ad nostram salutem satis esse putarem, merito haec objici dicerem; quoniam vero bonorum omnium caput precationem esse confirmo, atque rationis honestae laudabiliterque vivendi fundamentum atque radicem, nemo ad excusationem inertiae illis verbis abutatur.

Neque enim unam temperantiam sine aliis bonis, non unam pauperum providentiam, non benignitatem, non aliud quidpiam ex iis quae sunt cum honestate conjuncta; sed omnia uno eodemque concursu oportet in animos nostros influere; verum precatio tamquam radix subjicitur et fundamentum.

Et quemadmodum navigium ac domus inferioribus partibus firmatur et constat; ita precibus vitae nostrae ratio continetur, sine quibus nihil nobis boni contingat, nihil salutare. Propterea nos Paulus urget his verbis: *Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione* (Colo. IV, 2); et alibi: *Sine intermissione orate,* inquit, *in omnibus gratias agite, hoc enim est voluntas Dei* (I Thes. V, 17, 18); et alibi rursus: *Orate omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione* (Ephes. VI, 18).

Sic plurimis divinisque vocibus ad preces nos semper dux apostolorum cohortatur. Quare nobis, qui ab illo instituimur, vita est in precibus traducenda, iisque mens perpetuo irriganda; non enim minus, quam arbores aquis, illis nos indigemus universi. Nam neque illae possunt esse fructuosae nisi humorum radicibus ebibant; neque nos pretiosissimas pietatis fruges fundere, nisi precibus irrigemur.

Quamobrem et cum lectulo surgimus, antevertere solem oportet Dei cultu, et cum mensae accumbimus, et cum somni causa cubamus; imo vero singulis horis precatio est ad Deum adhibenda, et in ea diei cursus conficiendus; hiberno vero tempore plurimam noctis partem in precibus traducamus, et magno cum timore genua flectentes, precationi operam demus, ac beatitudine nos ipsi dignos Deum colendo reddamus.

Age vero quo modo solem aspicies, non illum ante veneratus, qui oculis tuis lucem solis dulcissimam profert? Quanam ratione mensa perfrui audebis, non ante veneratus tantorum bonorum fontem et auctorem? Qua spe ad tempora nocturna pervenies? Quae tibi visa secundum quietem objectum iri suspicaris, si nullis precibus praemunitus, nullo praesidio septus quieti te tradas?

Facillime te improbissimi daemones contemnent et implicabunt, qui oberrant assidue, qui occasionem captant, observantes, ut si quem precatione destitutum deprehenderint, sine mora corripiant.

Quare siquidem septos nos precibus viderint, continuo tamquam fures ac scelesti resiliunt, qui gladium militis capiti appensum cernunt. Quod si contigerit ut aliquis sit a precibus nudus, is a daemonibus arripitur, et in scelera, exitia, calamitates impellitur.

Haec igitur metuentes precibus atque hymnis nos ipsos tueamur et muniamus oportet, ut sua nos Deus misericordia, et caelorum regno dignetur per Unigenitum suum, cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen [1].

31.—Oratio est cum Deo locutio. Precationem esse omnium bonorum caput et fontem, ac salutis vitaeque aeter-

[1] Homil. I de Precatione.

nae conciliatricem ignorat nemo; de ea tamen, quae nostra feret facultas, dicenda sunt, ut et ii, qui in precibus et in Dei cultu vitam diligenter agere consueverunt, studiosiores reddantur, et qui vitam abjectiore animo a precibusque remoto traduxerunt, praeteriti temporis jacturam agnoscant, salutemque suam reliquo vitae tempore minime desertam esse patiantur.

Principio igitur illud in primis de precatione dici potest, eum, qui precatur, cum Deo colloqui.

Quantum vero sit, hominem in divinum colloquium venire, nemo est qui nesciat; rei vero dignitatem nemo verbis assequatur.

32.—Honor et excellentia orationis. Etenim hujusmodi honor etiam angelorum amplitudinem facile superat; id quod illi cum probe intelligant, omnes fere apud prophetas, cum laudes et cultum Domino afferunt, summo cernuntur timore correpti, dum ora pedesque prae veneratione tegunt, dum volatu motuque assiduo summum metum prae se ferunt; quin etiam nos, ut opinor, monet, ut precandi tempore humanae naturae obliviscamur, atque veneratione ac timore perculsi, nihil ante oculos positum aspiciamus, sed in medio angelorum choro nos esse, et eumdem quem illi cultum Deo nos persolvere arbitremur.

Etenim cetera omnia, illorum inquam et nostra, et natura et vivendi ratio, et sapientia, et intelligentia, et quidquid dixerit quispiam, longo intervallo inter se distant; precationis autem officium est hominibus commune cum angelis, neque est aliquid, quod sit intermedium in iis, quae ad precandum pertinent.

Hac segregaris a pecudibus, haec te angelis jungit, hac brevi sane illorum reipublicae, illorum vitae vivendique rationi, dignitati, sapientiae, intelligentiae adjungetur qui omnem sibi vitam in precibus ac Dei cultu ponendum putabit. Quid enim sanctius iis sit, qui Dei consuetudine perfruuntur? Quid justius, ornatius, sapientius? Nam si ii, qui sapientibus hominibus familiariter utuntur, ex assidua consuetudine illorum prudentiae participes celeriter fiunt, quid de iis dicendum est, qui cum Deo ipso colloquuntur et ipsum

precantur? Quanta sapientia, quanta virtute, prudentia, probitate, moderatione replet ipsos oratio et obsecratio?

33.—Vis orationis. Itaque non sane is aberret, qui omnis virtutis justitiaeque matrem esse precationem affirmet, neque posse eorum aliquid, quae ad pietatem conducunt, precatione et obsecratione nudum animum penetrare; verum ut urbs moenibus minime septa facile in hostium potestatem venerit, quod ita nemo illos propulsare possit; sic precatione animum non communitum facile diabolus in suam redigit potestatem, facilique contaminat omnium turpitudine flagitiorum.

Primum enim cum animam precibus viderit circumseptam, veritus robur ac vim, quam preces illi suppeditant, quae animum magis alunt, quam cibus corpora, propius non audet accedere, deinde, qui omni animi cura preces adhibent, non patiuntur aliquid precatione indignum in se admittere, sed Deum veriti, quocum modo colloquuti sunt, omnes repente improbi hostis conatus repellunt; cum secum ipsi cogitent, quanti sceleris sit eum, qui nuper et Dei colloquio fruebatur, et pro temperantia et sanctitate impetranda illum obsecrabat, ad diabolum repente transfugere, et obscoenas voluptates in animo recipere, inque mentem, quam Deus nuper invisit, aditum diabolo patefacere, daemonesque admittere in animum, quem Spiritus sancti gratia benignitate summa ac providentia decoraverit.

Id vero qua ratione fiat ,accipe. Fieri nullo modo potest, ut homo sine divini Spiritus ope divinam ferat consuetudinem; verum oportet hac praesente, et sanctus conatus prosequente, rem aggredi, genua flectere, obsecrare, precari.

Cum enim res humans longe superet divinus congressus, ingrediente in nos Spiritus sancti gratia, confirmemur, corroboremur, honoris magnitudinem doceamur, necesse est. Ita cum tibi esse cum Deo sermonem intellexeris, teque precantem sancti Spiritus opem excipere, omnes aditus diabolo in animam jam a Spiritu sanctificatam intercludes.

Ut enim qui sunt cum rege colloquuti, et illius humanitatis, facilitatis, honoris fructum ceperunt, a mendicorum adjectorumque hominum congressu abhorrent; ita qui Deum

alloquutus precatusque est, adduci non facile poterit, ut improbum daemonem et impium in suam recipiat necessitudinem. Etenim qui se voluptatibus mancipat, is revera daemonibus familiariter utitur, eorumque insaniam aemulatur; ut contra is, qui temperantiam et justitiam colit, angelis familiaris efficitur, et eorum amplitudinem aemulatur.

Quod si quis animi nervos preces appellaverit, mihi profecto vere dicere videatur. Etenim ut corpus, opinor, nervorum beneficio constat, currit, stat, vivit, compactumque est, iisque incisis, omnes corporis numeri dissolvuntur; sic animi per sanctas preces et conglutinentur, et constant, cursumque habent pietatis facilem ac secundum.

Quod si te ipsum precatione spoliaveris, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris; ut enim hic aqua vivit, sic tu precationibus. Per has tamquam per aerem evolare, orbes caelestes superare, ad Deum propius licet accedere.

Ut igitur sanctae precationis robur ostendatur, vel quae diximus satis sunt; praestabit tamen fortasse, ut ad sancta volumina accedentes ex Christi verbis divitias agnoscamus, quas preces comparant iis, qui omnem aetatem in ipsis ponere velint. Dicebat autem et parabolam ad illos, *quoniam oportet semper orare et non deficere* (Lc. XVIII, 1-8).

Nos vero, fratres, abditam sapientiam in sermonibus Spiritus addiscamus, et pro facultate nostra investigemus, non quantum in ipsa sit, sed quantum nobis assequi liceat.

Atque illi quidem, qui in mari vitam degunt, in ipsum profundum se demergentes, gemmas afferunt ad eos, qui sunt in terris; nos vero divinarum litterarum pelagus perlustremus et ad ipsum profundum spiritualis sapientiae, quantum in nobis est, decurramus, ut vobis thesaurum praestantissimum afferamus, qui animos ornet melius, quam capita regum praeclarissimis gemmis distinctae coronae.

Namque harum praestantia hujus vitae termino circumscribitur; qui vero sermonibus Spiritus coronat animum, is et jam securus vivit, et vita functus fidenti animo ad Christi tribunal accedit, refertus virtutibus, et ab omni labe integerrimus. Ergo quem tandem thesaurum e sacrorum voluminum profundo vobis efferimus, non ipsum sapientiae profundum attingentes, sed eo delapsi, quo licet?

Ad precationem Christus homines cum vellet allicere, et ejus commoda nostris mentibus proponere, judicem inducit quemdam improbum, saevum, qui pudorem omnem ab oculis abjecisset, Dei timorem expulisset ex animo. Atqui satis fuit justi et clementis cujuspiam personam inducere, ut ejus justitia, si cum divina clementia conferretur, vim precationis ostenderet.

Etenim si vir bonus et mitis eos humaniter suscipit, qui ad se supplices veniunt, quanto magis excipiet Deus, cujus benignitatis magnitudo non modo mentem nostram, sed ipsos angelos fugit? Satis igitur fuit, ut modo dicebam, justi judicis personam proponere; jam vero judicem crudelem, impium, inhumanum inducit, in alios quidem immitem, in obsecrantes certe benignum ac facilem; ut intelligas oratione naturam vel improbam ad lenitatem clementiamque traduci.

Quorsum igitur Christus id fecit? Ut nemo esset omnium, qui vim precationis ignoraret. Cum propterea in conspectu judicis acerbissimi viduam constituisset, ipsumque praeter ejus naturam humanum ostendisset, a scelesto judice ad Patrem suum orationem traducit optimum, mansuetum, mitem, humanum, scelera superantem, multa peccata condonantem, cotidianas in se contumelias, daemonum honores, in Filium maledicta et sexcenta nefaria facinora perferentem; quippe cum tantis contumeliis appetatur, iis perferendis ita se clementem ac mansuetum praebet; is vero, si nos debito timore ad se accedentes viderit, nonne subita misericordia capietur?

Audite, inquit, quid judex iniquitatis dicat: etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia molesta est mihi haec vidua, vindicabo eam. Quid dicis, quod non potuit timor, id obsecratio potuit? Non minae, non supplicii metus hominem ad aequitatem deduxit; at vidua, ubi supplex accessit, hominem ex agresti et immani mitem reddidit ac mansuetum. Quid igitur de Deo in hominem benignissimo censendum est, cum vidua se ad pedes abjiciens, ferum hominem lenierit ac mitigarit? Quantum bonitatis, quantum benignitatis atque amoris in nos patefaciet Deus, qui solum vult perpetuo misereri, punire numquam, qui et supplicia nobis ob eximiam humanitatem comminatur, et magnos habet pa-

ratos honores, ut cum timor, tum spes honoris recta nos deduceret, et spes quidem ad virtutem excitaret, metus vero a vitiis deterreret?

Non queo ab iniquitatis judice avocare mentem, dum in illius mansuetudine, quae praeter naturam erat, inexplicabilem Dei humanitatem erga homines amoremque contemplor. Na, si is, qui nihil unquam boni praestare voluerat, immutatus repente illius, quae rogabat, misericordia motus est, quantum felicitatis a caelo in nos precibus redundabit?

Sanctarum igitur precationum robur ac vim quivis facile cernit, qui quanta bonorum copia diebus atque horis singulis fruuntur ii, qui se quocumque tempore ad Dei pedes abjiciunt, consideraverit.

Quis enim lucem solis, lunae atque stellarum, caeli temperationem, varia ciborum genera, divitias, vitam, innumerabilia bona omnibus hominibus, et probis et improbis a Deo aeque dari et impertiri non videt, idque propter eximiam suam in nos benignitatem?

Quod si eos, qui minime rogant aut petunt, ita miseratur in dies ac reficit, quantis bonis eos frui par est, qui in precibus et obsecrationibus aetatem agunt? Jam vero et quantus justorum virorum sit numerus, quibus licuit piis precibus gentes, urbes, terrarum orbem conservare, vobis tandem aperiamus.

34.—**Confirmatur exemplis.** Et quidem cum de precatione agitur, de Paulo primo agendum est; de Paulo, inquam, illo, qui in Deo colendo ac precando numquam defatigabatur; communi patre et principe servorum Christi. Ille igitur universi terrarum orbis custos assiduis precibus omnes gentes tutatus est, nobis semper dicens: *Propterea flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris* (Ephes. III, 14-17).

Vides igitur quantum virium habeat atque nervorum precatio et obsecratio? Templa Christi homines efficit; atque

auro et lapidibus praestantissimis, marmoribusque domus regiae constant, sic templa Christi precationibus.

Ut habitet, inquit, Christus in cordibus vestris. Quae major precationis laus esse possit, quam quod Christi templa ex ea fieri soleant? Quem non capiunt caelestes orbes, is in animum, qui in precatione vitam ducat, ingreditur.

Caelum est mihi sedes, inquit, *terra vero scabellum pedum meorum. Qualem domum aedificatibis mihi,* ait Dominus, *vel quis locus commemorationis meae?* (Isai. LXVI, 1). Atqui domum Paulus per sanctas preces aedificat. *Flecto,* inquit, *genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut Christus per fidem in cordibus vestris inhabitet.*

Atque hinc etiam sanctarum precationum vim quisque cognoverit; nam cum idem Paulus omnem terrarum orbem quasi volucris aliqua pervolaret, in carcere versaretur, flagella perferret, catenas gestaret, in caedibus ac periculis viveret, daemones expelleret, homines a mortuis excitaret, morbos curaret; ad hominum tamen salutem harum rerum nulla confidebat, sed precibus terras communiebat, et post edita miracula, vitamque mortuis restitutam, ad preces recurrebat, non secus atque athleta ad palaestram, parta victoria.

Etenim vitae mortuis restituendae, aliarumque rerum omnium vim precatio una suppeditat; merito quidem, quam enim vim in arboribus habent aquae, eamdem in hac vita sanctorum virorum precationes.

Noctu cum his animum Paulus irrigaret, difficultates facile superabat, et plagis dorsum tamquam statua praebebat. Ita in Macedonia custodiam concussit; ita vincula precibus confregit ut leo; ita carceris custodem ab errore liberabit; ita daemonum tyrannidem delevit atque dissolvit (Act. XVI)

Et sane nota sunt ea, quae ad omnes homines scribit: *Ad orationem incumbite, vigilantes in ea, in gratiarum actione; simul etiam pro me orate, ut mihi sermo detur in apertione oris mei cum fiducia, ut loquar evangelii mysterium* (Col. IV, 2, 3).

Quid ais, tantam nobis audaciam preces tribuunt, ut Deo pro Paulo supplicare audeamus? Quis miles regem pro summo duce audeat obsecrare? At nullus miles regi ita carus est

et amicus fuit, ut Paulus Deo; sed tamen preces tantum nobis afferunt dignitatis ut divinum auxilium Paulo implorare non dubitemus.

Ita Petrus ille summus, caelo splendidior, carcerem effugit ab suam quidem virtutem probitatemque potissimum, et ob communem hominum salutem; deinde vero Ecclesiae deprecatio celeriter carceris fores aperuit. Non enim temere scripsit Lucas preces pro Petro assiduas ab Ecclesia fusas (Act. XII, 5); sed ut a nobis intelligeretur quantam vim habeant precationes in caelo, ut a periculis Petrum et Paulum eripiant, Ecclesiae columnas, apostolorum principes, in caelo celeberrimos, terrarum orbis moenia, commune totius terrae marisque propugnaculum.

Age vero Israelem Moyses in bellis qua ratione servavit? Nonne arma quidem et exercitum discipulo tradidit, ipse vero hostium multitudini precationes opposuit? Nos ut doceret multo majorem in precibus justorum virorum, quam in armis, equitatu, opibus, copiis vim inesse.

Propterea universus etiam exercitus, multaque hominum millia in prophetae precibus spem salutis habebant. Nam precante Moyse judaei victoriam reportabant, a precibus desistente, erant hostibus inferiores (Exod. XVII, 10).

Nos quoque si versemur in precibus, facile diabolum superabimus; at si segniores simus, in nos hostem improbum exercemus. Atqui Moyses populum quoque impia perpetrantem una precatione servavit, divinumque adspectum et innumerabilia bona per preces tantum consequutus est.

Haec enim illi vitam quoque conciliavit incolarum caeli persimilem. Precatio ignis vim superavit, leones edomuit; quorum alterum Danieli, alterum tribus pueris contigit (Dan. VI, et III).

Ex his igitur, ut arbitror, omnibus patet, quoscumque illa periclitantes exceperit, eos facile impendentibus difficultatibus liberari.

Precatio salutis est occasio, immortalitatis animae conciliatrix, Ecclesiae murus firmissimus, propugnaculum inconcussum; terrori daemonibus, piis nobis saluti.

Haec sanctum prophetam genuit Samuelem (I Reg. 1); nam cum ad sobolem natura matri adversaretur, precatio

exorta naturae vitium repente correxit. Talis ex precatione fructus extitit, talem deprecatio prophetam procreavit. Itaque celebris in caelo Sammuel factus est, cum angelorum naturam imitando supra humanas vires expresserit.

Oportuit enim, ut opinor, ut is, tamquam spica quaedam precationis existeret, ceteris virtute morumque integritate praestantior; eoque sanctis hominibus, qui illum aetate praecesserant, superior esset, quo magis in segetibus quaedam uberrimae spicae atque altissimae solent inter caeteras eminere.

Hac David tot ac tanta bella propulsavit, non armorum strepitu, non hastarum conflictu, non stricto gladio, sed precationum praesidio communitus; hac Ezechias Persarum multitudinem celeriter vertit in fugam (IV Reg, 1). Et illi quidem ad evertenda moenia machinas adhibebant, ipse vero precibus moenia muniebat; itaque exstinctum est bellum precatione, non armis, non tubae clangore, exercitu conquiescente, terra sanguine non aspersa, hostibus una precatione perterritis.

Precatio Ninivitas etiam conservavit, caelo concitatam iram repente sedavit, depravatam vivendi rationem subito correxit. Tantum enim precatio valet, ut cum turpissimam et improbissimam vitam Ninivitae duxissent, ea tamen in civitatem ingressa omnia commutarit; temperantiam, justitiam, amicitiam, concordiam, pauperum providentiam, omniaque bona simul attulerit.

Nam quemadmodum regina quaepiam urbem ingressa, omnes in eam divitiae confluant necesse est; sic ubi precatio in animum semel intrarit, virtutes eam omnes comitantur. Quod enim est in domus aedificio fundamentum, id est in animo precatio.

Itaque nos omnes hac primum, tamquam basi ac fundamento in animo collocata, strenue oportet aedificare temperantiam, mansuetudinem, justitiam, pauperum providentiam, Christique leges universas imponere, ut et juxta eas moribus institutis, bona caelestia obtineamus, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri cum sancto Spiritu gloria et imperium per saecula saeculorum. Amen.

CAPUT II. Christus orationis Magister atque exemplar.

Summa: 35-36. *Christus orationis doctor.*—37-38. *Christus ut Deus oratur, ut homo orat.*—39. *Nullum dedecus Christo ex ejus oratione.*—40-46. *Unio Christi orantis cum suis membris.*—46-47. *Oravit saepius in terra.*—48-49. *Oravit in cruce pro inimicis.*—50-51. *Orat in caelo.*—52. *Aliquando nec in caelo jam Christus orabit.*—53-55. *Omnia per Christum a Deo petere debemus.*—56. *Christus ipse invocandus.*

35.—Christus orationis doctor. Ipse Dominus Jesus Christus et in caelo est, et nobiscum est; et cum Patre est, et in nobis est; et ab illo non recedit, et nos non deserit, et orare docet ut magister, et cum Patre exaudit ut filius [1].

Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea (Ps. 56, 2). Christus in passione dicit: *miserere mei, Deus.* Deo Deus dicit: miserere mei.

Etenim quod de illo clamat, miserere mei, tuum est; a te hoc accepit, propter te liberandum carne indutus est.

Non expavescamus voces petentis misericordiam et exhibentis. Ideo enim petit, quia exhibet; ad hoc enim homo, quia misericors; non ut conditionis necessitate

---

[1] Serm. 245 in dieb. paschal. n. 4 (a. 155 de temp.).

nasceretur, sed ut nos de conditione necessitatis liberaret.

Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Audis magistrum orantem, disce orare. Ad hoc enim oravit, ut doceret orare; quia ad hoc passus est, ut doceret pati; ad hoc resurrexit, ut doceret sperare resurrectionem [1].

Non veni solvere legem, sed implere (Mt. V, 17). Christus est doctor legis, sed magister legis non est nisi dator legis.

Nemo dicat quia alius dedit legem, et alius docet legem; ipse illam docet qui illam dedit; ipse est magister legis suae, et docet illam. Et misericordia est in lingua ipsius, ideo misericorditer docet legem, sicut dictum est de sapientia. *Legem autem et misericordiam in lingua portat* (Prov. XXXI, 26).

Noli timere, ne implere legem non possis, fuge ad misericordiam. Si multum est ad te legem implere, utere pacto illo, utere chirographo, utere precibus quas tibi constituit et composuit jurisperitus caelestis.

Qui enim habent causam, et volunt supplicari imperatori, quaerunt aliquem scholasticum jurisperitum, a quo sibi preces componantur; ne forte si aliter petierint quam oportet, non solum non impetrent quod petunt, sed et poenam pro beneficio consequantur.

Cum ergo quaererent supplicare Apostoli, et non invenirent quomodo adirent imperatorem Deum, dixerunt Christo: *Domine, doce nos orare*; hoc est, Jurisperite noster, assessor, imo consessor Dei, compone nobis preces. Et docuit Dominus de libro juris caelestis, docuit quomodo orarent [2].

---

1 Enar. in Ps. 56, n. 5.

2 In Jo. Evang. Tract. VII, n. 11.

36.—Symbolum reddidistis, quo breviter comprehensa continetur fides. Jam et antea dixi vobis, quod ait apostolus Paulus: *quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Quia ergo quomodo credatur in Deum, et accepistis, et tenuistis et reddidistis; accipite hodie quomodo invocetur Deus.

Ipse Filius, sicut audistis, cum Evangelium legeretur, docuit discipulos suos et fideles suos hanc Orationem. Spem habemus obtinendae causae nostrae, quando talis jurisperitus nobis preces dictavit. Assessor Patris, sicut confessi estis, qui sedet ad dexteram Patris, ipse est advocatus noster, qui futurus est judex noster. Inde enim venturus est judicare vivos et mortuos. Tenete ergo hanc Orationem [1].

Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis (Jo. XVI, 33). Hanc enim commendavit causam sermonis sui, ut in illo pacem haberent, propter quod totum agitur quod christiani sumus.

Haec enim pax finem temporis non habebit, sed omnis piae nostrae intentionis actionisque finis ipsa erit.

Propter hanc sacramentis ejus imbuimur, propter hanc mirabilibus ejus operibus et sermonibus erudimur, propter hanc Spiritus ejus pignus accepimus, propter hanc in eum credimus et speramus, et ejus amore quantum donat accendimur; hac pace in pressuris omnibus consolamur, hac a pressuris omnibus liberamur, propter hanc omnem tribulationem fortiter sustinemus, ut in hac feliciter sine ulla tribulatione regnemus.

Cum ergo dixisset propter quid omnia sit locutus, ut in illo scilicet pacem haberent, in mundo habentes pressuram, exhortatusque fuisset ut confiderent, quia ipse

---

[1] Serm. 58, de Orat. domin. n. 1, 2 (a. 42 inter hom. 50).

vicit mundum, eo qui erat ad illos sermone finito, deinde ad Patrem verba direxit, et orare jam coepit.

Sic enim Evangelista sequitur, dicens: *Haec locutus est Jesus, et sublevatis oculis in caelum dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum* (Jo. XVII, 1).

Poterat Dominus Unigenitus et coaeternus Patri, in forma servi et ex forma servi, si hoc opus esset, orare silentio; sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem.

Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit et nobis; quoniam tanti magistri non solum ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est aedificatio. Et si illorum qui haec dicta aderant audituri, profecto et nostra qui fueramus conscripta lecturi [1].

Denique ipsi Apostoli didicerunt orare quod oramus, ipsis data est regula postulandi a Jurisperito caelesti. Sic orate, inquit (Mt. VI, 9).

Et cum quaedam praemisisset, posuit et hoc dicerent pastores nostri, duces ovium, et praecipua membra Pastoris, et congregatoris unius gregis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. VI, 12). Non dixerunt: gratias tibi, qui dimisisti nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, sed dimitte, sicut dimittimus. Orabant autem utique jam fideles, utique jam Apostoli; nam ista oratio dominica magis fidelibus datur [2].

37.—Christus ut Deus oratur, ut homo orat. Dominus Jesus Christus, qui nos exaudit cum Patre, orare pro

[1] In Jo. Evang. Tract. 104, nn. 1, 2.
[2] Enar. in Ps. 142, n. 6.

nobis dignatus est Patrem. Quid felicitate nostra certius, quando ille pro nobis orat, qui dat quod orat?

Est enim Christus homo et Deus, orat ut homo, dat quod orat ut Deus. Quod autem tenere debetis, ideo totum Patri assignat quia Pater non de illo est, ipse de Patre est. Fonti unde natus est, totum dat. Sed et ipse fons natus est. Ipse est enim fons vitae. Ergo Pater fons fontem genuit. Genuit quidem fontem fons, sed et generans fons, et genitus fons; quemadmodum generans Deus et genitus Deus, unus est Deus.

Pater non est Filius, Filius non est Pater, Spiritus Sanctus amborum nec Pater nec Filius; sed Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus est Deus. Aedificamini in unitate, ne cadatis in separatione.

Audistis quid pro nobis oraret, imo quid vellet. Dixit: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, ibi sint ipsi.* Volo, inquit, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum (Jo. XVII, 24). O domus beata, o patria secura! Non habet hostem, non habet pestem. Securi ibi vivemus, migrare non quaeremus, tutiorem locum non inveniemus. Quidquid hic elegeris in terra, ad timorem eligis non ad securitatem. In illo loco beato nemo est peregrinus; omnes in patria sua vivunt. Ibi est perpetuus fons veritatis et vitae [1].

38.—*Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me* (Ps. 29, 1). Cujus putamus vocem esse laudantis Deum et gratias agentis et exultantis atque dicentis, exaltabo te, Domine?

Primo ipsum Dominum consideremus, qui secundum id quod homo esse dignatus est, potuit sibi per praecedentem prophetiam non incongrue verba ista coaptare.

---

[1] Serm. 217, de Orat. Christi, nn. 1, 2.

Ex quo enim homo, ex hoc et infirmus; ex quo infirmus, ex hoc et orans. Nam quod audivimus, cum Evangelium legeretur, quemadmodum etiam in desertum secesserit a discipulis suis, quo eum sunt consecuti, et invenerunt eum; secedens autem ibi orabat, et dictum est a discipulis qui eum invenerunt: quaerunt te homines; at ille respondit: *eamus et in alia loca atque castella praedicare; ad hoc enim veni* (Mc. I, 35).

Si divinitatem Domini nostri Jesu Christi consideres, quis orat, ad quem orat, quare orat? Orat Deus, orat ad aequalem? Causam autem orandi quam habet, semper beatus, semper omnipotens, semper incommutabilis, aeternus et Patri coaeternus? Intuentes ergo quod per Joannem, quasi per quamdam nubem suam, ipse intonuit, dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; quod factum est in illo vita est, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt* (Jo. I, 1-5).

Huc usque dicentes, non invenimus orationem, nec causam orandi, nec locum orandi, nec affectum orandi.

Sed quoniam paulo post dicit: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (v. 14); habes majestatem ad quam ores, habes humanitatem quae pro te oret.

Nam hoc dictum est ab Apostolo etiam post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi: *qui sedet,* inquit, *ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (Rom. VIII, 34).

Quare interpellat pro nobis? Quia mediator esse dignatus est. Quid est esse mediatorem inter Deum et homines? Non inter Patrem et homines, sed inter Deum

et homines (I Tim. II, 5). Quid Deus? Pater et Filius et Spiritus sanctus. Quid sunt homines? Peccatores, impii, mortales. Inter illam Trinitatem et hominum infirmitatem et iniquitatem mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus; ut ex eo quod non iniquus, jungeret te Deo, ex eo quod infirmus, propinquaret tibi; atque ita, ut inter hominem et Deum mediator existeret, Verbum caro factum est [1].

Nullum majus donum praestare posset Deus hominibus, quam ut Verbum suum per quod condidit omnia, faceret illis caput, et illos ei tamquam membra coaptaret, ut esset Filius Dei et filius hominis, unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus; ut et quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde Filium separemus; et quando precatur corpus Filii, non a se separet caput suum; sitque ipse unus salvator corporis sui Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, qui et oret pro nobis, et oret in nobis, et oretur a nobis. Orat pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis ut caput nostrum; oratur a nobis ut Deus noster. Agnoscamus ergo et in illo voces nostras, et voces ejus in nobis [2].

---

[1] Enar. II in Ps. 29, n. 1.

[2] Enar. in Ps. 85, n. 1. En modo **doctrinam divi Thomae.**

Christus orat ut homo, audit ut Deus. Oratio est quaedam explicatio propriae voluntatis apud Deum, ut eam impleat. Si ergo in Christo esset tantum voluntas divina, nullo modo competeret ei orare, quia voluntas divina per se ipsam est effectiva eorum quae vult; sed quia in Christo est etiam voluntas humana, et voluntas humana non est per se efficax ad implendum quae vult; inde est quod Christo, secundum quod est homo et humanam voluntatem habens, competit orare (Sum. theol. 3, q. 21, a. 1).

Christus perficere poterat omnia quae volebat, secundum quod Deus, non autem secundum quod homo; nihilominus ipse idem Deus existens et homo, voluit ad Patrem orationem porrigere, non quasi ipse esset impotens, sed propter nostram instructionem: *a)* ut ostenderet se esse a Patre: *b)* ut nobis exemplum orandi daret (3. q. 21, a. 1 ad 1; q. 13, a. 4 ad 3).

Christus nobis dedit exemplum ut de perceptis a nobis muneri-

39.—Nullum dedecus Christo ex ejus oratione. Neque cum aliquid dicitur de Domino Jesu Christo, maxime in prophetia, quod pertineat velut ad quamdam humilitatem indignam Deo, dubitemus eam illi tribuere, qui non dubitavit se nobis adjungere.

Ei quippe servit universa creatura, quia per ipsum facta est universa creatura. Et propterea cum ejus sublimitatem divinitatemque intuemur, quando audimus: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum etc.: intuentes hanc et supereminentissimam et excedentem omnia creaturarum sublimia divinitatem Filii Dei; audimus etiam in aliqua parte Scripturarum velut gementem, orantem, confitentem; et dubitamus ei tribuere verba haec, ex eo quod cogitatio nostra de recenti ejus contemplatione, quae erat in divinitate, pigrescit descendere ad ejus humilitatem; et tamquam faciat illi injuriam, si ejus verba in homine agnoscat, ad quem verba dirigebat, cum Deum deprecaretur, haeret plerumque, et conatur mutare sententiam; et non ei occurrit in Scriptura, nisi quod ad ipsum recurrat, et ab illo deviare non sinat.

---

bus gratias agamus, et etiam nondum habita orando postulemus (3. q. 21, a. 3).

Oratio qua Christus oravit ad ejus sacerdotium pertinebat (3. q. 22, a. 4 ad 1; a. 1).

Christus in quantum homo orat pro nobis; sed non dicimus, *Christe, ora pro nobis*, quia Christus supponit suppositum aeternum, cujus non est orare, sed adjuvare; et ideo dicimus, *Christe, audi nos, vel miserere nostri* (Iv. Dist. XV, q. IV, n. 4, q. 2 ad 1).

Ut Salvator noster Christus nos in spem vivam induceret, nobis formam orandi tradidit, per quam maxime spes nostra in Deum erigitur, dum ab ipso Deo docemur quid ab ipso petendum sit.

Non enim ad petendum induceret, nisi proponeret exaudire; nullusque ab alio petit nisi de quo sperat, et ipse ea petit, quae sperat. Sic igitur dum nos docet a Deo aliqua petere, in Deo nos sperare admonet, et quid ab ipso sperare debeamus ostendit per ea, quae petenda esse demonstrat (Compend. Theol. Part. 2, cp. 3).

Expergiscatur ergo, et evigilet in fide sua; et videat quia ille quem contemplabatur paulo ante in forma Dei, *formam servi accepit, in silitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit se factus obediens usque ad mortem* (Phil. II, 5-8); et verba Psalmi voluit esse sua, in cruce pendens et dicens: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti* (Ps. 21, 2).

Oratur ergo in forma Dei, orat in forma servi; ibi Creator, hic creatus, creaturam mutandam non mutatus assumens, et secum nos faciens unum hominem, caput et corpus. Oramus ergo ad illum, per illum, in illo; et dicimus cum illo, et dicit nobiscum, dicimus in illo, dicit in nobis Psalmi hujus orationem, qui intitulatur Oratio David (Ps. 85, 1).

Quia dominus noster secundum carnem filius David, secundum vero divinitatem Dominus David, et creator David; et non solum ante David, sed et ante Abraham ex quo David; sed et ante Adam ex quo omnes homines; sed ante caelum et terram, in quo omnis creatura est.

Nemo ergo, cum audit haec verba, dicat: non Christus dicit, aut rursus dicat, non ego dico; imo si se in Christi corpore agnoscit, utrumque dicat, et Christus dicit, et ego dico; noli aliquid dicere sine illo, et non dicit aliquid sine te.

Nonne habemus in Evangelio? Ubi certe scriptum est: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ibi certe habemus: et contristatus est Jesus (Mt. XXVI 38), et fatigatus est Jesus (Jo. IV, 6), et dormivit Jesus (Mt. VIII, 24), et esurivit (Mt. IV, 2), et sitivit Jesus (Jo. IV, 7), et oravit et pernoctavit in orando Jesus. Pernoctabat, inquit, Jesus (Lc. VI, 12), et perstabat in orando; et globi sanguinis decurrebant per corpus ejus (Lc. XXII, 43).

Quid ostendebat, quando per corpus orantis globi sanguinis destillabant, nisi quia corpus ejus, quod est Ecclesia, Martyrum sanguine jam fluebat?

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me (Ps. 85, 1). Ille ex forma servi dicit, tu serve in forma Domini tui; inclinat aurem, si tu non erigas cervicem. Humiliato enim appropinquat; ab exaltato longe discedit, nisi quem ipse humiliatum exaltaverit. Inclinat ergo Deus aurem suam ad nos. Ille enim sursum est, nos deorsum; ille in altitudine, nos in humilitate, sed non relicti [1].

40.—Unio Christi orantis cum suis membris. Audistis in Evangelio, quantum nos diligat Dominus et Salvator noster Jesus Christus, Deus apud Patrem, Homo apud nos, ex nobis ipsis, jam circa dexteram Patris, audistis

---

[1] Enar. in Ps. 85, nn. 1, 2. **Doctrina divi Thomae.** Nullum dedecus ipsi Christo obvenit ex eo quod tum pro se, cum pro nobis oraret. Sane, Christus oravit pro se dupliciter, exprimendo affectum partis sensitivae, velut cum dixit: Transeat a me calix iste; et exprimendo affectum voluntatis deliberatae, quae consideratur ut ratio; sicut cum petit gloriam resurrectionis, et hoc rationabiliter. Nam Christus oratione uti voluit ad Patrem, ut nobis daret exemplum orandi, et ostenderet Patrem suum esse auctorem a quo et aeternaliter processit secundum divinam naturam, et secundum naturam humanam ab eo habet quidquid boni habet. Sicut autem in humana natura quaedam bona habebat a Patre jam percepta, ita etiam exspectabat ab eo quaedam bona nondum habita, sed percipienda. Et ideo sicut pro bonis jam perceptis in humana natura gratias agebat Patri, recognoscendo eum auctorem (Mt. XXVI; Jo. XI); ita etiam ut Patrem auctorem recognosceret, ab eo orando petebat ea quae sibi deerant secundum humanam naturam, v. gr., gloriam corporis et alia hujusmodi. Et in hoc etiam nobis dedit exemplum, ut de perceptis a nobis muneribus gratias agamus, et etiam nondum habita orando postulemus (3. q. 21, a. 3).

Tamen Christo opus non erat oratione vocali, nisi ad exemplum nostrum, cum sola voluntas Christi vim haberet orationis apud Patrem: unde ipse dicebat: *Ego sciebam, quoniam semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti* (Jo. XI, 42).

Ipsa gloria quam Christus orando petebat, pertinebat etiam ad

quantum nos diligat. Nam suae caritatis mensuram; et ipse dixit, et nobis indixit, mandatum suum dicens esse, ut nos invicem diligamus (Jo. XIII, 34).

Et ne quaereremus dubitantes et aestuantes, quantum nos debemus invicem diligere, quantaque illa sit quae Deo placet caritatis perfecta mensura, ea enim perfecta est, quae major esse non potest; expressit ipse, docuit, et ait: *majorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis* (Jo. XV, 12).

Fecit ipse quod docuit, fecerunt Apostoli quod ab illo didicerunt, et nobis faciendum praedicaverunt. Faciamus et nos; quia etsi non sumus quod ille secundum id quod creavit nos, quod ille tamen sumus secundum id quod factus est propter nos.

Et si solus fecisset, forte nemo nostrum deberet

---

salutem aliorum, secundum illud Rom. IV, 25: *resurrexit propter justificationem nostram*: et ideo illa etiam oratio, quam pro se faciebat, erat quodammodo pro aliis; sicut et quicumque homo aliquod bonum a Deo postulat, ut utatur illo ad utilitatem aliorum, non sibi soli, sed etiam aliis orat (ib. ad 2 et 3).

Nunc turbata est anima mea. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora (Jo. XII). Hic agitur de gloria Christo exhibita a Deo.

Dominus turbari voluit, primo propter fidei documenta, ut scilicet veritatem humanae naturae approbaret: deinde propter exemplum: nam si omnia constanter egisset, et nullam passionem sensisset in anima, non fuisset sufficiens exemplum ad mortem sustinendam hominibus; et ideo turbari voluit, ut cum turbamur, non recusemus mortem sustinere, nec deficiamus. *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris* (Hebr. IV, 15).

Consequenter ponit Dominus petitionem gloriae, dicens: Et quid dicam? ubi Dominus transfert ad se affectum hominis turbati. Sed naturale est hominibus in angustiis constitutis, quod deliberent. Ideo Christus post manifestationem suae turbationis, statim subdit, et quid dicam, quasi diceret; quid faciendum est post turbationem?

Simile habetur in psalmo (54, 6): *timor et tremor venerunt super me*. Et statim sequitur: quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam. Nam et angustiati et passione turbati gravantur, et auxilium quaerunt quo liberentur. Petitionem ex uno motu causatam ponit; quia cum quis est in ambiguo quid agere debeat, debet recurrere ad Deum. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc

audere imitari; ita enim ille homo erat, ut et Deus esset; sed in eo quod homo erat, imitati sunt servi Dominum, et discipuli Magistrum; et fecerunt qui nos praecesserunt in familia ipsius, patres quidem nostri, sed conservi nostri; neque imperaret hoc Deus ut faceremus, si impossibile judicaret, ut hoc ab homine fieret.

Sed considerans infirmitatem tuam, deficis sub praecepto? Confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum est? Adest ille qui praebuit exemplum, ut praebeat et auxilium. Audiamus ergo in isto psalmo; opportune namque accidit, et illo procurante, ut ei consonaret Evangelium, commendans nobis dilectionem Christi, qui animam suam posuit pro nobis, ut et nos animam nostram pro fratribus ponamus (1 Jo. III, 16).

Concordavit et consonuit huic Psalmo, ut videamus

---

solum habemus refugii, ut oculos nostros dirigamus ad te, Deus noster (II Paral. XX, 12).

Sed notandum quod haec petitio non proponitur ex proprio motu rationis; sed ipsa ratio quasi advocata loquitur in persona naturalis affectionis, quae desiderabat non mori; et ideo ratio designat motum affectionis naturalis in hac petitione.

Ex quo solvitur quaestio quae fieri consuevit: quia ut dicitur ad Hebr. V, in omnibus exauditus est pro sua reverentia. Et tamen in hoc quod petiit non fuit exauditus.

Ad quod dicendum, quod in illis est exauditus quae ipsa ratio ex parte sua petebat, et ut exaudienda. Hoc autem quod hic petiit, non proponit ex parte sua, nec ut exaudienda, sed ut exprimens naturalem affectum; et ideo secundum Chrysostomum legitur interrogative.

Petitionem auten hanc ex motu naturalis appetitus propositam repellit, dicens: propterea veni in horam hanc, quasi diceret: Non est justum ut liberer ex hac hora passionis, quia ideo veni, ut paterer, non fatali necessitate ductus, non humana violentia coactus, sed sponte oblatus; oblatus est quia ipse voluit (Is. LIII, 7).

Petitionem autem suam proponit ratio, cum dicit: Pater, clarifica nomen tuum. Ubi per nomen tuum possumus intelligere, vel ipsum Filium, quia nomen est quo manifestatur res, et Filius manifestat Patrem secundum illud, Pater, manifestavi nomen tuum hominibus: vel ipsum nomen Patris; quia clarificato Filio, clarificatum est nomen Patris (Com. in Evang. Jo. Cp. XII, l. c. V).

quomodo ipse Dominus noster animam suam posuit pro nobis. Psalmus enim iste passionem ipsius cantat.

Et quoniam totus Christus caput est et corpus, quod bene vos esse non dubito; caput est ipse Salvator noster, passus sub Pontio Pilato, qui nunc posteaquam resurrexit a mortuis, sedet ad dexteram Patris (Mc. XVI, 19); *corpus autem ejus est Ecclesia* (Ephes. I, 23); non ista, aut illa, sed toto orbe diffusa; nec ea quae nunc est in hominibus qui praesentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt ante nos, et his qui futuri sunt post nos usque in finem saeculi. Tota enim Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput positum in caelis quod gubernat corpus suum; etsi separatum est visione, sed annectitur caritate.

Quia ergo totus Christus caput est et corpus ejus; propterea in omnibus Psalmis sic audiamus vocem capitis, ut audiamus et vocem corporis. Noluit enim loqui separatim, quia noluit esse separatus, dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* (Mt. XXVIII, 20).

Si nobiscum est, loquitur in nobis, loquitur de nobis, loquitur per nos; quia et nos loquimur in illo; et ideo verum loquimur, quia in illo loquimur. Nam quando in nobis et ex nobis loqui voluerimus, in mendacio remanebimus [1].

Nomine David in isto psalmo non alium quam ipsum Christum accipere debemus, qui venit ex semine David (Mt. I, 1), ut esset homo inter homines, et aequales angelis faceret homines.

Vocem autem in isto psalmo, si in membris ejus et

---

[1] Enar. in Psal. 56, n. 1.

in corpore sumus, sicut illo exhortante praesumere audemus, nostram debemus agnoscere, non alicujus extranei.

Nostram autem non sic dixi, quasi eorum tantum qui in praesentia sumus modo, sed nostram qui sumus per totum mundum, qui sumus ab oriente usque in occidentem. Et ut noveritis sic esse vocem nostram, loquitur hic quasi unus homo; non est autem unus homo, sed tamquam unus unitas loquitur. In Christo autem non omnes unus homo; quia hujus unius hominis caput est in caelo, et membra adhuc laborant in terra, et quia laborant, videte quid dicat.

Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meae Ps. 60, 2). Quis dicit? Quasi unus. Vide si unus: *a finibus terrae ad te clamavi, dum angeretur cor meum* (Ib. 3). Jam ergo unus, sed ideo unus, quia Christus unus, cujus omnes membra sumus.

Nam quis unus homo clamat a finibus terrae? Non clamat a finibus terrae nisi haereditas illa, de qua dictum est ipsi Filio: *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae* (Ps. 2, 8). Haec ergo Christi possessio, haec Christi haereditas, hoc Christi corpus, haec una Christi Ecclesia, haec unitas quae nos sumus, clamat a finibus terrae?

Quid autem clamat? Quod supra dixi: exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meae, a finibus terrae ad te clamavi. Id est, hoc ad te clamavi; a finibus terrae, id est, undique.

Sed quare clamavi hoc? Dum angeretur cor meum. Ostendit se esse per omnes gentes toto orbe terrarum, in magna gloria, sed in magna tentatione.

Namque vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione; quia provectus noster per tenta-

tionem nostram fit, nec sibi quisque innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum et tentationes habuerit.

Angitur ergo iste a finibus terrae clamans, sed tamen non relinquitur. Quoniam nos ipsos, quod est corpus suum, voluit praefigurare et in illo corpore suo, in quo jam et mortuus est et resurrexit, et in caelum ascendit, ut quo caput praecessit, illuc se membra secutura confidant.

Ergo nos transfiguravit in se, quando voluit tentari a Satana (Mt. IV, 1). Modo legebatur in Evangelio quia Dominus Jesu Christus in eremo tantabatur a diabolo. In Christo enim tu tentabaris, quia Christus de te sibi habebat carnem, de se tibi salutem, de te sibi mortem, de se tibi vitam, de te sibi contumelias, de se tibi honores; ergo de te sibi tentationem, de se tibi victoriam

Si in illo nos tentati sumus, in illo nos diabolum superamus. Attendis quia Christus tentatus est, et non attendis quia vicit? Agnosce te in illo tentatum, et te in illo agnosce vincentem. Poterat a se diabolum prohibere; sed si non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium non praeberet.

Itaque non mirum si inter tantas tentationes positus iste clamat a finibus terrae. Sed quare non vincitur? In petra exaltasti me. Jam ergo hic agnoscimus quis clamet a finibus terrae. Recolamus Evangelium: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (Mt. XVI, 18) Ergo illa clamat a finibus terrae, quam voluit aedificari super petram.

Ut autem aedificaretur Ecclesia super petram, quis factus est petra? Paulum audi dicentem: *Petra autem*

erat Christus (I Cor. X, 4). In illo ergo aedificati sumus. Propterea petra illa, in qua aedificati sumus, prior percussa est ventis, flumine, pluvia (Mt. VII, 24), quando Christus a diabolo tentabatur. Ecce in qua firmitate te voluit stabilire. Merito non vacat vox nostra, sed exauditur; in magna enim spe positi sumus; in petra exaltasti me [1].

41.—*Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me* (Ps. 29, 2). Fortasse non est ista vox Domini nostri Jesu Christi, sed ipsius hominis, sed universae Ecclesiae populi christiani; quia unus homo in Christo unus homo est, et unitas christianorum unus homo.

Nec jucundasti inimicos meos super me. Quos inimicos, judeaos? In dedicatione fundamenti ipsam dedicationem intelligamus domus futurae. Quod enim dicitur modo ex persona fundamenti, tunc dicetur ex persona universae domus.

Quos ergo inimicos? Judaeos, an potius diabolum et angelos ejus, qui confusi discesserunt, postquam Dominus resurrexit. Praepositus mortis doluit victam mortem. Et non jucundasti inimicos meos super me, quia teneri apud inferos non potui. *Domine, Deus meus, clamavi ad te et sanasti me* (Ps. 29, 3).

Oravit in monte Dominus ante passionem (Mt. XXVI, 39), sanavit eum. Quem sanavit qui nunquam aegrotavit? Verbum Deum, Verbum Divinitatem? Non, sed mortem carnis portabat, sanaturus te de vulnere tuo. Sanata est autem caro. Quando? Cum resurrexit. Audi Apostolum, vide veram sanitatem: *absorpta est,* ait,

---

[1] Enar. in Ps. 60, nn. 1-3.

mors in victoriam (1 Cor. XV, 54). Ergo exaltatio illa nostrae tunc erit vocis, Christi modo est exaltatio [1].

Et oratio mea in sinum meum convertetur (Ps. 34, 13). In hoc plane versu magnus sinus est, et praestet Dominus ut penetrabilis nobis sit.

In sinu enim secretum agnoscitur. Et quidem, fratres, et nos orare sic bene admonemur in sinu nostro, ubi Deus videt, ubi Deus audit (Mt. VI), quo nullus oculus humanus penetrat, quo non videt nisi qui subvenit; ubi oravit Susanna, et cum ejus vox ab hominibus non audiretur, a Deo tamen audita est (Dan. XIII, 34).

Et hoc bene admonemur; sed in Domino nostro aliquid plus debemus intelligere, quia et ipse oravit. Orationem enim ejus et de cruce audivimus: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Sed et ibi nos eramus. Quando enim eum dereliquit Pater, a quo nunquam discessit?

Legimus etiam in monte orasse solum Jesum, legimus pernoctasse in oratione, etiam sub tempore ipsius passionis (Mt. XIV, 23). In sinum ergo meum convertetur oratio mea.

Nescio quid melius intelligam de Domino; interim nunc quod occurrit, forte melius aliquid postea occurret, vel mihi, vel cuiquam meliori, in sinum meum convertetur oratio mea, hoc intelligo dictum, quia in sinu suo habebat Patrem. *Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi* (Cor. V, 19). In se habebat quem deprecaretur; non erat ab illo longe, quia ipse dixerat: *Ego in Patre et Pater in me est* (Jo. XIV, 10).

Sed quia oratio ad ipsum hominem magis pertinet;

[1] Enar. 2 in Ps. 29, nn. 5, 11, 12.

secundum enim quod Verbum est Christus, non orat sed exaudit; et non sibi subvenire querit, sed cum Patre omnibus subvenit; quid est oratio mea in sinum meum convertetur, nisi in me ipso humanitas interpellat Divinitatem [1].

Et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro. Forte quaerit aliquis, quae persona loquatur in hoc psalmo. Breviter dixerim, Christus est.

Sed sicut nostis, fratres, et saepe dicendum est, Christus aliquando loquitur ex se, id est, ex capite nostro. Est enim ipse Salvator corporis (Ephes. V, 23), caput nostrum, Filius Dei natus ex Virgine, passus pro nobis, resurgens ad nos justificandos, sedens ad dexteram Dei ad interpellandum pro nobis, retributurus omnia in judicio bona bonis, mala malis.

Caput nostrum ille, caput dignatus est corporis fieri, carnem assumendo a nobis, in qua moreretur pro nobis; quam etiam resuscitavit propter nos, ut in illa carne resurrectionis nobis praeberat exemplum, ut sperare disceremus quod desperabamus, et haberemus jam pedes in petra, ambularemus in Christo.

Loquitur ergo aliquando ex capite nostro, loquitur aliquando et ex nobis; id est, ex membris suis; quia etiam quando dixit: *esurivi et dedistis me manducare* (Mt. XXV, 35), ex suis membris loquebatur, non ex se. Et quando dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris* (Act. IX, 4), caput pro membris clamabat, et tamen non dixit, quid persequeris membra mea, sed quid me persequeris?

Si in nobis ipse patitur, et nos in illo coronabimur. Haec est caritas Christi. Quid huic comparari potest?

---

[1] Enar. 2 in Ps. 34, serm. 2, n. 5.

Hujus rei hymnum immisit in os nostrum, et dicit hoc ex membris suis [1].

Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? Hunc primum versum psalmi XLIII ipse Dominus de cruce dixit. Transfigurans enim nos in id quod dicebat, et in corpus suum, quia et nos sumus corpus ejus, ille caput nostrum, vocem de cruce non dixit suam, sed nostram.

Non enim unquam eum dereliquit Deus, nec ipse a Patre unquam recessit; sed propter nos dixit hoc, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Nam sequitur ibi: *longe a salute mea verba delictorum meorum* (Ps. XXI, 3). Et ostendit ex quorum persona hoc dixerit; non enim in ipso delictum potuit invenire.

Clamabo ad te, inquit in ipso psalmo, per diem et non exaudies; et nocte, subauditur utique et non exaudies; sed addidit, et non ad insipientiam mihi, id est, hoc ipsum quod non exaudies, non ad insipientiam mihi, sed ad intellectum.

Quid est ad intellectum non exaudies? Id est, me non exaudies ad temporalia, ut intelligam a te desideranda sempiterna. Non ergo relinquit Deus, et cum videtur relinquere, tollit quod male desiderasti, et docet quid debeas bene desiderare.

Si enim semper Deus in istis prosperitatibus faveret nobis, ut omnia nobis abundarent, nullamque in tempore isto mortalitatis nostrae tribulationem, nullas pressuras angustiasque pateremur; non diceremus nisi ista esse summa bona quae praestat Deus servis suis, et majora ab illo non desideraremus. Ideo autem huic

---

[1] Enar. in Ps. 39, n. 5.

vitae male dulci miscet amaritudines tribulationum, ut alia quae salubriter dulcis est, requiratur [1].

42.—Christus judaeis proposuit hujusmodi quaestionem: *Quomodo ipse David in spiritu dicit eum Dominum: dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, quoadusque ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo ille in spiritu Dominum eum dicit, quomodo filius ejus est* (Mt. XXII, 42-45)?

Quaestionem proposuit, non filium negavit. Audistis Dominum, dicite quomodo filius sit; audistis filium, dicite quomodo Dominus sit.

Hanc quaestionem solvit fides catholica. Quomodo Dominus? Quia in principio erat Verbum, et Deus erat Verbum. Quomodo Filius? Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quia ergo David in figura Christus est, Christus autem, ut saepe commemoravimus Caritatem vestram, et caput et corpus est, nec nos a Christo alienos dicere debemus, cujus membra sumus, nec nos quasi alterum computare; quia erunt duo in carne una. *Sacramentum hoc magnum est,* ait Apostolus, *ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Aphes. V, 31). Quia ergo totus Christus caput et corpus est, cum audimus intellectus ipsi David, intelligamus et nos in David. Intelligant membra Christi, et in membris suis intelligat Christus, et membra Christi intelligant in Christo; quia caput et membra unus Christus.

Caput in caelo erat, et dicebat: quid me persequeris (Act. IX, 4)? Nos cum illo in caelo per spem, ipse nobiscum in terra per caritatem.

Exaudi, Deus, deprecationem meam, et ne despexeris

[1] Enar. in Ps. 43, n. 2.

precem meam; intende mihi et exaudi me (Ps. 54). Satagentis, solliciti, in tribulatione positi, verba sunt ista. Orat multa patiens, de malo liberari desiderans; superest ut audiamus in quo malo sit; et cum dicere coeperit, agnoscamus ibi nos esse, ut communicata tribulatione, conjungamus orationem.

Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum. Ubi contristatus, ubi conturbatus? In exercitatione mea, inquit. Homines malos quos patitur, commemoraturus est, eamdemque passionem malorum hominum exercitationem suam dixit. Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur [1].

43.—Caritas ergo de puro corde est, quae est secundum Deum, et conscientia bona et fide non ficta (I Tim. I, 5). Ista caritas definita ab Apostolo, habet duo praecepta, dilectionis Dei et dilectionis proximi. In nullis Scripturis aliud requiratis, nemo vobis aliud praecipiat. Quidquid obscurum est in Scriptura, haec ibi occulta est: quidquid ibi planum est, haec ibi aperta est. Si nusquam aperta esset, non te pasceret; si nusquam occulta, non te exerceret. Haec caritas clamat de corde puro, de corde talium in his verbis, qualis hic modo orat. Et quis iste sit, cito dixerim, Christus est. Audituri autem estis verba, quae de Domino Jesu Christo indigne accipiuntur, et putabit parum intelligens temere me dixisse Christi esse personam in hoc psalmo.

Quomodo enim potest de Domino nostro Jesu Christo,

---

1 Enar. in Ps. 54, nn. 3, 4.

de illo agno immaculato, de illo in quo solo non est inventum peccatum, qui solus verissime dicere potuit: *ecce venit princeps mundi hujus, et in me nihil inveniet* (Jo. XIV, 30), id est, nullam culpam, nullum reatum: *qui solus quod non rapuit, exolvebat* (Ps. 68, 5); qui solus innocentem sanguinem fudit, Filius Dei unicus carnem accipiens, non qua ipse minueretur, sed qua nos augeret; quomodo ergo de ista persona recte accipitur: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiae circum labia mea, ut non declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis?* (Ps. 140, 3, 4).

Manifestissime quippe iste est sensus. Custodi, Domine, os meum janua quadam et ostio praecepti tui, ut in verba maligna non declinetur cor meum. Quae verba maligna? Quibus excusantur peccata; ne, inquit, peccata mea malim excusare quam accusare.

Haec verba in ipsum Dominum nostrum Jesum Christum non cadunt. Quae enim ille peccata commisit, quae confiteri potius quam defendere debuisset?

Nostra verba ista sunt; certe Christus loquitur; si nostra verba sunt, quomodo Christus loquitur? Et ubi est caritas de qua loquebatur? Nescitis quia ipsa unum nos fecit in Christo? Caritas clamat ad Christum de nobis, caritas clamat de Christo pro nobis. Quomodo caritas clamat ad Christum de nobis? *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Joel, II, 32). Quomodo caritas de Christo pro nobis? *Saule, Saule, quid me persequeris?*

Vos, inquit Apostolus, *estis corpus Christi et membra* (1 Cor. XII, 27). Si ergo ille caput, nos corpus, unus homo loquitur; sive caput loquatur, sive membra, unus Christus loquitur.

Et capitis est proprium loqui etiam in persona membrorum. Ipsam nostram consuetudinem advertite. Primo quomodo loqui in membris nostris non potest nisi caput. Jamvero caput nostrum quomodo loquatur in persona omnium membrorum, advertite.

In angusto tibi pedem aliquis calcat: calcas me, dicit caput. Vulneravit tibi aliquis manum: vulnerasti me, dicit caput. Caput tuum nullus tetigit, sed loquitur unitas compaginis corporis tui. Omnium membrorum tuorum personam illa, quae inc apite est, lingua suscepit, ipsa pro omnibus verbo fungitur.

Sic ergo audiamus Christum loquentem; sed unusquisque agnoscat ibi vocem suam, tamquam haerens in Christi corpore.

Aliquando enim dicturus est verba, in quibus nullus nostrum inveniat personam suam, sed ad solum caput pertineant, non se tamen separat ex verbis nostris et ad sua propria tollit, vel a suis propriis non ad nostra redit.

De ipso enim et de Ecclesia dictum est: *Erunt duo in carne una* (Gen. II, 24). Unde et ipse in Evangelio dicit de hac ipsa re, *jam igitur non sunt duo, sed una caro* (Mt. XIX, 6).

Haec nova non sunt, a vobis semper audita sunt, sed per occasiones necesse est commemorentur, primo quia ipsae Scripturae, quas tractamus, ita sibi sunt innexae, ut multa in multis repetantur, et utile est. Cura enim mundi spinas habet, et offocat semina; oportet sepius a Domino commemorari, quod cogit mundus oblivisci.

Domine, clamavi ad te, exaudi me (Ps. 140, 1). Hoc omnes possumus dicere. Hoc non dico, totus Christus dicit. Sed magis ex persona corporis dictum est; quia

et cum hic esset, carnem portans oravit, et ex persona corporis oravit Patrem, et cum oraret, globi sanguinis de toto corpore ejus destillabant.

Sic scriptum est in Evangelio: *Oravit Jesus intenta oratione, et sudavit sanguinem* (Lc. XXI, 44). Quid est de toto corporis sanguinis effluxio, nisi de tota Ecclesia martyrum passio?

Domine, clamavi ad te, exaudi me; intende voci deprecationis meae, dum clamavero ad te. Jam finitum negotium clamandi putabas cum diceres, clamavi ad te. Clamasti, jam noli esse securus. Si finita est tribulatio, finitus est clamor; si autem manet tribulatio Ecclesiae et corporis Christis usque in finem saeculi, non tantum dicat, clamavi ad te, exaudi me; sed intende voci deprecationis meae, dum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea tamquam incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum (Ps. 140, 2). Hoc de ipso capite solere intelligi, omnis christianus agnoscit. Declinante enim jam die in vesperum, Dominus in cruce animam deposuit recepturus, non amisit invitus (Mt. XXVII, 46). Sed tamen et ibi nos figurati sumus. Quid enim illius pependit in ligno nisi quod de nobis accepit?

Et unde fieri potest, ut aliquando Deus Pater dimittat et deserat unicum Filium, qui utique cum illo unus Deus est? Et tamen nostram infirmitatem figens in cruce, ubi vetus homo noster, sicut dicit, Apostolus, confixus est cruci cum illo (Rom. VI, 6), ex voce ipsius hominis nostri clamavit, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Ps. 21, 2).

Illud ergo est sacrificium vespertinum, passio Domini, crux Domini, oblatio victimae salutaris, holo-

caustum acceptum Domino. Illud sacrificium vespertinum fecit in resurrectione munus matutinum. Oratio ergo pure dicta de corde fideli, tamquam de ara sancta surgit incensum. Nihil est delectabilius odore Domini; sic oleant omnes qui credunt.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae circa labia mea. Haec verba jam sunt vox corporis sui. Non dixit claustrum continentiae, sed ostium. Ostium et aperitur et clauditur; ergo si ostium est, et aperiatur et claudatur; aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati. Ita enim erit ostium continentiae, non ruinae.

Quid enim nobis prodest hoc ostium continentiae? Quid orat ex persona corporis Christus? Ut non declines, inquit, cor meum in verba maligna.

Quid est cor meum? Cor Ecclesiae meae, cor utique corporis mei. Verba illa attendite, ubi nobis regula figitur, *Saule, Saule, quid me persequeris* (Act. IX, 4), cum ipsum nemo tetigisset.

Esurivi et cibastis me; sitivi et potum dedistis mihi etc. Et illi, quando te vidimus esurientem aut sitientem? Et illo; *cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Mt. XXV, 35).

Haec christianis inusitata esse non debent, maxime in quibus regulae fixae sunt, et ceterorum intelligendorum, et aut non turbabuntur, aut cito corrigentur. Sicut ergo ibi dicturi sunt justi, Domine, quare dixisti esurivi et dedistis mihi manducare, quando vidimus te esurientem; et ille responsurus est, cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; sic et hic dicamus Christo intus in interiore homine nostro, quia ibi per fidem habitare dignatur (Ephes. III, 17). Non enim absens est

a nobis, et non est cui dicamus, cum ipse dicat: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* (Mt. XXVIII, 20).

Dicamus ergo illi et nos, quoniam vocem ejus in hoc psalmo accepimus. Ejus vox est enim, quod nemo negat, elevatio manum mearum sacrificium vespertinum. Dic ergo consequenter, pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiae circum labia mea; ut non declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis.

Quare sic oras, Domine, quae peccata tua excusaturus es? Respondet, cum unum ex membris meis sic orat, ego sic oro; sicut ibi respondit, cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis [1].

44.—Proinde homo Christus idemque Deus Christus, cujus misericordissima humanitate, atque in cujus forma servili discere deberemus, quid in hac vita contemnendum, et quid in alia sperandum esset, in ipsa passione, in qua sibi ejus inimici magni victoresque videbantur, suscepit vocem infirmitatis nostrae, qua simul crucifigebatur vetus homo noster, ut evacuaretur corpus peccati, et dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?*

Proinde eumdem psalmum, cujus prophetiam Dominus ad se pertinere demonstrans, ejus primum versum exclamavit, cum penderet in ligno, commemorando exponendoque percurram, ut ex hoc intelligas quemadmodum gratia Testamenti novi nec eo tempore tacebatur, quando in vetere velabatur.

Dicitur enim ex persona Christi, quod ad formam servi attinet, in qua portabatur nostra infirmitas. Dixit

---

[1] Enar. in Ps. 140, nn. 2-7.

enim et de illo Isaias: *Ille infirmitates nostras portat, et pro nobis in doloribus est* (Isai. LIII). Ex hujus igitur infirmitatis voce, de qua Paulus in eo quod petebat non exauditus, et ideo quodammodo derelictus, audit tamen a Domino: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (2 Cor. XII, 9); ex voce ergo hujus infirmitatis nostrae, quam in se transfiguravit caput nostrum, dicitur in hoc Psalmo: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti* (Ps. 21, 2)? In eo quippe derelinquitur deprecans in quo non exauditur. Hanc in se vocem transfiguravit Jesus, vocem scilicet corporis sui, hoc est, Ecclesiae suae a vetere homine in novum reformandae, vocem scilicet infirmitatis suae humanae cui deneganda fuerant bona veteris Testamenti, ut bona novi Testamenti optare atque sperare jam disceret.

Haec verba, *Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti, longe a salute mea verba delictorum meorum,* ex persona sui corporis Christus dicit, quod est Ecclesia. Haec ex persona dicit infirmitatis carnis peccati, quam tramsfiguravit in eam, quam sumpsit ex Virgine, similitudinem carnis peccati; haec sponsus ex persona sponsae loquitur, quia univit eam sibi quodam modo. Et apud Isaiam ubi dicit: *sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento; alligavit mihi et ornavit me* (Is. LXI, 10), tamquam unius vox est, et tamen sponsum et sponsam Christum intelligimus et Ecclesiam.

Sed, *erunt duo in carne una, sacramentum magnum,* dicit Apostolus, *in Christo et in Ecclesia* (Eph. V, 32); igitur non jam duo, sed una caro. Si ergo una caro, profecto competenter etiam vox una.

Quid hic quaeris humana infirmitas vocem Verbi,

per quod facta sunt omnia? Audi potius vocem carnis, quae facta est inter omnia; quoniam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Audi potius medicinae vocem, qua sanaris ut videas Deum, quem tibi videndum distulit, hominem autem videndum attulit, occidendum obtulit, imitandum contulit, credendum transtulit, ut ista fide ad videndum Deum mentis oculus sanaretur.

Quid ergo dedignamur audire vocem corporis ex ore corporis? Ecclesia in illo patiebatur quando pro Ecclesia patiebatur. Sicut etiam in Ecclesia patiebatur ipse, quando pro illo Ecclesia patiebatur. Nam sicut audivimus Ecclesiae vocem in Christo patientis, Deus meus, meus, respice; sic etiam audivimus Christi vocem in Ecclesia patientis, *Saule, Saule quid me persequeris* [1].

45.—*Erue a framea animam meam* (XXI, 21). Framea gladius est; nec utique tali ferro Christus occisus est, sed cruce; nec latus ejus gladio, sed lancea percusserunt.

Translato ergo verbo, frameam linguam dixit persequentium, sicut in alio psalmo dicitur, *et lingua eorum gladius acutus* (Ps. 56, 5). Unde quia in ejus carne lingua praevaluit malignorum, orat ut animae nihil noceat, cum dicit, erue a framea animam meam; ut haec in prophetia oratio, si ad caput corporis referas, non videatur velut indigentis petitio, sed potius rei futurae figurata praedictio.

Aut certe, quia corpus ejus, hoc est Ecclesia, graves persecutiones fuerat perpessura, frameam dixit, qua maxime trucidati sunt martyres, unde vult eorum animas

---

[1] Epist. 140, De Grat. Nov. Testamenti, nn. 15-18.

erui, ne timeant eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt, et consentiant ad illicita.

Aut etiam in ipsorum passionibus inimicorum linguam frameam dicit, unde animam suam, hoc est animam corporis sui, animam sanctorum suorum vult erui.

Quod autem sequitur, et de manu canis unicam meam, nihil aptius quam unica Ecclesia mihi videtur intelligi. Canem vero appellavit mundum, non ratione sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantem.

Haec est enim canum natura, ut cum habet consuetudinem, sive illi boni, sive mali sint, non ad eos latrent; insolitorum autem personis visis, etiam innocentibus irritentur. Manu autem canis, potestatem mundi significat. Cujus etiam regnum, infestum futurum corpori suo, id est Ecclesiae suae, leonis nomine figuravit in eo quod adjunxit: *salvum me fac de ore leonis*. Unde est scriptum: *nihil interest inter minas regis et iram leonis* (Prov. XIX, 12); quamquam et diabolum apostolus Petrus leoni comparet rugienti et quaerenti circumeundo quem devoret (1 Petr. V, 8). Superbosque hujus mundi christianis humilibus adversaturos ostendens, consequenter dicit, et a cornibus unicornium humilitatem meam. Ideo quippe in unicornibus superbi intelliguntur; quia superbia odit consortium, et quantum in ipso est, solus cupit eminere omnis superbus.

Jam nunc attende ubi sit fructus, vel quod derelictus est, ne exaudiretur pro terrena felicitate, non ad insipientiam, sed ut saperemus quid novi gratia Testamenti desiderare debeamus; vel quod non est derelictus, sed exauditus in eo quod ait, ne discedas a me, qui dixerat quare me dereliquisti; quod utique contrarium est, nisi illud ad aliud referatur.

Attende et audi quantum sapis, hauri quantum capis, quantumque ipse rem tantam eloqui valeo, imo quantum tribuit ille, qui nos exaudit, et in Christo in quantum homo mediator est inter nos et Deum (1 Tim. II, 5), et cum Christo in quantum Deus aequalis Deo, et potens est facere, ut ait Apostolus, supra quam petimus aut intelligimus (Ephes. III, 20); vide in hoc psalmo Testamenti novi gratiam, vide illius derelictionis, tribulationis, deprecationis fructu quid agatur, quid insinuetur, quid commendetur, quid illustretur.

Intuere quid legamus tanto ante prophetatum, quid jam cernamus impletum. *Narrabo nomen tuum,* inquit, *fratribus meis, in medio Ecclesiae cantabo te* (Ps. XXI, 23). Fratres illi sunt de quibus in Evangelio ait, *vade et dic fratribus meis* (Jo. XX, 17). Ecclesia illa est, quam modo dixit unicam suam; haec est unica Catholica, toto orbe copiosa diffunditur, quae usque ad ultimas gentes crescendo prorrigitur. Unde in Evangelio dicit: *et praedicabitur hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet finis.*

Quod autem ait, cantabo, hoc est illud canticum novum, de quo in alio psalmo dicitur: *cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra* (Ps. 95, 1). Habes hic utraque, et quo cantico cantaturum se dixerit, et in cujus Ecclesiae medio; illud pertinet ad novum canticum, haec omnem ad terram.

Ipse quippe cantat in nobis cujus gratia cantamus, sicut dicit Apostolus: *an vultis experimentum ejus accipere, qui in me loquitur Christus* (II Cor, XIII, 3)? Medium vero Ecclesiae ad eminentiam scilicet referas, et ad ipsam manifestationem; quia omnia quanto clarius nota sunt, tanto magis in medio esse dicuntur; vel certe ad interiores Ecclesiae, quia interiora sunt media.

Neque omnis, qui labiis personat, cantat canticum novum; sed qui eo modo cantat, ut Apostolus admonet dicens: *cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino* (Ephes. V, 19). Intus enim est hoc gaudium, ubi vox laudis et canitur et auditur; qua voce laudatur, qui gratis amandus est toto corde, tota anima, tota mente, amatoremque suum accendit in se gratia Spiritus sancti. Quid enim aliud est canticum novum, quam laus Dei? [1].

46.—Oravit saepius in terra. *Timeat Deum omne semen Israel.* Et vide causam quam conjungit: *quoniam non sprevit, neque despexit precem pauperis* (Ps. 21, 25). Pauperem humilem dicit. Hinc est, *noli altum sapere, sed time* (Rom. XI, 20).

Timeat ergo eum omne semen Israel, quoniam non despexit ejus precem, qui non altum sapuit, sed timuit.

Potest et hoc capiti coaptari; *quia ipse salvator corporis propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut ejus paupertate ditaremur* (1 Cor. VIII, 9).

Ex forma enim servi pauper factus est, ex qua et precem fudit; in ea quippe semetipsum *humiliavit factus obediens usque ad mortem* (Phil. II, 8).

Vide ergo quid dicat; quoniam non sprevit neque despexit precem pauperis, neque avertit faciem suam a me. Ubi est illud: *quare me dereliquisti,* si nec faciem avertit ab eo? Nisi quia et derelinquens non derelinquit, quando in bonis temporalibus non exaudit; et non ad insipientiam nobis, sed ut sapiamus quid auferat, et quid offerat nobis.

Non, inquit, sprevit neque despexit precem pauperis, neque avertit faciem suam a me; et cum clamarem ad

[1] Epist. 140 ad Honorat. nn. 41-44.

eum, exaudivit me. Fecit ergo quod paulo ante rogatus est, ubi eum deprecans dixit: ne discedas a me. Si enim exaudivit, profecto fecit, non utique discedit [1].

Domine Deus salutis meae, in die clamavi et nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam (Ps. 87, 2, 3). Oravit enim et Dominus, non secundum formam Dei, sed secundum formam servi; secundum hanc enim et passus est.

Oravit autem et cum in laetis rebus ageret, quod diei nomine; et cum in adversis, quod noctis nomine significari arbitror. Ingressus orationis in conspectu Dei, acceptatio ejus est; inclinatio auris Dei, misericors exauditio est; nam membra talia qualia nos habemus in corpore, non habet Deus. Est autem solita repetitio; nam quod est, intret in conspectu tuc oratio mea, idipsum est inclina aurem tuam ad precem meam [2].

47.—Christus oravit pro discipulis et nobis. *Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi* (Ps. 108, 4). Sex sunt in isto genere differentiae, quae commemoratae animadverti facillime possunt, reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis, reddere bona pro bonis, reddere mala pro malis; non reddere bona pro bonis, reddere mala pro bonis.

Horum duo prima bonorum sunt, et eorum duorum prius melius; postrema duo malorum, et eorum posterius deterius; duo media quodammodo mediorum, sed eorum prius propinquum bonis, posterius propinquum malis.

Haec in Scripturis sanctis oportet attendere. *Reddit bona pro malis ipse Dominus, qui justificat impium*

---

[1] Epist. 140 ad Honorat. n. 59.
[2] Enar. in Ps. 87, n. 2.

(Rom. IV, 5), et pendens in cruce dixit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Lc. XXIII, 34).

Cum ergo Christus dixisset; pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi; quid ait? Ego autem orabam.

Non quidem dixit quid orabat; sed quid melius intelligimus, quam pro eis ipsis? Crucifixo enim maxime detrahebant, quando veluti homini, quem quasi vicerant, illudebant: de qua cruce ille dixit: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Ut quoniam in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, ille in summo benignitatis redderet bona pro malis. Quamquam bene intelligatur etiam pro discipulis suis orasse, quod etiam ante passionem suam dixit, ne deficeret fides eorum (Lc. XXII, 32), quando ipse pendens in ligno, ut commendaret patientiam, non ostendebat potentiam inter verba detrahentium, quo posset divina potestate delere.

Sed nobis utilius erat, quod patientiae praebebat exemplum, quam si suos inimicos sine dilatione perdendo, ad hoc nos aedificaret, ut impatienter festinaremus de his quos malos patimur vindicari, cum scriptum sit: *melior est patiens quam vir fortis* (Prov. XVI, 32).

Docent igitur nos divina eloquia dominico exemplo, cum audimus, pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi, ego autem orabam; ut quando aliquos sentimus ingratos, non solum non reddentes bona, sed insuper reddentes mala pro bonis, nos oremus.

Et ipse quidem pro aliis vel saevientibus, vel dolentibus, et in fide periclitantibus; nos vero etiam pro nobis primitus, ut animum nostrum Deo miserante atque opitulante vincamus, quo ferimur in ulciscendi cupiditatem, cum detrahimur sive praesentibus, sive absentibus nobis.

Deinde cum Christi patientiam recordamur, tamquam ipso excitato, sicut factum est, cum dormiret in navi (Mt. VIII, 24), qui perturbationem cordis nostri tempestatemque tranquillat, animo sedato atque placato oremus etiam pro ipsis detractoribus nostris, ut securi dicamus: *dimitte nobis, sicut et nos dimittimus.* Sed ille dimittebat, qui peccatum, quo ei dimitteretur, utique non habebat [1].

Dominus Jesus jam sua propinquante passione, cum orasset pro discipulis suis, quos et Apostolos nominavit, cum quibus cenaverat ultimam cenam, de qua traditor ejus per bucellam manifestus exierat, et cum quibus post ejus egressum antequam pro eis oraret, multa jam fuerat locutus; adjunxit et ceteros, qui in eum fuerant credituri, et ait ad Patrem, *non pro eis autem rogo tantum,* id est, pro discipulis, qui cum illo tunc erant; *sed et pro eis,* inquit, *qui credituri sunt per verbum eorum in me* (Jo. XVII, 20).

Ubi omnes suos intelligi voluit, non solum qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant. Quotquot enim postea crediderunt in eum, per verbum Apostolorum sine dubio crediderunt, et donec veniat credituri sunt; ipsis enim dixerat: *et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis* (Jo. XV, 27); et per hos Evangelium ministratum est, et antequam scriberetur; et utique quisquis in Christum credit, Evangelio credit.

Non itaque hi tantum intelligendi sunt quos ait in se credituros per verbum eorum, qui ipsos cum in carne viverent, Apostolos audierunt; sed et post obitum eorum, et nos longo post nati, per verbum eorum credimus in Christum. Quoniam ipsi qui cum illo tunc

---

[1] Enar. in Ps. 108, nn. 4, 5.

fuerunt, quod ab illo audierunt, ceteris praedicaverunt; atque ita verbum eorum ut etiam nos crederemus, ad nos est ad posteros, quicumque, ubicumque postea in eum credituri sunt [1].

48.—Oravit in cruce pro inimicis. *Et tu, Domine Deus miserator et misericors, longanimis et multum misericors et verax* (Ps. 85, 15). Quare longanimis et multum misericors et miserator? Quia in cruce pendens ait: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Quem petit, pro quibus petit, quis petit, ubi petit? Patrem Filius, pro impiis crucifixus, inter ipsas injurias, non verborum, sed mortis illatae, pendens in cruce; tamquam ad hoc extentas manus habuerit, ut sic pro illis oraret, ut dirigeretur oratio ejus tamquam incensum in conspectu Patris, et elevatio manuum ejus sacrificium vespertinum [2].

Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis (Jo. XIII, 34). *In hoc cognoscimus quia in ipso sumus, si in ipso perfecti fuerimus* (1 Jo. II, 5). Perfectos in dilectione vocat.

Quae est perfectio dilectionis? Et inimicos diligere, et ad hoc diligere ut sint fratres. Sic dilige inimicos tuos, ut fratres optes; sic dilige inimicos tuos, ut in societatem tuam vocentur.

Sic enim dilexit ille qui in cruce pendens ait: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Neque enim dixit, Pater, vivant isti multo tempore, me quidem occidunt, sed ipsi vivant. Mortem sempiternam ab eis

---

[1] In Jo. Evangel. Tract. 109, n. 1. Cf. num. seq. et Trac. 110, n. 1.
[2] Enar. in Ps. 85, n. 20.

expellebat, prece misericordissima et potentia praestantissima.

Multi ex eis crediderunt, et dimissus est eis fusus sanguis Christi. Primo fuderunt, cum saevirent; nunc biberunt, cum crederent.

In hoc cognoscimus quia in ipso sumus, si in ipso perfecti fuerimus. De ipsa perfectione diligendorum inimicorum Dominus admonens, ait: *estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* (Mt. V. 48). Qui ergo dicit se in ipso manere, debet sicut ipse ambulavit et ipse ambulare. Hoc nos monet ut ambulemus in via justitiae. Christus fixus in cruce erat, et in ipsa via ambulabat, ipsa est via caritatis: *Pater ignosce illis*. Sic ergo si didiceris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini [1].

49.—Ecce post sermonem fit missa catechumenis: manebunt fideles, venietur ad locum orationis. Scitis quo accessuri sumus, quid prius Deo dicturi sumus? *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Modo es oraturus, mitte ex toto corde. Dic cordi tuo: noli odisse. Sed non vult dimittere anima tua, et contristatur, quia dicis ei: noli odisse.

Vide Deum tuum, qui pro te pependit in ligno, et nondum est vindicatus. Quid vis vindicari? Ideo enim odisti, ut vindiceris. Vide pendentem Dominum tuum, vide pendentem et tibi de ligno tamquam de tribunali praecipientem. Vide pendentem et tibi languentem de suo sanguine medicamentum facientem. Vide penden-

---

[1] In epist. I Jo. n. 9.

tem, audi precantem: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt [1].

Primo enim non obliviscens in cruce personam suam, et demonstrans nobis patientiam suam, et exemplum praebens diligendi inimicos nostros; videns eos circumfremere, qui noverat morbum illorum, quia medicus, qui noverat phrenesim in qua mentem perdiderant, continuo ad Patrem: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Putatis autem, quia non illi judaei maligni erant, saevi, cruenti, turbulenti, inimici Filio Dei? Putatis quia vacavit vox illa et inanis fuit, Pater, ignosce illis?

Omnes videbat, sed suos futuros ibi cognoscebat. Denique mortuus est, quia sic expediebat, ut morte sua occideret mortem. Mortuus est Deus, ut compensatio fieret caelestis cujusdam mercimonii, ne mortem videret homo. Deus enim Christus, sed non ibi mortuus ubi Deus. Idem enim Deus, idem homo; unus enim Christus, Deus et homo. Homo assumptus est, ut in melius mutaremur, non Deum ad deteriora detorsit. Assumpsit enim quod non erat, non amisit quod erat [2].

Dominus noster Jesus Christus jubet nobis aliquid, et promittit nobis aliquid. Quod jubet, hic est; quod promittit, alibi est. Quod jubet, finitur, quia temporale est; quod promittit, non finitur, quia aeternum est. Quod jubet, opus est; quod promittit, merces est.

Hic advertat vestra Sanctitas, quanta est ejus misericordia erga nos, ut laborem hic posuerit cum fine, mercedem in caelo sine fine. Et ideo debemus hic prius laborare, et postea in caelo mercedem sumere, quam hic mercedem vel accipere, et postea laborare.

---

[1] Serm. 49 de verb. Mich. nn. 8, 9.

[2] Serm. 80 de verb. Mt. XVII, n. 5.

De quibusdam enim dicit: *amen dico vobis, perceperunt mercedem suam* (Mt. VI, 7). Sed forte avidus es ad mercedem, et piger ad laborem. Qua fronte postulas quod promisit Deus, si non facis quod jussit Deus? Prius audi monitiones, et sic exige repromissiones. Prius, inquam, audi jubentem, et tunc exige pollicentem.

Jubet enim nobis et dicit: *diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt; et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

Audisti opus, expecta mercedem: *ut sitis,* inquit, *filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

Attende ipsum Dominum qui hoc jussit, quid fecerit. Nonne post tanta quae in eum commiserunt impii Judaei, qui retribuebant ei mala pro bonis, pendens in cruce, ait: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt?

Oravit in homine, qui exaudivit cum Patre. Nam et modo orat pro nobis, orat in nobis, et oratur a nobis. Ut sacerdos noster orat pro nobis, ut caput nostrum orat in nobis, ut Deus noster oratur a nobis.

Quando ergo in cruce pendens orabat, videbat et praevidebat omnes inimicos; sed multos ex illis futuros amicos praevidebat, et ideo omnibus veniam postulabat. Illi saeviebant, et ille orabat. Illi dicebant Pilato, crucifige; ille clamabat: Pater, ignosce. In asperis clavis pendebat; sed lenitatem non amittebat. Illis jam petebat veniam, a quibus tantam accipiebat injuriam. Illi saeviebant, illi circumlatrabant, illi insultando caput agitabant, quod sanum non habebant; quia caput quod est Christus, non habebant, et quasi si non uno summo medico in medio constituto phrenetici circum-

quaque saeviebant; pendebat ille et sanabat. Pater, inquit, ignosce illis.

Attendite, fratres. Magna pietas. Pendebat et tamen petebat. Et non descendebat, quia de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat. Denique post resurrectionem sanavit, quos pendens insanissimos toleravit; et sanguinem quem fuderunt saevientes, biberunt credentes; et facti sunt sequentes, qui erant persequentes. Ecce quare venit Christus, non perdere quod invenerat, sed quaerere et salvare quod perierat (Lc. XIII, 10); ut diligendo saevientes inimicos, faceret credentes amicos [1].

Ideo Christiani facti sumus, ut similes Christo simus. Christianus es, in fronte portas crucem Christi. Character tuus docet quid profitearis. Quando ille in cruce pendebat, quam crucem portas in fronte; non signum ligni te delectat, sed signum pendentis, quando ergo ille pendebat in cruce, saevientes circumspiciebat, insultantes ferebat, pro inimicis orabat.

Medicus etiam cum occideretur, suo sanguine aegrotos sanabat. Dixit enim: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Lc. XXIII, 34). Nec ista vox vacua vel inanis fuit. Et ex ipsis postea millia crediderunt in eum, quem occiderant, ut discerent pati pro ipso, qui pro ipsis et ab ipsis passus est.

Hinc ergo intelligitur ab isto signo, ab isto charactere, quem accipit christianus, quare sumus christiani, quia non propter temporalia et transeuntia, vel bona vel mala, sed propter vitanda mala quae non transibunt, et propter adipiscenda bona quae terminum non habent [2].

---

[1] Serm. 382 de S. Stephan. nn. 1, 2.

[2] Serm. 302 in solemnit. S. Laurent. n. 3. Cf. Serm. 284, in Natal. S. Marian., n. 6.

50.—Christus orat in caelo. *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die* (Ps. 85, 3), non una die. Tota die, omni tempore intellige, ex quo corpus Christi gemit in pressuris, usque in finem saeculi quo transeunt pressurae, gemit iste homo, et clamat ad Deum; et unusquisque nostrum pro portione habet clamorem suum in toto isto corpore.

Clamasti tu diebus tuis, et transierunt dies tui; successit tibi alius, et clamavit diebus suis; et tu hic, ille ibi, ille alibi; corpus Christi tota die clamat sibi decedentibus et succedentibus membris.

Unus homo usque in finem saeculi extenditur. Eadem membra Christi clamant, et quaedam membra jam in illo requiescunt, quaedam modo clamant, quaedam vero cum ipsi nos requieverimus clamabunt, et post illa alia clamabunt. Totius corporis Christi hic attendit vocem dicentis, ad te clamavi tota die. Caput autem nostrum ad dexteram Patris interpellat pro nobis (Rom. VIII, 34).

Alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat [1].

Dominus noster Jesus adhuc interpellat pro nobis. Omnes martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster. Cum autem transierit gemitus noster, omnes in una voce, in uno populo, in una patria consolabimur, millia millium conjuncta psallentibus angelis, choris caelestium Potestatum in una civitate viventium [2].

---

[1] Enar. in Ps. 85, n. 5.
[2] Enar. in Ps. 85, n. 24.

51.—Evangelii lectio quam modo audivimus, nimirum, navicula autem in medio mari jactabar fluctibus etc. (Mt. XIV), admonet humilitatem nostram, videre et cognoscere ubi simus, et quo nobis tendendum et festinandum sit.

Non enim nihil significat navis illa portans discipulos, quae contrario vento laborabat in fluctibus. Neque sine causa Dominus relictis turbis ascendit in montem ut solus oraret; deinde veniens ad discipulos suos periclitantes invenit, ambulans super mare, et confirmavit eos ascendens in navem, fluctusque placavit. Quid autem mirum, si omnia placare potest, qui condidit omnia?

In omnibus tamen quae fecit Dominus, admonet nos quemadmodum hic vivamus. Nemo quippe in hoc saeculo non peregrinus est, quamvis non omnes ad patriam redire desiderent. Ex ipso autem itinere fluctus tempestatesque patimur; sed opus est vel in navi simus. Nam si in navi pericula sunt, sine navi certus interitus. Opus est ergo ut in navi simus, hoc est, ut in ligno portemur, ut mare hoc transire valeamus. Hoc autem lignum, quo infirmitas nostra portatur, crux est Domini, in qua signamur, et ab hujus mundi submersionibus vindicamur. Patimur fluctus; sed ille Deus est, qui opituletur nobis.

Quod enim ascendit relictis turbis solus Dominus orare in montem, mons ille alta caelorum significat. Relictis enim turbis, solus Dominus post resurrectionem ascendit in caelum, et ibi interpellat pro nobis, sicut Apostolus dicit. Est ergo quod significat, relictis turbis, ascendit in montem ut solus oraret.

Solus enim est adhuc primogenitus a mortuis post resurrectionem corporis ad dexteram Patris, pontifex

et advocatus precum nostrarum. Caput Ecclesiae sursum est, ut cetera membra sequantur in finem. Si ergo interpellat pro nobis, quasi in montis verticem, super celsitudinem omnium creaturarum solus orat.

Interea navis portans discipulos, id est Ecclesia, fluctuat et quatitur tempestatibus tentationum; et non quiescit ventus contrarius, id est, adversans ei diabolus, et impedire nititur ne perveniat ad quietem.

Sed major est qui interpellat pro nobis. Nam in ista nostra fluctuatione in qua laboramus, dat nobis fiduciam, veniens ad nos et confortans nos; tantum ne turbati in navi excutiamus nos et projiciamus in mare. Quia etsi turbatur navis, navis est tamen. Sola portat discipulos, et recipit Christum. Periclitatur quidem in mari; sed sine illa statim peritur.

Tene te itaque in navi et roga Deum. Deficientibus enim omnibus consiliis, cum neque gubernacula suffecerint, et ipsa velorum extensio majori periculo quam utilitati fuerit; dimissis humanis omnibus adjutoriis, sola restat nautis intentio deprecandi et voces ad Deum fundendi. Qui ergo praestat navigantibus, ut perveniant ad portum, nunquid Ecclesiam suam dimissurus est, ut eam non perducat ad requiem? [1].

---

[1] Serm. 75 de verbis. Mt. XIV, nn. 1-4. **Doctrina divi Thomae:** *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (Rom. VIII).

Aliquis propter culpam laeditur a duobus: ab accusatione, et a judice condemnante. Sancti vero ex neutro capite laedi possunt. Nam sunt a Deo electi et approbati; qui accusat, improbat eum quem accusat, non autem valet alicujus accusatio contra Dei approbationem: unde dicitur: *projectus est accusator fratrum nostrorum* (Apocalypsis XII, 10).

Nec Deus condemnat justos, sed injustos.

Cum dicit, Christus Jesus, excludit obviationem. Posset aliquis timere, ne a Christo Jesu aliquis accusaretur et condemnaretur tam-

52.—Aliquando nec in caelo jam Christus orabit. Deinde finis; *cum tradiderit regnum Deo et Patri* (I Cor. XV, 24). Tradet itaque regnum Deo et Patri Dominus noster Jesus Christus, non se inde separato, nec Spiritu sancto, quando perducet credentes ad contemplationem Dei, ubi est finis omnium bonarum actionum, et requies sempiterna, et gaudium quod nunquam auferetur a nobis. Hoc enim signat in eo quod ait: *iterum videbo vos,*

---

quam transgressor mandati ipsius Christi, sicut et de Moysi Dominus dicit: *est qui accusat vos Moyses, in quo speratis* (Jo. V, 45): et quod etiam ab ipso condemnaretur, eo quod *ipse est constitutus a Deo judex vivorum et mortuorum* (Act. X). Ipse etiam est immunis a peccato, *qui peccatum non fecit* (I Petr. II, 22): et ideo idoneus videtur ad accusandum, secundum illud Joannis: *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* (VIII, 7).

Et ideo dicit Christus Jesus, quasi diceret: numquid Christus Jesus accusabit adversus electos Dei, vel etiam eos condemnabit? Et ostendit quod non; quia etiam ipse secundum humanitatem suam magna beneficia sanctis confert, sicut et secundum suam divinitatem; et ponit quatuor humanitatis ipsius beneficia.

Primo quidem mortem, cum dicit: *qui mortuus est,* scilicet pro salute nostra: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est* (I Petr. III, 18). Secundo resurrectionem, per quam scilicet nos vivificat, et nunc vita spirituali, et tandem vita corporali: unde subdit, *qui et resurrexit propter justificationem nostram.* Tertio ipsam Patris confessionem, cum dicit, *qui est a dextris Dei,* id est, in aequalitate Dei Patris secundum naturam divinam, et in potioribus bonis secundum naturam humanam; et hoc etiam est ad gloriam nostram, quia *consedere nos fecit caelestibus in Christo Jesu* (Eph. II, 6); inquantum enim nos membra ejus sumus, nos in ipso Deo Patri consedemus. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus* (Apc. III, 21). Quarto interpellationem ejus, cum dicit, qui etiam interpellat pro nobis, quasi advocatus noster existens. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum* (I Jo. II, 1).

Ad officium advocati pertinet, non quod accuset vel condemnet, sed magis accusatorem repellat et condemnationem impediat. Dicitur autem pro nobis interpellare dupliciter.

Uno modo pro nobis orando, secundum illud: *non pro his rogo tantum, sed pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me* (Jo. XVII, 20). Nunc autem ejus interpellatio pro nobis est voluntas ipsius de nostra salute. *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum* (Jo. ib. 24). Alio modo interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assum-

et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis (Jo. XVI, 22).

Contemplabimur enim Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, cum mediator Dei et hominum homo Christus Jesus tradiderit regnum Deo et Patri, ut jam non interpellet pro nobis mediator et sacerdos noster, Filius Dei et Filius hominis (Hebr. VII, 25); sed et ipse in quantum sacerdos est, assumpta propter nos servi

---

ptam et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repraesentando (Hebr. I, 24): *introivit in ipsum caelum; ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* (In Epist. ad Rom. cp. VIII, lect. VII).

Christus sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis (Hebr. VII). Sciendum est quod sacerdos est medius inter Deum et populum: *ego medius et sequester fui inter Dominum et vos* (Deut. V, 5). Et ideo quia sequester est mediator, sacerdos debet Deum et populum ad concordiam reducere.

Sacerdos Christus est immortalis, manet enim in aeternum, et ideo solus Christus est verus sacerdos, alii autem ministri ejus: *sic nos existimet homo, ut ministros Christi* (I Cor. IV, 1).

Deinde cum dicit: unde et salvare in perpetuum potest, ostendit efficaciam ejus, et modum ipsius efficaciae illis verbis: accedens per semetipsum ad Deum.

Efficacia ejus est, quia causa est semper potentior suo effectu; et ideo causa temporalis non potest producere effectum aeternum. Sacerdotium vero Christi est aeternum, non autem leviticum. Ergo Christus potest salvare in perpetuum. Hoc autem non posset fieri, nisi haberet virtutem divinam.

Modus autem est, quia accedens per semetipsum ad Deum. Et describit istum modum a tribus, scilicet, ab excellentia virtutis, naturae et pietatis.

Virtutis quidem, quia accedit per semetipsum; accedit inquantum homo, sed per semetipsum inquantum Deus.

Excellentiam vero naturae ostendit, inquantum dicit, semper vivens; aliter enim sacerdotium ejus finiretur: *fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum* (Apc. I, 18).

Excellentiam pietatis ostendit, quia dicit, ad interpellandum pro nobis, quia licet sit ita potens, ita altus, tamen cum hoc est pius, quia interpellat pro nobis (1 Jo. II, 1). Advocatum habemus.

Interpellat autem pro nobis, primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repraesentando; item sanctissimae animae suae desiderium quod de salute nostra habet, exprimendo, cum quo interpellat pro nobis (In Epist. ad Hebr. cp. VII, lec. IV).

forma, subjectus sit ei qui illi subjecit omnia, et cui subjecit omnia, ut in quantum Deus est cum illo nos subjectos habeat, in quantum sacerdos nobiscum illi subjectus sit.

Cum ergo tradiderit regnum Deo et Patri, id est, cum credentes et viventes ex fide, pro quibus nunc mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendae suspiramus et gemimus, et cum transierit labor et gemitus, jam non interpellabit pro nobis tradito regno Deo et Patri.

Fideles Christi quos redemit sanguine suo, dicti sunt regnum ejus, pro quibus nunc interpellat; tunc autem illic eos sibi faciens inhaerere, ubi aequalis est Patri, non jam rogabit Patrem pro eis. *Ipse enim*, inquit, *Pater amat vos*. Ex hoc enim rogat, quo minore est Patre; quo vero aequalis est, exaudit cum Patre.

Quales ergo amat, tales in aeternum conservat; quod tunc erit cum tradiderit regnum Deo et Patri, qui nunc interpellat pro nobis ut iam non roget Patrem, quia ipse Pater amat nos [1].

Ascendit in caelum sedet ad dexteram Patris. Dextera Dei dicitur aeterna felicitas. Dextera Dei dicitur ineffabilis, inaestimabilis, incomprehensibilis beatitudo atque prosperitas. Haec est dextera Dei, ibi sedet, ibi habitat.

Inde venturus judicaturus vivos et mortuos. Confiteamur Salvatorem, ne timeamus judicem. Qui enim modo in eum credit, et praecepta ejus facit, et diligit eum, non timebit quando veniet judicare vivos et mortuos; non solum non timebit, sed ut veniat optabit.

Quid enim nobis felicius, quam quando venit quem desideramus, quando venit quem amamus? Sed timea-

[1] De Trinit. libr. I, nn. 20, 21.

mus, quia judex noster erit. Qui modo est advocatus noster, ipse tunc erit judex noster. Audi Joannem: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, dixit, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate. Haec scripsi vobis, ut non peccetis: et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est exoratio peccatorum nostrorum (1 Jo. I, 8-10).

Si haberes causam apud aliquem judicem agendam, et instrueres advocatum, esses susceptus ab advocato, ageret causam tuam sicut posset; et si non illam finisset, et audires illum judicem venturum, quantum gauderes, quia ipse potuit esse judex tuus, qui fuit paulo ante advocatus tuus?

Et modo ipse pro nobis orat, ipse pro nobis interpellat. Advocatum eum habemus, et judicem timeamus? Imo qui advocatum praemisimus, securi judicem venturum speremus [1].

Evigilemus aliquando, atque videamus in sacerdotibus illius temporis veteris Testamenti, cum corporalia vitia vitabantur, illum praefigurari, qui cum esset Deus, factus est propter nos homo, solus verus agnus immaculatus et sacerdos sine vitio. Ideoque et tunc sacerdos solus intrabat in Sancta sanctorum, populus autem stabat foris; sicut nunc ille sacerdos post resurrectionem suam intravit in secreta caelorum, ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis. Populus autem cujus ille sacerdos est, adhuc foris gemit. Nam cum episcopus solus

---

[1] Serm. 213 in tradit. Symboli, n. 5.

intus est, populus et orat cum illo, et quasi subscribens ad ejus verba respondet: Amen.

Usque adeo tunc quando sine ulla macula et sine vitio, quia non poterant animi sacerdotum, corpora quaerebantur, solus ille praefigurabatur, non isti superbi et impii, qui fornicantem animam non zelant sponso, sed ei audent se ostentare pro sponso [1].

53.—Omnia per Christum a Deo petere debemus. *Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum* (Ps. 108, -7). Haec verba Judae coaptantur, qui praeposuit avaritiam sapientiae, et pecuniam saluti suae, ut Christum traderet, a quo debuit possideri, ne ab illo possideretur, cujus opera ipse Christus solvit, a quo noluit possideri.

Noluit ergo talis esse, cui diceretur, intra in gaudium Domini tui; sed talis de quo diceretur, projicite illum in tenebras exteriores; et oratio ejus fiat in peccatum.

Quoniam non est justa oratio, nisi per Christum, quem vendidit immanitate peccati. Oratio autem quae non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.

Quando autem Judas ita orare potuerit, ut oratio ejus fieret in peccatum, quaeri potest. Credo, antequam Dominum traderet, et illo tradendo jam cogitaret; non enim jam poterat orare per Christum. Nam posteaquam illum tradidit, eumque poenituit, si per Christum oraret, indulgentiam rogaret; si indulgentiam rogaret, spem haberet; si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret.

Proinde cum dixisset; cum judicatur exeat condem-

---

[1] Cont. Epist. Parmen. lib. II, n. 14.

natus, ne ab imminente condemnatione putaretur se potuisse oratione liberare, quam didicerat cum condiscipulis suis, ubi dicitur: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. VI, 12); et oratio ejus, inquit, fiat in peccatum; quia non fit per Christum, quem noluit sequi, sed persequi [1].

Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua (Ps. III, 9). In una sententia et praecepit hominibus quid crederent, et pro credentibus oravit.

Nam Domini est salus cum dicitur, ad homines sermo dirigitur. Nec ita sequitur, et super populum suum benedictio ejus, ut totum hominibus dictum sit; sed ad ipsum Deum oratio convertitur, pro ipso populo cui dictum est, Domini est salus.

Quid ergo ait nisi hoc, nemo de se praesumat, quoniam Domini est salvos facere de morte peccati; nam *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. VII, 24); tu autem, Domine, benedic populum tuum de te salutem sperantem.

Potest et iste Psalmus accipi ad personam Christi alio modo, id est, ut totus loquatur. Totus dico cum corpore suo, cui caput est, secundum Apostolum qui dicit: *vos autem estis corpus Christi et membra* (I Cor. XII, 27). Propter quod alio loco dicit: *veritatem autem facientes in caritate, augeamur in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus connexum et compactum est* (Eph. IV, 15).

Loquitur ergo apud prophetam simul Eccesia et caput ejus inter procellas persecutionum constituta per universum orbem terrarum, quod jam contigisse sci-

[1] Enar. in Ps. 108, n. 9.

mus: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversus me,* christianum nomen exterminare cupientes.

Multi dicunt animae meae; non est salus illi in Deo ejus. Non enim aliter sperarent posse se perdere Ecclesiam latissime pullulantem, nisi ad Dei curam pertinere non credederent. Tu autem, Domine, susceptor meus es, in Christo utique; ad quem voce clamavi, voce intima et intentissima

Et exaudivit me de monte sancto suo; de Christo per quem nobis subvenit, et quo mediatore nos exaudit [1].

54.—Magnam spem Dominus suis promisit sperantibus, dicens, quia *ego ad Patrem vado, et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam* (Jo. XIV. 12, 13). Sic ergo perrexit ad Patrem ut non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentes.

Sed quid est quodcumque petieritis, cum videamus plerumque fideles ejus petere et non accipere? An forte propterea quia male petunt? Nam hoc exprobavit apostolus Jacobus dicens: *petitis et non accipitis, ut in concupiscentiis vestris insumatis* (Jac, IV, 3). Male ergo usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit.

Proinde si hoc ab illo petitur unde homo laedatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. Annon videmus Israelitas malo suo impetrasse, quod culpabili concupiscentia petierunt? (Num. XI, 32). Concupierant enim carnibus vesci, quibus pluebatur manna de caelo. Fastidiebant quippe quod habebant, et quod non habebant, impudenter

[1] Enar. in Ps. 3, nn. 8-10.

petebant; quasi non melius peterent, non ut cibus qui deerat indecenti desiderio praestaretur, sed ut illo qui aderat sanato fastidio sumeretur.

Quando enim nos delectant mala, et non delectant bona, rogare debemus potius Deum ut delectent bona, quam ut concedantur mala.

Quomodo ergo intelligendum est, quodcumque petieritis, hoc faciam, si Deus aliqua petentibus fidelibus etiam consulendo non facit? An forte solis apostolis dictum debemus accipere? Absit.

Unde enim ad hoc venit ut diceret, postquam superius dixerat: *qui credit in me, opera quae ego facio, faciet, et majora horum faciet* (Jo. XIV, 12). Et ne quisquam hoc sibi retribueret, ut etiam illa opera majora se ipsum facere ostenderet, adjecit et ait: *quia ego ad Patrem vado, et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.*

Nunquid in eum soli apostoli crediderunt? Ad eos itaque loquebatur dicendo, qui credit in me, in quibus eo donante etiam nos sumus, qui utique non quodcumque petierimus accipimus.

Ipsos quoque beatissimos si cogitemus apostolos, invenimus eum qui plus omnibus laboravit, non autem ipse (I Cor. XV, 10), sed gratia Dei cum ipso, ter Dominum rogasse ut ab eo discederet angelus satanae, nec tamen quod rogaverat, accepisse (2 Cor. XII, 8). Quid dicemus, carissimi, putabimusne hoc promissum ubi ait, quodcumque petieritis hoc faciam, nec apostolis fuisse ab illo completum? Et cui tandem quod promittit implebit, si apostolos suos in sua promissione fraudavit?

Evigila igitur homo fidelis, et vigilanter audi quod illic positum est, in nomine meo; ipsum enim quodcumque, non ait petieritis utcumque, sed in nomine meo.

Qui promisit ergo tam magnum beneficium, quid vocatur? Utique Christus Jesus: Christus significat regem, Jesus significat Salvatorem; non utique nos salvos faciet quicumque rex, sed rex salvator; ac per hoc quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris.

Et tamen ipse Salvator est, non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit; quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet Salvatorem.

Novit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat aegrotus; et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. Quapropter quando volumus ut faciat quodcumque petimus, non utcumque, sed in nomine ejus petamus, hoc est in nomine Salvatoris petamus.

Non ergo contra nostram salutem petamus; quod si fecerit, non ut Salvator facit, quod est nomen ejus fidelibus ejus.

Est quippe impiis et damnator, qui dignatur fidelibus esse Salvator. Qui ergo credit in eum, quodcumque petierit in eo nomine, quod est illis qui credunt in eum, hoc facit; quoniam hoc sicut Salvator facit. Si autem qui in eum credit, aliquid per ignorantiam contra suam salutem petit, non in nomine Salvatoris petit; quia Salvator ejus non erit, si quod ejus salutem impedit, fecerit. Unde tunc expedit potius, ut non faciendo propter quod invocatur, faciat quod vocatur.

Propterea non solum Salvator, sed etiam magister bonus, ut faciat quodcumque petierimus, in ipsa oratione quam nobis dedit, docuit quid petamus; ut etiam sic intelligeremus non petere nos in nomine magistri, quod petimus praeter regulam ipsius magisterii.

Sane quaedam quamvis in nomine ejus petamus, id est secundum Salvatorem et secundum magistrum petamus; non tunc quando petimus, facit, sed tamen facit.

Neque enim quia et illud petimus ut veniat regnum Dei (Mt. VI, 10), propterea non facit quod petimus, quia non statim cum illo in aeternitate regnamus; differtur enim quod petimus, non negatur.

Verumtamen orantes tamquam *seminantes non deficiamus, tempore enim proprio metemus*. Et simul petamus quando bene petimus, ut non faciat quod non bene petimus; quia et ad hoc pertinet quod in eadem oratione dominica dicimus, *ne nos inferas in tentationem*. Neque enim parva est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio.

Non autem negligenter audiendum est, quod Dominus, ne quisquam eum putaret, quod se promisit facere petentibus sine Patre esse facturum, cum dixisset, quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam, continuo subjecit, ut glorificetur Pater in Filio, si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.

Nullo modo igitur sine Patre hoc Filius facit, quandoquidem ut in illo Pater glorificetur, propterea facit; facit ergo Pater in Filio, ut Filius glorificetur in Patre, et facit Filius in Patre, ut Pater glorificetur in Filio; quoniam unum sunt Pater et Filius [1].

Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiet vobis (Jo, XV, 7). Manendo quippe in Christo, quid velle possunt nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod non est alienum a salute?

Aliud quippe volumus quia sumus in Christo, et aliud

---

[1] In Joan. Evangel. Tract. 73, nn. 1-4.

volumus quia sumus adhuc in hoc saeculo. De mansione namque hujus saeculi nobis aliquando subrepit, ut hoc petamus quod nobis non expedire nescimus. Sed absit ut fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quando petimus, nisi quod expedit nobis. Quia si petimus et non fiet, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent verba ejus quae manet in nobis; sed quod habet cupiditas et infirmitas carnis, quae non est in eo, et in qua non manent verba ejus.

Nam utique ad verba ejus pertinet oratio illa quam docuit, ubi dicimus: *Pater noster qui es in caelis.* Ab hujus orationis verbis et sensibus non recedamus petitionibus nostris, et quidquid petierimus, fiet nobis.

Tunc enim dicenda sunt verba ejus in nobis manere, quando facimus quae praecepit, et diligimus quae promisit; quando autem verba ejus manent in memoria, nec inveniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice.

Ad hanc differentiam valet quod scriptum est: *et memoria retinentibus mandata ejus, ut faciant ea* (Ps. 102, I. 8). Multi enim memoria retinent ut contemnant, vel etiam deridant et oppugnent ea. In his verba Christi non manent, qui attingunt quodam modo, non cohaerent; et ideo illis non erunt in beneficium, sed in testimonium. Et quia sic insunt eis ut non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis, ut judicentur ex eis [1].

55.—Domini verba nunc ista tractanda sunt: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jam dictum est in superioribus hujus Dominici sermonis partibus, propter eos qui nonnulla pe-

---

[1] In Joan. Evangel. Tract. 61, n. 4.

tunt a Patre in Christi nomine, nec accipiunt, non peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis.

Non enim sonum litterarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, et quod eo sono recte ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere, cum dicit in nomine meo.

Unde qui hoc sentit de Christo quod non est de unico Dei Filio sentiendum, non petit in ejus nomine, etiamsi non taceat litteris ac syllabis Christum; quoniam in ejus nomine petit, quem cogitat cum petit. Qui vero quod est de illo sentiendum sentit, ipse in ejus nomine petit, si non contra suam salutem sempiternam petit.

Accipit autem quando debet accipere. Quaedam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore differentur. Ita sane intelligendum est quod ait, dabit vobis, ut ea beneficia significata sciantur his, quae ad eos qui petunt proprie pertinent.

Exaudiuntur quippe omnes sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis; quia non utcumque dictum est, dabit, sed dabit vobis.

Usque modo, inquit, *non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (Jo. XVI, 24). Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale, sed spirituale gaudium est, et quando tantum erit, ut aliquid ei jam non sit addendum, procul dubio tunc erit plenum. Quid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam.

Quidquid aliud petitur, nihil petitur; non quia nulla

omnino res est, sed quia in tantae rei comparatione quidquid aliud concupiscitur, nihil est.

Et quod sequitur, usque modo non petistis quidquam in nomine meo, duobus modis intelligi potest; vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est, cognovistis; vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis.

Ut igitur in ejus nomine non nihil, sed gaudium plenum petant, quoniam si aliquid aliud petunt, idem aliquid nihil est; exhortatur dicens: petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum, id est, hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum et accipetis.

Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina fraudavit [1].

Et vobis dicimus, et nobis dicimus, quando petimus in nomine Christi temporalia bona. Certe enim petiistis. Nam quis non petat; alius sanitatem petit, si aegrotat; alius liberationem petit, si in carcere constitutus est; alius portum rogat, si in navi turbatur; alius victoriam rogat, si cum hoste confligit.

Quid ergo rogandum est? Petite in nomine meo, ut gaudium vestrum sit plenum [2].

56.—Christus ipse invocandus. Dominus transibat, caeci clamabant in via: *Misere nostri, Fili David.* Quid est autem clamare ad Christum, nisi gratiae Christi congruere bonis operibus? Hoc dico, fratres, ne forte simus strepentes vocibus, et muti moribus.

Quis est qui clamat ad Christum, ut pellatur interior

---

[1] In Joan. Evangel. Tract. 102, nn. 1, 2.
[2] Serm. 145, de verb. Joan. XVI, n. 6.

caecitas transeunte Christo, id est, dispensante nobis temporalia sacramenta, quibus admoneamur ad aeterna capienda? Quis est qui clamat ad Christum? Qui contemnit mundum, clamat ad Christum. Qui spernit saeculi voluptates, clamat ad Christum. Qui dicit non lingua sed vita: *mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (Gal. VI, 14) clamat ad Christum. Qui *dispergit et dat pauperibus, ut justitia ejus maneat in saeculum saeculi* (Ps. CXI, 9), clamat ad Christum. Qui enim audit et non surdus audit, res vestras vendite et date pauperibus. *Facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in caelo* (Lc. XII, 33); tamquam vestigiorum sonitum Christi transeuntis audiens clamet ad haec caecus, id est, faciat ista. Vox ejus in factis sit [1].

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus (Rom. VI, 13). Et si sunt desideria non eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Sed etiam hoc ut non fiant membra tua arma iniquitatis, nunquid tu tibi viribus tuis praestas? Cum enim non fiunt membra tua arma iniquitatis, est quidem iniquitas in membris tuis, in desideriis illicitis, sed non regnat. Quomodo regnat qui arma non habet? Pars tua caro tua, concupiscentia carnis tuae languore rebellat adversus te. Languor iste tyrannus est; si vis te tyranni esse victorem, Christum invoca imperatorem [2].

Nullum denique tempus est quo non deceat et oporteat agere, unde Deo placere possimus, quod in hac vita usque ad eam perfectionem impleri, ut nullum omnino peccatum insit in homine, aut non potest, aut forte dif-

---

[1] Serm. 88 de verb. Mt. XX, n. 12.
[2] Serm. 30 in Ps. 118, n. 6.

ficillimum est; unde praecisis omnibus dilationibus, ad illius gratiam confugiendum est, cui verissime dici potest quod carmine adulatorio nescio cui nobili dixit, qui tamen ex Cumaeo, tamquam ex prophetico carmine se accepisse confessus est:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras (Virg. Egl. IV).

Hoc enim duce, solutis omnibus dimissisque peccatis, hac via ad caelestem patriam pervenitur, cujus habitatione cum eam tibi amandam, quamtum potui, commendarem, admodum delectatus es [1].

APPENDIX AD CAPUT II

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 57. *Christus magister orationis.*—58. *Christus non orat ut Deus, sed exaudit.*—59-60. *Christus ut homo non orat ex indigentia, sed ex condescensione.*—61. *Christus oravit in horto olivarum et in cruce.*

57.—Christus magister orationis. Adveniens Christus omnem virtutem homines docere volebat; at is qui docet non verbo solum sed etiam opere instruit; haec quippe doctoris optima est doctrina.

Quando igitur ipse nos ad omnem virtutem instructurus advenit, propterea et quae facienda sunt, dicit et ipse peragit. *Qui enim fecerit,* inquit, *et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum* (Mt. v, 19).

Sic autem rem expende; humiles ut essemus ac mites prae-

[1] Epist. 104 ad Nectar. n. 11 (a. 254).

cepit ac verbis docuit; vide quo pacto et rebus ipsis illa docuerit. Cum enim dixisset, *beati pauperes spiritu, beati mites* (Mt. v, 3. Jo. XIII, 4), quo pacto illa praestanda sint, indicat. Quonam ergo pacto docuit? Cum accepisset linteum, praecinxit, se, et lavit pedes discipulorum. Quid cum hac humilitate conferri potest? Non enim jam verbis tantum illa docet, verum etiam operibus.

Mansuetudinem rursus et patientiam docet operibus. Quonam pacto? Alapa percussus est a servo pontificis, et ait: *Si quidem male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?* (Jo. XVIII 23).

Pro inimicis orare praecepit; rursus hoc etiam operibus docet. Cum enim in cruce ascendisset, dixit, *Pater, non enim sciunt quid faciunt* (Lc. XXIII, 34).

Ut igitur praecepit ut oraremus, sic et orat ipse, teque docet orare, cum nec ipse dimittendi sit potestate destitutus.

Hac ratione decebat illos orare. Dicebant igitur illi: *doce nos orare* (Lc. XI, 1). Idcirco etiam erat, ut et illi discant orare. Sed non tantum orare, verum etiam quo pacto deberent orare discere illos oportuit; propterea nempe tradidit et illis orationem in haec verba conceptam: *Pater noster, qui es in caelis* etc. Et ne nos inducas in tentationem, hoc est, in periculum, in insidias.

Quando igitur orare jussit, ne nos inducas in tentationem, istud ipsum reipsa docet illos, dum ait, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste,* dum omnes sanctos docet, ne periculis sese objiciant, neque se praecipites agant, sed insultum adversariorum expectent, omnemque fortitudinem praeferant; non tamen ut ipsi prosiliant, seque priores malis objiciant.

Quid itaque? Ut nimirum humilitatem doceat, et vanae gloriae crimine liberet. Quam etiam ob causam, hic quoque dum haec diceret, abiens, inquit, oravit, et postquam orasset, ita dixit discipulis: *Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Mt. VII, 13). Vides ut non solum oret, sed etiam admoneat? *Spiriritus enim promptus est,* inquit, *caro autem infirma* (Mt. VII, 13). Hoc autem dicebat, ut ex eorum anima fastum omnem

depelleret, ut eos superbia liberaret, humiles redderet, ac modestos efficeret.

Quod igitur eos precari docere volebat, hoc et ipse precabatur humanitus, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem. Porro ut nos orare doceret, orabat, et semper quaerere liberari a malis; quod si fieri nequeat, eo quod Deo visum fuerit contentos esse [1].

Semper corporis cura animi curis postponenda est; verum multi in lata gradiuntur via, omnibus rebus inhiant praesentibus futurorumque cogitationem nunquam suscipiunt.

Tantam ergo mortalium animis offusam ignorantiam, ingruentemque ipsis densam caliginem deflens, vellem utique sublimem quamdam reperire speculam, quae universa mihi hominum genera oculis subjiceret, vocemque dari mihi, quae possit ab universis terrae finibus exaudiri, ut davidicum illum sonum ederem: *Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* (Ps. IV, 3). Dum terrena caelestibus, temporanea aeternis, corruptibilia incorruptibilibus anteponitis.

Usquequo oculos clauditis, aures obturatis, divinamque illam vocem cotidie clamantem non auditis: *Petite et dabitur vobis; pulsate et aperietur vobis? Omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur* (Mt. VII, 7-28). Quia vero nonnulli imperfectiores sunt, et ad saecularia proni, carnalibusque cogitationibus indulgent, non ea qua oporteret ratione preces adhibent; ideo communis omnium Dominus precandi nobis formam praescripsit dicens: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio exaudientur* (Mt. VI, 7); multiloquium vocans futilitatem, multitudine verborum redundantem, utilitateque carentem [2].

Multa a Christo facta sunt, ut exemplum daret. Nam quemadmodum sapientia multa praeditus magister cum balbutientibus puerulis balbutit, neque balbuties magistri inscitiam indicat, sed quantum de puerulis sit sollicitus; sic nimirum et Christus, non ob suae naturae vilitatem haec egebat, sed ob condescensionem.

---

[1] Homil. Si possibile est, n. 4.

[2] Homil. De Angusta porta, nn. 1, 2.

Ita multas orationes ab eadem mente fundit; siquidem accesserunt discipuli ad eum dicentes: *Domine, doce nos orare, sicut Joannes docuit discipulos suos* (Lc. XI, 1). Quid ergo, quaeso, faciendum fuit? Num orare docendi non erant? Atqui hac de causa venerat, ut ad omnem illos philosophiam informaret. Ergo docendi erant? Proinde orare oportuit.

Sed quia non ita ea quae verbis, atque ea quae factis doctrina proponitur, discipulos permovere consuevit; propterea non verbis solum eos orare docet, sed ipse in oratione perseverat, et in desertis totas noctes orando transigit, ut nos erudiat et admoneat, cum in colloquium nobis cum Deo veniendum est, fugiendos tumultus ac vulgi turbas, et in solitudinem secedendum non locorum tantum, sed etiam temporum. Solitudo autem non mons tantum est, sed etiam cubiculum a clamore immune [1].

58.—Christus non orat ut Deus, sed exaudit. Orationem, qua Christus postrema cena oravit, non divinitatis sed condescensionis esse dicimus. Deus enim non orat; Dei est adorari, Dei est orationem suscipere, non orationem offerre. In Christo autem totum fuit dispensationis et secundum carnem infirmitatis [2].

59.—Christus ut homo non orat ex indigentia, sed ex condescensione. Atque ut intelligatis condescensionis esse orationem; principio quidem jam ex iis quae circa Lazarum acciderunt, demonstravimus.

Quam enim ob causam in majoribus miraculis non orat sed in minoribus? Nam si, quod auxilio indigeret, orabat, et quod sibi sufficientem virtutem non haberet, in omnibus orare deberet, et Patrem vocare; quod si minus in omnibus, saltem in majoribus; nunc autem contrarium agit. Cum de rebus majoribus agitur, non orat, ut se ad alios docendos id ostendat egisse, non quod careret virtute.

Certe quod panes benedixit, suspiciens in caelum oravit

---

[1] Hom. X, De Christi precibus cont. Anom. n. 2.
[2] Hom. VII. De Consubst. contr. Anom. n. 5.

(Mc. VI, 41), ut nos docere non prius esse attingendam mensam, quam gratias egerimus conditori frugum Deo; et cum multos mortuos suscitasset, non oravit, sed cum Lazarum solum.

Et causam diximus, quod imbecillitati adstantium vellet consulere; quam causam etiam dixit ipse, cum aperte illud addidit: *propter turbam quae circumstat, dixi.* Et non jam orationem, sed vocem mortuum excitasse, facillime demonstro.

Quando enim puniendum fuerit, et quando honore afficiendum, et quando peccata dimittenda, et quando leges ferendae, et quando quidpiam eorum, quae majoris momenti sunt, agendum fuerit, nusquam illum vocare Patrem invenies, nec orare, sed cum auctoritate cuncta perficere.

Atque horum quidem singula ego numerabo; tu vero diligenter considera, quo pacto nusquam indigeat oratione.

Venite, inquit, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum,* et rursus, *Discedite a me, maledicti, in ignem qui paratus est diabolo et angelis ejus* (Mt. XXV, 34-41). Ecce cum omni auctoritate supplicio afficit, et honore, nec oratione ulla indiget.

Rursus quando paralytici corpori mederi voluit, *surgens tolle lectum tuum, et ambula* (Mc. II, 29); quando a morte liverare, *Talitha cumi, quod est interpretatum, puella surge* (Mc. V, 41); quando a peccatis immunem reddere, *confide fili, dimittuntur tibi peccata* (Mt. IX, 2); quando daemones increpare, *tibi dico, malignum daemonium, exi ab eo* (Mc. V, 8); quando reprimendum fuit mare, *tace, obmutesce* (Mc. IV. 39); quando aliquem lepra correptum mundare, *Volo, mundare* (Mt. VIII, 3); quando legem ferre, *audistis quia dictum est antiquis, non occides; ego autem dico vobis, qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis* (Mt. V, 21).

Vides ut omnia cum erili auctoritate perficiat, et in gehennam ejiciat, et in regnum introducat, et paralysim sanet, et mortem abigat, et peccata dimittat, et daemonia increpet, et mare compescat? Nonne manifestum est, et confessum apud omnes haec illis esse majora? Nihilominus tamen in majoribus nequamquam orat, ut ostendat in minoribus etiam

se non ob infirmitatem virtutis id egisse, sed ob eorum, qui tum aderant, eruditionem [1].

Dicit ei Martha, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Et nunc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus (Jo. XI, 22). Salvator igitur secundum hanc petitionem preces offert. Neque enim precibus indigebat Deus, ut mortuum suscitaret. Annon enim alios etiam mortuos suscitavit?

Quando illi occurrit quidam mortuus, qui in porta civitatis efferebatur, tantummodo loculum tetigit, et mortuum excitavit (Lc. VII, 14). Num precibus tum indiguit, ut excitaret defunctum? Quid autem de magistro loquor; discipuli ejus solo verbo mortuos suscitabant.

Petrus nonne Tabitham verbo excitavit? Paulus nonne suis vestibus signa multa fecit? Disce quippiam mirabilius istis: apostolorum umbra mortuos suscitabat. *Efferebant enim,* inquit, *in grabatis aegrotos, ut saltem umbra Petri obumbraret quemquam illorum, et confestim excitabantur* (Act. v, 15).

Quid ergo, discipulorum umbra mortuos excitabat, et magister precibus egebat, ut mortuum suscitaret? Sed propter mulieris imbecillitatem adhibet preces Salvator. Ait enim ipsi, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; et nunc scio, quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Postulasti preces, do preces. Expositus est fons; quodcumque tandem vas qui attulerit, implet illud. Si magnum fuerit, magnum sumit, si exiguum, sumit exiguum. Haec igitur preces postulavit, et Salvator preces concessit.

Alius dixit: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, fiat tibi, et sanabitur puer meus; tum dixit ei Salvator, secundum fidem tuam fiat tibi* (Mt. VIII, 8). Alius dixit, veni, sana filiam meam; tum ait illi, sequar te (Mt. IX, 18). Itaque prout se habent hominum voluntates, medelam adhibet medicus.

Alia rursus clam vestimenti ejus fimbriam tetigit, et clam medelam obtinuit (Mt. IX, 20): unusquisque prout credebat, etiam sanitatem recuperabat. Ista dicit; scio quia quaecumque poposceris a Patre, dabit tibi Pater, et quoniam preces

---

[1] Homil. De Christi prec. contr. Anom. X, n. 3.

postulaverat Martha, preces illi concessit Salvator, non quod ipse precibus indigeret, sed quod mulieris infirmitati morem gereret, seque Deo non adversari ostenderet, verum quidquid ipse fecerit, hoc etiam fieri a Patre [1].

60.—Christus ita benignus est, ut propter salutem nostram verba dignitati suae convenientia contemnat. Imo et quod homo factus sit, formamque servi acceperit, quod humilia verba loquatur, quod viliter sit amictus, indignum illo est, si quis majestatem ejus respiciat; dignum vero, si quis benignitatis ejus ineffabiles divitias secum reputet.

Est et alia humilitatis verborum causa. Quaenam haec? Quia Patrem quidem et noverant et confitebantur, ipsum vero non noverant. Ideo frequenter ad Patrem refugit, quod ille in confesso esset, quasi ipse nondum fide dignus esset, non ex se, sed ex auditorum stultitia et imbecillitate. Ideo precatur et dicit: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Nam si quos vult vivificat, et ita vivificat ut Pater, cur precatur?

Sed jam tempus est ad locum venire. Tulerunt ergo lapidem, ubi erat mortuus Lazarus jacens. Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quod semper me audis; sed propter turbam circumstantem dixi, ut credant quia tu me misisti.* Interrogemus ergo haereticum, qui dicit Christum precibus opus habere; nun per preces gratiam consecutus mortuum suscitavit? Quomodo ergo alia sine precibus operatus est, ut cum ait, Tibi dico daemonium, egredere ab eo (Mc. IX, 24). et volo, mundare (Mc. I, 41), et tolle grabatum tuum (Jo. v, 9), et mari, tace, obmutesce? (Mc. IV, 39). Quid plus habet quam apostoli, si et ipse precibus operatur? Imo ne ipsi quidem per preces omnia faciebant, sed saepe sine precibus, nomine Jesu utebantur.

Si vero nomen ejus tantam virtutem habuit, quomodo ipse precibus opus habuerit? Si precibus eguisset, plane nomen ejus eam vim non habuisset. Cum autem hominem fecit,

---

[1] Homil. IX, De Christi precib. contr. Anom. n. 2.

quibus est precibus usus, nonne multa ibi aequalitas? *Faciamus,* inquit, *hominem* (Gen. I, 26).

Quid autem infirmius, si illi precandum fuit? Sed videamus quae sit oratio: Pater, gratias tibi ago, quia audisti me. Quis umquam ita precatus est? Priusquam quid aliud loquatur, dicit, gratias ago tibi, ostendens se precibus non egere. Ego autem sciebam, quia semper me audis. Hoc dixit, non quod ipse non posset, sed quod una esset voluntas.

Cur precandi forma usus est? Non me, sed illum dicentem audi: Propter circumstantem turbam, ut cognoscant quia tu me misisti. Non dixit ut cognoscant me minorem esse, me superna gratia egere, et sine precatione operari non posse; sed quia tu me misisti. Haec quippe omnia precatio significat, si simpliciter illam accipiamus.

Non dixit, misisti me infirmum, servitutis conscium, qui nihil ex me possum; sed his missis omnibus, ne aliquid horum suspiceris, veram precandi causam affert, ne me Deo adversarium putarent, ne dicerent, non est ex Deo; ut ostendam rem factam secundum voluntatem tuam; ac si diceret, si Deo contrarius essem, res non processisset.

Illud vero audisti me, etiam inter amicos dicitur et aequales. Ego autem sciebam quia semper me audis, id est, ut voluntas mea fiat, non egeo precibus; sed hoc dico ut illis suadeam tibi et mihi unam esse voluntatem. Cur ergo precaris? Propter infirmos et crassiores.

Et cum haec dixisset, clamavit voce magna. Cur non dixit, in nomine Patris mei veni foras, cur non dixit, suscita illum, Pater, sed his missis omnibus, assumptoque precantis habitu, rebus ipsis auctoritatem demonstrat? Quia hoc sapientiae suae est, verbis humilitatem, operibus potentiam ostendere. Quia enim nulla alia de re poterant illum accusare, quam quod non esset ex Deo, et sic multitudinem decipiebant; ideo ex abundanti illud verbis suis ostendit, eo quo infirmitas illorum exigebat modo.

Poterat enim alio modo concordiam ostendere una cum dignitate sua; sed eo turba pervenire non poterat. *Dixit, Lazare, veni foras.* Hoc est quod dixerat: *Venit hora, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent* (Jo. V, 28). Ne putes enim illum ab altero virtutem accepisse, jam

superius te docuit, et id operibus ostendit. Non dixit, surge; sed veni foras, mortuum tamquam viventem alloquens [1].

61.—Oratio Christi in horto olivarum. Manete hic, donec vadam et orem. Quia discipuli Christo semper haerebant, ideo illis haec verba dicit. Solebat enim seorsum ab illis orare. Hoc autem faciebat ut nos doceret, ad precandum nobis quietem et tranquillitatem multam esse parandam.

Et accipit tres discipulos, dicitque illis: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Cur non omnes secum adduxit? Ne conciderent. Sed hos tantum admisit, qui gloriae suae spectatores fuerant. Attamen hos etiam relinquit. Et paululum procedens, orat dicens: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad eos et invenit eos dormientes, et dicit Petro: ita non potuisti una hora vigilare mecum? Vigilate et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (Mt. XXVI, 39-40).

Non frustra Petrum maxime alloquitur, licet alii quoque dormirent; sed ut perstringat illum ob suas asseverationes et promissiones. Deinde quia alii quoque id ipsum dixerant, illorum infirmitatem redarguens, ipsos omnes alloquitur. Nam qui mori cum illo volebant, dolenti condolere non poterant vigilantes, sed a somno victi sunt.

Ipse vero intentius orat.

Ac ne videretur res illa esse simulatio, eadem de causa sudor decidit. Ne dicerent autem haeretici, ipsum tristitiam simulasse; ideo sudores erant sicut guttae sanguinis, et angelus ipsum confortans apparuit, sexcentaque fuerunt timoris signa, ne quis diceret ficta esse verba. Hac etiam de causa orat.

Cum ergo ait: si possible est, transeat, humanitatem ostendit; cum autem dicit, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, virtutem religionemque exhibet, monetque renitente quoque natura, Deum esse sequendum.

Quia vero non sat erat stultis solam maerentis faciem ostendere, verba addit. Rursus verba non sufficiebant, sed res

---

[1] Homil. 64 in Jo. n. 2.

ipsae desiderabantur, haec etiam verbis addidit, ut vel ii crederent qui admodum contentiosi essent, ipsum et hominem factum et mortuum esse.

Nam si cum haec omnia signa fuerint, non desunt tamen qui hoc non credant, multo magis si haec non fuissent. Videsne per quanta oeconomiae veritatem ostendat? Per verba, per ea quae patitur.

Deinde veniens dicit Petro: *sic non potuisti una hora vigilare mecum?* Omnes dormiebant, et Petrum increpabat, suboscure coarguens eum de iis quae dixerat. Illud vero mecum non sine causa ponitur, sed ac si diceret; vigilare non potuisti mecum, et pro me animam tuam pones?

Quod vero sequitur, idipsum subindicat; nam ait, vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Vides quomodo rursum eos instituat, ne in arrogantiam declinet, sed animum conterant, humilesque sint, totumque Deo adscribant? Et nunc quidem Petrum alloquitur, nunc simul omnes.

Atque illi quidem ait: *Simon, Simon, expetivit vos Satanas, ut cribaret sicut triticum, et ego pro te oravi* (Lc. XXII, 31); simul vero omnibus orandum esse dicit ne intrent in tentationem; ubique illorum arrogantiam frangit, ac sollicitos reddit. Deinde ne videretur acrior esse, addit, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Nam si vis, inquit, mortem contemnere, non poteris, donec Deus manum porrexerit; caro enim animum deprimit. Rursusque hoc ipsum subindicavit dicens: Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua, hic ostendens se cum voluntate Dei admodum consonare, et ubique illum sequi oportere, illumque requirere [1].

Hodie Dominus noster Jesus Christus in cruce, et nos festum agimus, ut discas crucem esse festum et celebritatem spiritualem. Antehac enim crux nomen erat damnationis, nunc vero res honorabilis effecta est: prius symbolum condemnationis, nunc argumentum salutis. Haec innumerabilium bonorum causa effecta est: haec nos ab errore libera-

---

[1] Homil. 83 in Mt. n. 1. Nomine oeconomiae apud Patres graecos designatur Incarnatio Domini nostri Jesu Christi, sicut nomine philosophiae religio aut professio vitae monasticae sive spiritualis vitae (Adver. impug. vitae monast. libr. I, n. 2).

vit, haec in tenebris positos illuminavit, haec jam debellatos cum Deo reconciliavit, abalienatos domesticos effecit, procul positos proximos constituit: haec inimicitiae destructio, pacis tutamen, sexcentorum bonorum thesaurus.

In cruce immolatus est Christus. Ubi sacrificium, ibi peccatorum abolitio, ibi reconciliatio cum Domino, ibi festum et laetitia, Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Ubi quaeso immolatus? In excelso patibulo. Novum altare hujus sacrificii, quia ipsum sacrificium novum stupendumque est. Idem quippe et sacrificium et sacerdos erat: idem et offerebat, et secundum carnem offerebatur.

Nobis quia Christus veniens totum orbem purgavit, quivis locus orandi locus effectus est. Ideo Paulus confidenter hortabatur, ut ubique sine timore preces emitterentur his verbis: *volo viros orare in omni loco, levantes sanctas manus* (I Tim. II, 8). Videsne quomodo purgatus sit orbis? Per locum enim licet ubique levare sanctas manus; quoniam omnis terra sancta effecta est, et sanctis illis templi interioribus sanctior. Illic enim efferebatur ovis irrationabilis, hic vero spiritualis; quanto autem majus est sacrificium, tanto auctior sanctificatio.

Vis dicere aliud ejus insigne opus? Paradisum a quinquies mille et amplius annis clausum hodie nobis aperuit. Hoc quippe die, hac ipsa hora latronem eo introduxit Deus, duo praeclara designans opera: unum quod paradisum aperuerit, aliud quod latronem introduxerit, hodie antequam patriam nobis reddidit, hodie in patriam civitatem nos reduxit, et communi hominum naturae domum dedit: *nam hodie,* inquit, *mecum eris in paradiso* (Lc. XXIII, 43).

Quid dicis, crucifixus es et clavis affixus, et paradisum polliceris? Etiam, inquit, ut in cruce virtutem meam ediscas.

Vide nunc et aliud signum magnae benignitatis Christi. Non ex cruce tantum, sed etiam ex verbis in cruce prolatis imnensam ejus benignitatem videre est: crucifixus enim, dicteriis, cachinnis et sputis dehonestatus dicebat: Pater, dimitte illis peccatum, non enim sciunt quid faciunt. Et crucifixus pro crucifigentibus precatur; quamquam illi contra dicebant: *si Filius Dei es, descende de cruce, et credemus tibi* (Mt. XXVII, 40). Atqui ideo ille non descendit de cruce,

quia Filius Dei est; et ideo venit, ut crucifigeretur pro nobis.

Descende de cruce, inquiunt, *et credemus tibi.* Haec verba sunt, et incredulitatis obtentus. Nam multo majus erat lapide superposito ex sepulcro resurgere, quam de cruce descendere; multo majus erat mortuum vinctum et quatriduanum Lazarum cum ipsis fasciis e monumento educere, quam de cruce descendere. Illi igitur dicebant: *si Filiu Dei es, salvum fac te metipsum:* ille vero nihil non agebat, ut illos ipsos qui se conviciis onerabant salvos faceret, dicens: dimitte illis peccatum; non enim sciunt quid faciunt.

Quid igitur, num illis peccatum dimisit? Dimisisset utique si voluissent poenitentiam agere. Si enim non dimisisset illis peccatum, numquam Paulus fuisset apostolus: si non dimisisset illis peccatum, non tria illa millia, non quinque millia, non multae myriades credidissent. Quod enim multae judaeorum myriades crediderint, audi quid apostolo Paulo dicant: *vides, frater, quot sint myriades judaeorum qui crediderunt* (Act. XXI, 20). Imitemur itaque Dominum et pro inimicis precemur [1].

---

[1] De cruce et latrone homil. I.

CAPUT III. De necessitate orationis ex parte Dei: quare scilicet velit Deus homines orare, cum ipse noscat necessitates et preces nostras.

Summa: 62-67. *Deus vult nos orare et praecipit,* a) *non ut ei manifestemus quod ignorat;* b) *sed ut ejus praescientia verificetu;* c) *ne ejus dona vilescant;* d) *ut cor nostrum ad ipsa recipienda capacius fiat;* e) *ut nos exerceat et merita accrescant.*

62.—Orantes nihil Deum docemus. Videtur tibi, nisi aut docendi, aut commemorandi causa esse institutam locutionem? Videretur, nisi me moveret quod dum oramus, utique loquimur; nec tamen Deum aut doceri aliquid a nobis, aut commemorari fas est credere.

Nescire te arbitror non ob aliud nobis praeceptum esse, ut in clausis cubiculis oremus, quo nomine significantur mentis penetralia, nisi quod Deus, ut nobis quod cupimus praestet, commemorari aut doceri nostra locutione non quaerit.

Qui enim loquitur, suae voluntatis signum foras dat per articulatum sonum; Deus autem in ipsis rationalis animae secretis, qui homo interior vocatur, et quaerendus et deprecandus est; haec enim sua templa esse voluit.

An apud Apostolum non legisti: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I Cor. III, 16),

et in interiore homine habitare Christum? (Ephes. III, 17). Nec in propheta animavertisti, *dicite in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini; sacrificate sacrificium justitiae et sperate in Domino?* (Ps. IV, 5, 6). Ubi putas sacrificium justitiae sacrificari, nisi in templo mentis, et in cubilibus cordis? Ubi autem sacrificandum est, ibi et orandum.

Quare non opus est locutione cum oramus, id est, sonantibus verbis, nisi forte, sicut sacerdotes faciunt, significandae suae mentis causa, non ut Deus, sed ut homines audiant, et consensione quadam per commemorationem suspendantur in Deum; an tu aliud existimas? Omnino assentior.

Non te ergo movet quod summus Magister cum orare doceret discipulos, verba quaedam docuit, in quo nihil aliud videtur fuisse, quam docuisse, quomodo in orando loqui oporteret?

Nihil me omnino istud movet; non enim verba, sed res ipsas eos verbis docuit, quibus et se ipsi commoneacerent, a quo et quid esset orandum, cum in penetralibus, ut dictum est, mentis orarent. Recte intelligis [1].

63.—Oratio et praescientia divina. Quia Deus praescivit quid futurum esset in nostra voluntate, non propterea nihil est in nostra voluntate. Non enim qui hoc praescivit, nihil praescivit. Porro si ille, qui praescivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit, profecto et illo praesciente, est aliquid in nostra voluntate.

Quocirca nullo modo cogimur , aut retenta praescientia Dei, tollere voluntatis arbitrium; aut retento volun-

[1] Liber de Magistro, cp. I, n. 2.

tatis arbitrio, Deum quod nefas est, negare praescium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur, illud ut bene credamus, hoc ut bene vivamus.

Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur. Unde absit a nobis, ejus negare praescientiam, ut liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi vel erimus.

Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes et vituperationes; quia et ipsas futuras esse praescivit, et valent plurimum, quantum eas valituras esse praescivit, et preces valent ad ea impetranda, quae se precantibus concessurum esse praescivit, et juste praemia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt [1].

---

[1] De Civit. Dei, Lib. V, cp. 10, n. 2. **Doctrina divi Thomae**. Per orationem praecipimur desideria nostra Deo pandere, non ut eum doceamus quid desideremus, sed ut affectum nostrum et intellectum dirigamus in illum (IV, D. XV, q. IV, a. 1, q. 3 ad 2).

Deus acceptat orationem de eo quod dare vult, ut idonei simus ab ipso accipere, quod non esset, si ab ipso non speraremus quod desideramus. Non esse durum homini debet, se Deo per orationem subjicere sicut homini per preces; quia in hoc totum bonum nostrum consistit, quod Deo subditi sumus (Ib. ad 3).

Deus gratuita dona largitur, et ideo vult ut recipiamus dona petendo et vocando; hoc exemplum ostendere voluit per Christum, quia voluit quod peteret, quod sibi jure hereditario competebat: *Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam* (Comment. in Psalm. 2).

Oportet sic inducere orationis utilitatem, ut neque rebus humanis divinae providentiae subjectis necessitatem imponamus, neque etiam divinam dispositionem mutabilem aestimemus.

Ad cujus evidentiam considerandum est quod ex divina providentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, et quo ordine proveniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorumdam causae actus humani. Unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum; et idem etiam est in naturalibus causis.

Et simile est etiam de oratione; non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum; ut scilicet homines

64.—Sunt aliqui ita loquentes: sive nunc recte vivatis, sive non recte, tales eritis postea, quales vos Deus futuros esse praescivit, vel boni si bonos, vel mali si malos.

Nunquid enim, si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, et a labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de praescientia Dei falsum putandum est esse, quod doctrina tenet catholica? Nonne si Deus illos bonos futuros esse praescivit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet bonitate cernantur?

Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus cur quaedam non facienda faceret, et facienda non faceret, respondebat: Qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse praescivit. Qui pro-

---

postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante saecula disposuit donare, ut Gregorius dicit (2. 2. q. 83, a. 2. cf. ad 2).

Non est necessarium nos Deo porrigere preces, ut ei nostras indigentias vel desideria manifestemus, sed ut nos ipsi consideremus, in his ad divinum auxilium esse recurrendum (Ib. ad 1).

Deus nobis multa praestat ex sua liberalitate etiam non petita; sed quod aliqua vult praestare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem; ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut cognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem (Ib. ad 3).

Orationem praeterea ad Deum facimus, ut desiderium nostrum exerceamus (IV, Dist. XV, q. IV, a. 2, q. 2 ad 3).

Secundum divinae providentiae ordinem unicuique attribuitur modus perveniendi ad finem secundum convenientiam suae naturae; ideo est etiam hominibus concessus congruus modus obtinendi quae sperat a Deo secundum humanae conditionis tenorem.

Habet enim hoc humana conditio, ut aliquis interponat deprecationem ad obtinendum ab aliquo, praesertim superiori, quod per eum se sperat adipisci; et ideo indicta est hominibus oratio per quam homines a Deo obtineant quod ab ipso consequi sperant.

Aliter tamen necessaria est oratio ad obtinendum aliquid ab homine, aliter a Deo. Interponitur ad hominem, ut desiderium orantis et necessitas exprimatur, et ut deprecati animus ad concedendum

fecto et verum dicebat, et hoc vero non proficiebat in bonum; sed usque adeo profecit in malum, ut deserta monasterii societate fieret canis reversus ad suum vomitum; et tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est.

Numquid ergo propter hujusmodi animas ea quae de praescientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt vel tacenda, tunc scilicet, quando si non dicantur, in alios itur errores? Sunt etiam qui propterea vel non orant, vel frigide orant, quoniam Domino dicente didicerunt, *scire Deum quid nobis necessarium sit, prius quam petamus ab eo* (Mt. VI, 8).

Num propter tales hujus sententiae veritas deserenda, aut ex Evangelio delenda putabitur? Imo cum constet alia Deum, danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in

---

flectatur; sed haec in oratione, quae ad Deum funditur, locum non habent.

Non enim in orando intendimus necessitates nostras aut desideria Deo manifestare, qui omnium est cognitor. Nec etiam divina voluntas verbis humanis flectitur ad volendum quod prius noluerat; sed oratio ad obtinendum a Deo est homini necessaria propter se ipsum qui orat; ut scilicet ipsemet suos defectus consideret, atque animum suum flectat ad ferventer et pie desiderandum quod orando sperat obtinere: per hoc enim ad recipiendum idoneus redditur.

Est autem et alia differentia consideranda orationis, quae ad Deum et hominem fit. Nam ad orationem quae fit ad hominem, praeexigitur familiaritas, per quam sibi deprecandi aditus pateat; sed ipsa oratio quae ad Deum emittitur, familiares nos Deo facit, dum mens nostra elevatur ad ipsum, et quodam spirituali affectu Deo colloquitur, in spiritu et veritate ipsum adorans; et sic familiaris affectus orando aditum sibi parat ut iterum fiducialius oret; unde dicitur in psalmo 16, 6; *ego clamavi*, scilicet fiducialiter orando, *quoniam exaudisti me Deus;* quasi per primam orationem in familiaritatem receptus, secundo fiducialius clamet, et propter hoc in oratione divina assiduitas vel petitionum frequentia non est importuna, sed reputatur Deo accepta; *oportet enim semper orare et non deficere,* ut dicitur Lc. XVIII, 1. Unde et Dominus ad petendum invitat, dicens (Mt. VII, 7) *petite et dabitur vobis, pulsate et aperietur vobis.* In oratione vero quae ad hominem fit, petitionum assiduitas redditur importuna (Comp. Theol. parte 2, cp. II).

finem perseverantiam; profecto qui ex se ipso hanc se habere putat, non orat ut habeat. Cavendum est igitur, ne dum timemus ne tepescat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio [1].

65.—Vult Deus nos orare, ne ejus dona vilescant. Dominus noster primo amputavit multiloquium, ne multa verba afferas ad Deum, quasi velis multis verbis docere Deum.

Quando ergo rogas, pietate opus est, non verbositate. Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, prius quam petatis ab eo. Nolite ergo multum loqui; quia novit quid vobis necessarium sit.

Sed ne forte hic aliquis dicat, si novit quid nobis sit necessarium, ut qui vel pauca verba dicimus, ut quid oramus? Ipse scit, det quod scit nobis necessarium. Sed ideo voluit ut ores, ut desiderium det, ne vilescat quod dederit; quia et ipsum desiderium ipse insinuavit. Verba ergo quae Dominus noster Jesus noster Jesus Christus in oratione dominica docuit, forma est desideriorum. Non tibi licet petere aliud, quam quod ibi scriptum est [2].

66.—Ut cor nostrum ad dona divina capacius fiat. *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici; arbitrantur enim quod in multiloquio suo exaudiantur* (Mt. VI, 7). Sicut hypocritarum est praebere se expectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus; ita ethnicorum, id est, gentilium in multiloquio se putare exaudiri.

Et revera omne multiloquium a gentibus venit, qui

---

1 De dono persev., nn. 38, 39.
2 Serm. 56 in Mt. n. 4.

exercendae linguae potius quam mundando animo dant operam. Et hoc nugatorii studii genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur, arbitrantes sicut hominem judicem verbis adduci in sententiam. Nolite itaque similes illis esse, dicit unus et verus Magister. *Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, antequam petatis ab eo.*

Si enim verba multa ad id proferuntur, ut instruatur et doceatur ignarus, quid eis opus est ad rerum omnium cognitorem, cui omnia quae sunt, eo ipso quo sunt, loquuntur, seseque indicant facta; et ea quae futura sunt ejus artem sapientiamque non latent, in qua sunt et quae transierunt et quae transitura sunt, omnia praesentia et non transeuntia?

Sed quoniam quamvis pauca, tamen verba et ipse dicturus est, quibus nos doceat orare, quaeri potest cur vel his verbis paucis opus sit ad eum qui scit omnia antequam fiant, et novit ut dictum est, quid nobis sit necessarium antequam petamus ab eo?

Hic primo respondetur, non verbis nos agere debere apud Deum, ut impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus, et intentione cogitationis, cum dilectione pura et simplici affectu; sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoriae mandatis eas ad tempus orandi recordemur.

Sed rursus quaeri potest, sive rebus sive verbis orandum sit, quid opus sit ipsa oratione, si Deus jam novit quid nobis necessarium sit: nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat et purgat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quae spiritaliter nobis infunduntur.

Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui

semper paratus est dare suam lucem nobis, non visibilem, sed intelligibilem; sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, et rerum temporalium cupiditate tenebrarum.

Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit: et in ipsa conversione purgatio interioris oculi, cum excluduntur ea quae temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem, divinitus sine ullo occasu aut immutatione fulgentem: nec solum ferre, sed etiam manere in illa, non tantum sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo vere ac sinceriter beata vita perficitur [1].

Qui novit bona data dare filiis suis, petere nos et quaerere et pulsare compellit.

Quod quare faciat, qui novit quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, movere animum potest, nisi intelligamus quod Dominus et Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare; sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quod possimus capere quod praeparat dare.

Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi et angusti sumus. Ideo nobis dicitur: *dilatamini, ne sitis jugum ducentes cum infidelibus* (II Cor. VI, 14). Tanto quippe illud quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit (II Cor. II, 9), quia cor hominis illuc debet ascendere, sumemus capacius, quanto id et fidelius credimus, et speramus firmius, et desideramus ardentius [2].

---

[1] Serm. Domini in Mont. Libr. 2, cp. 3, nn. 12-14.

[2] Epist. 130 ad Prob. nn. 16, 17. **Doctrina divi Thomae.** Piis de-

67.—Deus vult nos orare, ut exerceamur. Dominus noster Jesus Christus etiam in discipulis suis redarguit incredulitatem, sicut ex Evangelio constat. Cum enim dixissent: *nos quare non potuimus daemonium ejicere,* respondit, *propter incredulitatem vestram* (Mt. XVII, 18). Si apostoli increduli, quis fidelis? Nec tamen eos misericordia Domini despexit incredulos; sed arguit, nutrivit, perfecit, coronavit.

Nam et ipsi memores infirmitatis suae, quodam loco in Evangelio, sicut legimus, dixerunt ei, *Domine, auge nobis fidem* (Lc. XVII, 5). Prima utilitas erat scientia, scire quod minus habebant; major felicitas, scire unde petebant. *Domine,* inquiunt, *auge nobis fidem.*

Videte si non corda sua quasi ad fontem portabant, ut eis, unde implerent, aperiretur, pulsabant. Pulsari ad se voluit, non ut repelleret pulsantes, sed ut exerceret desiderantes. Putatis enim, fratres, nescire Dum quid vobis necessarium sit? Scit praeveniens desideria nostra qui novit inopiam nostram.

Denique cum doceret orationem, et moneret discipu-

---

sideriis creaturae rationalis conveniens est quod Deus assentiat, non tamquam desideria nostra moveant immobilem Deum; sed ex sua bonitate procedit ut convenienter desiderata perficiat.

Cun enim omnia naturaliter bonum desiderent, et ad supereminentiam divinae bonitatis pertineat quod esse et bene esse omnibus ordine quodam distribuat, consequens est, ut secundum suam bonitatem desideria pia quae per orationem explicantur, adimpleat (Contr. Gent. Libr. III, cp. 95, n. 1).

De ratione amicitiae est quod amans velit implere desiderium amati, in quantum vult ejus bonum et perfectionem; propter quod dicitur, quod amicorum est idem velle.

Deus autem suam creaturam amat, et tanto magis unamquamque, quanto plus de bonitate participat, quae est primum et principale amatum ab ipso. Vult igitur impleri desideria rationalis creaturae, quae perfectissime divinam bonitatem participat inter ceteras creaturas. Ad bonitatem igitur divinam pertinet ut impleat desideria rationalis creaturae sibi per orationem proposita (Ib. n. 4).

los suos, ne in oratione multiloqui essent: *Nolite,* inquit, *multiloqui esse, novit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo.*

Si scit Pater noster quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, quare loquimur vel parum? Quae causa est ipsius orationis, si jam novit Pater noster quid nobis necessarium sit? Dicit alicui: noli me diu petere; novi enim quid tibi necessarium sit.

Si nosti, Domine, quare vel petam? Tu non vis me habere diuturnam petitionem, imo jubes ut habeam pene nullam [1].

Et ubi est illud alio loco? Qui dicit, nolite multum loqui in oratione, alio loco dicit: *petite et dabitur vobis?* (Mt. VII, 7). Et ne transeunter tibi putares esse praedictum ut peteres, addidit: *quaerite et invenietis.* Et ne hoc transitorium existimares, vide quid adjunxerit, vide ubi conclusit: *pulsate et aperietur vobis.*

Voluit te, ut accipias, petere, ut invenias, quaerere,

---

[1] **Doctrina divi Thomae:** Dicit sanctus Paulus in Epistola ad Romanos (XII, 9-12): *dilectio sine simulatione,* ut scilicet non tantum in verbo aut in exteriori apparentia, sed sit in vero cordis affectu et efficacia operis (I Jo. III, 18): *odientes malum,* id est, ut sit dilectio pura, quod evenit, cum homo non consentit amico suo in malum, sed ita diligit hominem, ut ejus vitium odiat (I Cor. XIII, 6): *caritatem fraternitatis invicem diligentes,* ut scilicet non solum fratres diligamus per caritatem, sed etiam ipsam caritatem: *spiritu ferventes,* scilicet in Dei dilectione.

Procedit autem fervor ex abundantia caloris; unde fervor spiritus dicitur, quia propter abundantiam divinae dilectionis totus homo fervet in Deum; *spe gaudentes,* scilicet mercedis, quae est Dei fruitio. Facit autem spes hominem gaudentem ratione certitudinis, sed tamen affligit ratione dilationis: *in tribulatione patientes,* propter difficultatem quam homo patitur in Dei servitio. Sed ad omnia praedicta valet oratio, ideo dicit, *orationi instantes;* in quo orationis assiduitas designatur.

Per orationem enim in nobis sollicitudo excitatur, fervor accenditur, ad Dei servitium incitamur, gaudium spei in nobis augetur, et auxilium in tribulatione promeremur (In Epist. ad Rom. cp. XII, lect. II).

ut intres, pulsare. Quomodo ergo quia jam Pater noster scit quid nobis necessarium sit, quare petimus, quare quaerimus, quare pulsamus? Quare in petendo et quaerendo et pulsando nos fatigamur, ut scientem instruamus?

Alio loco Domini verba sunt: *oportet semper orare et non deficere* (Lc. XVIII, I). Si oportet semper orare, quomodo dicit, nolite multiloqui esse? Quomodo oro semper, qui cito finio? Hac me jubes cito finire, hac jubes semper orare et non deficere: quid est hoc?

Et ut hoc intelligas, pete, quaere, pulsa. Ideo enim clausum est, non ut te spernat, sed ut exerceat. Ergo, fratres, cohortari debemus ad orationem et nos et vos [1].

APPENDIX AD CAPUT III

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 68-69. *Deus cupit ut homines ad ipsum confugiant.*

68.—Deus vult ut ad ipsum confugiamus. Supplicemus nos ipsi et ad Deum legationes mittamus, et imperatoris animum penitus corripiet, et ab omni nos instanti angustia liberavit. Pater [2] illic legationem obit, nos hinc ad caelorum regem mittamus legationem, ipsum precibus adjuvemus. Multum Ecclesiae communio potest, si anima dolente, si corde contrito preces emittamus.

Non opus est mare transire, non opus est longam subire

---

[1] Serm. 80 de verbis Mt. nn. I, 2.

[2] Sanctus Flavianus episcopus antiochenus adivit Theodosium imperatorem legatione fungens injuriarum in statuas causa; ut veniam antiochenis obtineret; ad hoc factum refertur quod in textu dicitur.

peregrinationem; singuli ac singulae et ad Ecclesiam occurrentes, et domi manentes multo Deum studio invocemus, et omnino suplicationibus annuet.

Unde hoc manifestum? Quod vehementer cupiat nos ad ipsum semper confugere, in omnibus ipsum deprecari, et nihil absque ipso vel facere vel dicere.

Homines enim, quando ipsis assidue negotium facessimus pro rebus nostris, torpent, et tergiversantur, et aegre ferunt; Deus autem prorsus in contrarium; non cum ipsi continue ocurrimus pro rebus nostris, sed cum hoc non facimus, tunc maxime indignatur.

Audi igitur quid judaeis objiciat, dicens: *fecistis consilium et non per me; et pacta et non per spiritum meum* (Is. 30, 1). Talis enim amantium consuetudo; omnia adamatorum negotia per se fieri volunt, et sine se illos neque facere quidquam neque dicere.

Ne igitur torpeamus continue ad ipsum confugere, et quod grave fuerit, omnino remedium conveniens accipiet [1].

Videte ne injuria a quopiam lacessiti statim indignemur et in tristitiam labamur, sed orantes gratias agamus, expectantes auxilium Domini.

Annon poterat Deus ante precationem bona nobis conferre? Annon vitam dolore vacuam concedere, atque a quavis aerumna remotam? Sed utraque ille summo amore facit. Cur enim nos vexari permittit, nec illico auxilium admovet, qua de causa? Ut ipsum assidue adeamus, ejus postulantes opem, ad ipsumque confugiamus, et frequenter ipsum ad auxilium vocemus.

Ideo corporis dolores, ideo penuriae fructuum, ideo fames; ut ex his aerumnis ab illo semper pendeamus, atque sic per temporales aerumnas vitam aeternam in hereditatem consequamur [2].

69.—Immoderationem abscindamus, et salutare moderationis pharmacum potantes, in temperantia congruenti maneamus, precibusque diligenter incumbamus.

Si postulatum non accipiamus, perseveremus ut accipia-

[1] Homil. III ad popul. antiochen. n. 2.
Homil. V de Poenit. n. 5.

mus; si accipiamus, ne ideo quia accepimus, precari desistamus. Neque enim vult ille postulatum donum differri; sed cunctatione assiduitatem sagaciter parit.

Ideo differt postulata concedere, ac saepe tentationem incidere permittit, ut frequenter ad eum confugiamus, et sic perseveremus.

Sic quoque faciunt patres et matres prolis amantes; cum parvulos suos viderint ab se discedere, ut cum aequalibus suis ludant, id curant ut domestici terricula multa simulent, ut prae timore cogantur pueruli ad maternum sinum confugere.

Sic et Deus saepe minas intentat, non ut mala infligat, sed ut ad se pertrahat. Cum autem ad illum confugimus, statim metum solvit; *quod si tales essemus in tentationibus, quales in tranquillitate non egeremus tentatione.*

Ecquid de nobis loquor? Nam sanctis quoque illis magna hinc proveniebat temperantiae occasio. Ideo dicit Propheta: *bonum mihi quia humiliasti me* (Ps. 118, 71). Ipseque apostolis dicebat: *in mundo tribulationem habebitis* (Jo. XVI, 33). Hoc porro Paulus subindicat cum ait: *datus est mihi stimulus carnis, angelus satanae, qui me colaphizet* (II Cor. XII, 17). Ideo precatus ut a tentatione liberaretur, id non impetravit, quia inde magnam carpebat utilitatem [1].

---

[1] Homil. X in Mt. n. 7.

CAPUT IV. De necessitate orationis ex parte hominis.

Summa: 70. *Necessitas orationis ex praecepto.*—71-72. *Ex indigentia, et primum ad fidem habendam.*—73-76. *Ad veritatem capessendam.*—77-78. *Ad caritatem obtinendam et augendam.*—79-82. *Ad vitam et perfectionem christianam.*—83-86. *Ad bene agendum et servanda Dei praecepta.*

70.—Necessitas orationis ex praecepto. *Et ambulabam in latitudine,* id est in caritate, *quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v. 5).

In hac latitudine ambulabat ille qui dicebat: *os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est* (II Cor. VI, 11). Haec autem caritas duobus illis mandatis tota atque integra continetur, dilectione scilicet Dei, et dilectione proximi, in quibus tota lex pendet et prophetae.

Unde et hic cum dixisset, et ambulabam in latitudine, causam subjunxit, atque ait: *quia mandata tua exquisivi.*

Nonnulli codices non habent mandata, sed testimonia; sed mandata in pluribus invenimus, et maxime graecis; cui linguae tamquam praecedenti, unde ad nos ista translata sunt, magis credendum esse, quis ambigat?

Si ergo scire volumus quomodo haec mandata quaesierit, vel quaerenda sint, illud intueamur quod dicit

Magister bonus, et doctor et dator: *petite et accipietis; quaerite et accipietis; pulsate et aperietur vobis.* Et paulo post: *si ergo vos,* inquit, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* (Mt. VII, 7, 11).

Ubi evidenter ostendit quod dixerat, petite, quaerite, pulsate nonnisi ad poscendi, hoc est, orandi instantiam pertinere.

Alius porro evangelista non ait: dabit bona petentibus se, quae multipliciter possunt intelligi, vel corporalia vel spiritualia; sed circumcidit alis, satisque diligenter expressit quid nos vehementer atque instanter voluerit poscere Dominus, et ait: *quanto magis Pater vester de caelo dabit Spiritum bonum petentibus se?* (Lc. XI, 13):

Hic est ille Spiritus, per quem diffunditur caritas in cordibus nostris, ut Deum proximumque diligendo divina mandata faciamus. Hic est ille Spiritus in quo clamamus, Abba, Pater. Ac per hoc ipse nos facit petere, quem desideramus accipere; ipse nos facit quaerere, quem cupimus ivenire; ipse nos facit pulsare, ad quem nitimur pervenire.

Hoc docet Apostolus, qui cum dicat in Spiritu sancto nos clamare Abba, Pater, rursus alio loco dicit: *dedit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamatem, Abba, Pater* (Rom. VIII, 15).

Quomodo nos clamamus, si ipse clamat in nobis, nisi quia clamare nos fecit, dum habitare coepit in nobis? Etiam hoc itaque agit acceptus, ut largius accipiendus petendo, quaerendo, pulsando poscatur; sive enim ut vita bona petatur, sive ut bene vivatur; *quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (Rom. VIII, 14).

Ergo ambulabam, inquit, in latitudine, quoniam man-

data tua exquisivi. Exquisierat et invenerat, quoniam petierat et acceperat Spiritum bonum, quo factus bonus bene faceret bona *ex fide quae per dilectionem operatur* [1].

71.—Necessitas orationis ad fidem. Propter quod et posci a se voluit Deus, ne inferamur in tentationem; quia et si non inferimur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis et non orantibus dari; sed oratione nostra nos voluit admoneri, a quo accipiamus haec beneficia.

---

[1] Enar. in Ps. 118, Serm. 14, n. 2. **Doctrina divi Thomae.** Necessitas orationis ex parte hominis duplex est: alia ex praecepto divino, alia ex nostra indigentia et multiplici impotentia ad bene agendum.

Oratio cadit sub praecepto et *determinate* et *indeterminate.*

Determinate quidem ad aliquas orationes ex praecepto tenentur illi, qui ex officio sunt medii inter Deum et populum constituti, sicut ministri Ecclesiae; unde ex officio eisin cumbit preces ad Deum in persona totius Ecclesiae fundere; et ideo ex statuto Ecclesiae tenentur ad horas canonicas dicendas.

Sed indeterminate ad orationem quilibet tenetur ad bona spiritualia sibi procuranda, quae nonnisi divinitus dantur, nec alio modo procurari possunt, nisi ab ipso petantur.

Omnibus etiam qui Ecclesiae ministerio non funguntur, videtur ab Ecclesia determinatum tempus orandi stabilitum esse, cum ex canonum statuto teneantur diebus festis divinis officiis interesse, ut ministris pro populo orantibus suam intentionem conforment (IV, Dist. XV, q. IV, a. 1, q. 3).

Desiderare cadit sub praecepto caritatis, petere autem sub praecepto religionis; quod quidem praeceptum ponitur, ubi dicitur (Mt. VII, 7): *petite et accipietis* (2. 2. q. 53, a. 3 ad 2).

Ex nostra indigentia est etiam oratio necessaria; et quidem inter omnia necessaria ad vitam christianam praecipua est oratio, quae valet contra pericula tentationis, et ad proficiendum in bono (Comment. in I Epist. ad Tim. cp. II, lec. I).

Post baptismum necessaria est homini jugis oratio ut caelum introeat. Licet enim per baptismum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati, nos impugnans interius, et mundus et daemones, qui impugnant exterius: et ideo signanter dicitur, quod Jesu baptizato et orante, apertum est caelum (Lc. III); quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post baptismum (3, q. 39, a. 5).

A quo enim nisi ab illo accipimus, a quo jussum est ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia; sed attendat cotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit ad fidem.

Orat ut credentes perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.

Haec Deus facturum se esse praescivit. Ipsa est praedestinatio sanctorum, *quos elegit in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate* (Eph. I, 4, sq.). Contra istam veritatis tam claram tubam, quis homo sobriae vigilantisque fidei voces ullas admittat humanas? [1].

Pelagiani destruunt etiam orationes quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinae Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum, sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, et perseverent in ea [2].

Non solum ad istos haereticos pelagianos vitandos cauti esse debemus, verumetiam ad docendos vel monendos, si patiantur, pigrescere non debemus.

Plus eis tamen sine dubitatione praestamus, si ut corrigantur oremus, ne cum tantis ingeniis vel pereant, vel alios perdant praesumptione damnabili. Quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam; id est, *justitiam quae a Deo est ignorantes, et suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti* (Rom. X, 2).

Quibus utique, quoniam christiani appellantur, magis observandum est quam judaeis, de quibus hoc dixit Apostolus, *ne offendant in lapidem offensionis* (Rom. IX, 22), velut argute defendendo naturam et liberum ar-

---

[1] De dono persev. n. 15.
[2] De haeresibus, n. 88.

bitrium, quemadmodum philosophi hujus mundi, qui vehementer egerunt ut putarentur vel putarent sibi beatam vitam virtutem propriae voluntatis efficere.

Caveant ergo isti ne per sapientiam verbi evacuent crucem Christi, et hoc sit eis offendere in lapidem offensionis.

Natura enim humana etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret [1]. Cum igitur sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia potest reparare, quam perdidit? Non autem ideo pro istis non orare debemus, quia si non corriguntur, eorum imputandum est voluntati, qui nolunt credere etiam ad hoc ipsum sibi necessariam gratiam Salvatoris, quod putant consistere in solis viribus voluntatis.

Nam et illis quibus sunt isti in hac causa omnino simili, de quibus hoc dixit Apostolus, quod ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti, profecto suae voluntatis vitio non credebant. Non enim ut essent infideles, cogebantur in vitium; sed nolendo credere infidelitatis crimine non carebant.

Et tamen quia voluntas, ut ad vera credenda moveatur, non sibi sufficit, nisi per gratiam Deus opituletur, dicente ipso Domino cum se non credentibus loqueretur, *nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit a Patre* (Jo. VI, 66); propter hoc et Apostolus, quamvis eis instanter Evangelium praedicaret, parum tamen esse credebat, nisi pro illis etiam oraret ut crederent. Ait enim: *Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, et deprecatio ad Deum*

[1] Cf. Concil. Arausic. II, can. 19. **Denzinger-Nebreda**, Enchiridion, nn. 122 sg. 140.

fit pro illis in salutem: et tunc adjunxit illa quae diximus, *testimonium enim illis perhibeo quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (Rom. X, 1). Oremus ergo pro illis, sancte frater [1].

72.—Possunt quidem dicere remissionem peccatorum esse gratiam, quae nullis praecedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori* (Lc. XVIII, 13); et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat exaltabitur. Restat igitur ut ipsam fidem unde omnis justitia sumit initium, propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantico canticorum: venies et pertransies ab initio fidei (Cant. IV justa LXX); restat, inquam, ut ipsam fidem non humano, quod isti extollunt pelagiani, tribuamus arbitrio, nec ullis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quaecumque sunt merita; sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus. Quia sicut in eadem Epistola legitur, *Deus unicuique partitur mensuram fidei* (Rom. XII, 3).

Opera quippe bona fiunt ab homine; fides autem fit in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine.

Quapropter ne se vel ipsius orationis meritum extollat, etiamsi ad vincendas rerum temporalium cupiditates, et diligenda bona aeterna atque ipsum fontem omnium bonorum Deum, adjutorium datur oranti, fides orat quae data est non oranti, quae utique nisi data esset, orare non posset.

---

[1] Epist. 186 ad Paulin. nn. 37, 38 (a. 106).

Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent quem non audierunt, quomodo audient sine praedicante (Rom. XIV, 23)? *Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

Proinde minister Christi hujus fidei praedicator, secundum gratiam quae data est illi, plantator est et rigator. *Nec tamen qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus, qui unicuique partitur mensuram fidei* (I Cor. III, 7).

Unde et alibi dicitur: *Pax fratribus et caritas cum fide,* quam ne sibi tribuerent, continuo subjunxit, *a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo* (Eph. VI, 23); quia nec omnium est fides, qui audiunt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei; sicut nec omnia germinant quae plantantur et rigantur, sed quibus Deus dat incrementum.

Cur autem ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, et si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident; altitudo est divitiarum sapientiae et scientiae Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia, et apud quem non est iniquitas, dum cujus vult miseretur, et quem vult obdurat; neque enim propterea sunt ista injusta, quia occulta [1].

73.—**Ad divinam veritatem capessendam.** Difficultas non est in obscuris sensibus Scripturae, quando adjuvat Spiritus.

Adjuvet ergo nos orantibus vobis; quia ipsum desiderium quod vultis intelligere, oratio est ad Deum. Ab ipso ergo oportet ut expectetis auxilium.

Nos enim, quomodo rustici in agro, forinsecus ope-

[1] Epist. 194 ad Sixtum, nn. 9, 10.

ramur. Si autem nullus esset, qui intrinsecus operaretur, nec semen terrae figeretur, nec in agro cacumen exiret, nec roboraretur virga et perveniret ad trabem; nec rami, nec fructus, nec folia nascerentur.

Ideo dixit ipse Apostolus, discernens operationem operariorum et Creatoris: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Et adjunxit, *neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I Cor. III, 6).

Si Deus intrinsecus incrementum non det, inanis est iste sonus ad aures vestras. Si autem det, valet aliquid quod plantamus et rigamus, et non est inanis labor noster [1].

Primum mihi videtur, plus valere in hac inquisitione, nimirum utrum videri possit Deus oculis corporeis, vivendi quam loquendi modum. Nam qui didicerunt a Domino Jesu Christo mites esse et humiles corde (Mt. XXI, 29), plus cogitando et orando proficiunt, quam legendo et audiendo.

Nec ideo tamen agere partes suas sermo cessaverit; sed cum plantator et rigator officium sui gesserit muneris, cetera illi qui dat incrementum, relinquit; ille quippe etiam ipsum plantatorem rigatoremque formavit [2].

In hac quaestione difficili de origine animae, aut nihil quaerendum est, ut sufficiat fidei nostrae scire nos, quo pie vivendo venturi sumus, etsi nesciamus unde venerimus [3]; aut si non impudenter aestuat anima ratio-

---

[1] Serm. 152 de verbis Apost. Rom. VII, n. 1.

[2] Epist. 147 ad Paulinam, n. 1.

[3] Ut mens divi Augustini super hac quaestione de origine animarum nanifestissima appareat, placet nobis ejus doctrinam paucis sed perspicuis conclusionibus fideliter tradere.

Et quia de necessitate orationis ad veritatem inveniendam hoc

nalis, etiam hoc nosse de seipsa, absit pervicacia contendendi, adsit diligentia requirendi, humilitas petendi,

---

loco sermonem habemus, speramus, Deum, quemadmodum dicit Augustinus, nos adjuturum, ut recte loquamur.

Recte est autem veraciter atque congruenter, nihil audacter refellendo, nihil temere afirmando, dum adhuc dubium est, verum falsumne sit, sive fidei, sive scientiae christianae; quod autem doceri potest, vel rerum ratione apertissima, vel Scripturarum auctoritate certissima, sine cunctatione asserendo (De Gen. ad lit. lib. VII, n. 1).

Jam fontes, e quibus sententias tanti Doctoris hauriemus, ordine chronologico recensiti, sunt:

De libero arbritrio libri III, inchoati an. 388, absoluti 395.

De Gen. ad litteram libri XII, inchoati an. 401, absoluti sub an. 415. In quo opere inquit ipse divus Augustinus, plura quaesita quam inventa sunt; et eorum quae inventa sunt, pauciora firmata: cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint (Retract. lib. II, cap. XXIV.)

De peccatorum meritis et remissione, an. 412.

Epist. 166 *ad Hieronymum*, an. 415. Qui liber meus, ipse ait, ut non doctoris sed inquisitoris, et potius discere cupientis, apud me legi potest; mitti vero uspiam non debet, vel cuiquam foras dari, nisi cum rescripta sancti Hieronymi, Deo adjuvante, percepero (Epist. 190, n. 21; cf. Retrat. lib. II, cp. 45).

Epist. 190 *ad Optatum*, an. 418.

De anima et ejus origine libri IV, an. 419.

Retractationum libri II, an. 426, 427.

Egregius Doctor noster vita functus est an. 430.

Videamus modo quid asseruerit tum circa *naturam*, tum circa *originem* animae humanae. Quod expressit ipse divus Augustinus hisce verbis: quaestio de anima multos movet, in quibus et me esse confiteor. Nam quid de anima firmissime teneam, non tacebo. Deinde subjungam, quid mihi adhuc expediri velim (Epist. 166, n. 3).

Circa naturam animae defendit acerrime has conclusiones.

1.ª **Anima humana non est pars aut portio Dei, sed creatura.** Priscilianista dicit quod anima sit pars Dei, et ejusdem cujus est ille naturae atque substantiae. Magna haec est et detestanda blasphemia (Cont. mendacium ad Cons. n. 8). Sacrilega opinio est animam et Deum unius esse substantiae (De Gen. ad lit. lib. VII, cp. 2; Epist. 166, n. 3; Epist. 190, n. 4; De anima et ejus orig. lib. II, n. 4 sqs. et III, n. 3).

Merito haec doctrina fuit condemnata a sancto Leone papa, et Concilio Tolet. (Denzinger-Nebreda, nn. 90, 95, 105).

2.ª **Anima humana est incorporea et spiritualis** (De G. ad L. lib. VII, cp. 15, 19; cf. lib. de quantitate anim.).

3.ª **Per omnis corporis particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, et in majoribus major, sed alicubi intensius, alicubi remisius, et in omnibus tota, et in singulis tota est.** (Epist. 166, n. 4).

4.ª **Anima humana est immortalis secundum quemdam vitae mo-**

perseverantia pulsandi; ut si nobis hoc expedire novit, qui melius quam nos quid nobis expediat utique novit, det etiam hoc *qui dat bona data filiis suis* (Mt. VII, 7).

---

dum, quem nullo modo potest amittere (De G. ad L. lib. VII, cp. 28; Epist. 166, n. 3; cf. lib. de Immortalit. animae).

Circa originem animae aliqua perspicuissime asseruit, alia tamen inquirendo, disceptando, anceps haerendo. Hoc apparet ex verbis ipsius magni Doctoris. Nunc tamen de anima, inquit, quam Deus inspiravit homini, sufflando in ejus faciem, nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei; et sit incorporea, id est, non sit corpus, sed spiritus, non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus a Deo; et quod sit immortalis. Cetera quae in hoc libro disceptando locutus sum, ad hoc valeant legenti, ut aut noverit quemadmodum sine affirmandi temeritate quaerenda sint, quae non aperte Scriptura loquitur: aut si quaerendi modus iste non placet, quemadmodum ipse quaesiverim, sciat, ut si me potest docere non abnuat, si autem non potest, a quo ambo discamus mecum requirat (De G. ad L. lib. VII, cp. 28; Epist. 190, n. 21).

Igitur perspicue tradit duas sequentes propositiones.

5.ª **Anima humana originem haud trahit ex Dei substantia.** Credendum itaque est, inquit, et intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse a Deo tamquam rem quam fecerit, non tamquam de natura cujus est ipse, quocumque modo protulerit (De Gen. ad lit. lib. VII, cp. 2 sqs.). Illud etiam non minus certum esse debet animam non esse nisi creaturam Dei (ib. lib. X, cp. 4; cf. concl. 1.ª).

6.ª **Anima humana non praeexistit corpori, ut in illud labatur sive coacte, sive voluntarie.** Hanc doctrinam refert in operibus de Gen. ad lit. VII, cp. 24-27, et de lib. arbit. III, n. 69, quin censura inurat: sed rejicit aliis locis (Epist. 166, nn. 12, 27; de anim. lib. I, n. 15).

Aliqua major est difficultas in sequentibus conclusionibus, quae tamen fideliter exprimunt divi Augustini cogitationem et mentem.

7.ª **Numquam docuit sanctus Augustinus ceu propriam, doctrinam de propagatione animarum, seu traduccianismum, quamvis aliquando ei favere videatur.**

Me consuluit ille de hac ipsa quaestione quid sentirem, et quaesivit: utrum scilicet animae ut corpora propagatione nascantur, sintque ex illa una quae primo homini creata est; an Creator omnipotens, qui utique usque nunc operatur sine ulla propagatione novas faciat singulis proprias.

De qua re scire te volo, *in tam multis opusculis meis numquam me fuisse ausum de hac quaestione definitam proferre sententiam.* Quarum autem rerum atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem, nimis longum est expromere (Epist. 190, n. 2).

Videtur nihilominus aliquando ei favere, nam scribit: hoc autem

Consuetudo tamen matris Ecclesiae de baptizandis parvulis nequamquam spernenda est, neque ullo modo

---

illis qui ex traduce animae illius praevaricatricis animas creari asserunt, quamvis pro eis sonare non videatur, quod dictum est, *veni ad corpus*; tamen in ceteris non incongrue coaptatur, ut cum dixisset, *puer autem eram ingeniosus*, id ipsum explicans quibus causis ingeniosus esset, continuo subjungeret, *et sortitus sum animam bonam* (Sap. IX, 15), videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento. Ita haec verba libri hujus aut magis eis favent, qui animarum traducem loquuntur; aut si et isti (creatianistae) ea possunt pro se interpretari, inter utrosque alternant (De G. ad L. lib. X, cp. XVII, n. 31).

Nisi eorum sententia, qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo parvulorum praeponderaret (ib. X, cp. 23).

Nihilominus vocat temerarios eos, qui hanc sententiam ceu veram docebant innixi testimonio Scripturarum, e quibus nihil apodictice pro alterutra sententia erui poterat ejus judicio.

Illi qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt, inter alia testimonia, quae suae causae suffragari arbitrantur etc. (Epist. 190, nn. 18, 19).

Doctrina de animarum propagatione ab Ecclesia damnata est (Denz.-Nebr., nn. 410, 1755).

8.ª **Nec etiam uti propriam tradidit doctrinam de creatione animarum, licet ei magis placere certo videatur.**

Sunt aliqui textus, qui prima fronte crationem animarum proprie dictam affirmare videntur: Animam dico factam a Deo, ut cetera omnia quae a Deo facta sunt. Si autem quaeris unde Deus animam fecit, memento Deum esse omnipotentem. Omnipotens autem non est, qui quaerit adjuvari aliqua materia unde faciat quod velit. Ex quo est consequens, ut de nihilo fecerit (Contra Faust. manich. Disput. I, n. 13).

Hactenus autem dicimus sine periculo latere animae originem, ut non tamen eam partem Dei esse credamus, sed creaturam; nec de Deo natam, sed ab illo factam (Ep. 190, n. 4).

Absit ut negemus omnipotentem de nihilo flatum vitae facere potuisse, quo fieret homo in animam vivam (De anima, lib. I, n. 4).

Prorsus verum non esse quod dicit, monemus, id est, quod anima nec ex traduce sit, nec ex nihilo; hoc, inquam, verum non esse sine dubitatione firmamus. Unum est enim e duobus, si ex traduce non est, ex nihilo est; ne ita sit ex Deo, ut naturae sit Dei, quod omnino sacrilegum est credere (De anim. Libr. I, n. 24).

Nihilominus optaret Augustinus ut vera esset doctrina, quae creationem animarum defendebat.

Ex Epistola ad sanctum Hieronymum sunt hae citationes. Hoc certe sentis, quod singulas animas singulis nascentibus etiam modo Deus faciat (n. 8). Missisti ad me discipulos, ut ea doceam quae non-

superflua deputanda, nec omnino credenda nisi apostolica esset traditio.

---

dum ipse didici. Doce ergo quod doceam (n. 9). Ecce volo ut illa sententia etiam mea sit, sed nondum esse confirmo (n. 8).

Unde illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam, nimirum quod infantes sine baptismo decedentes haud salventur, non oppugnat, sit et mea; si oppugnat, non sit et tua (n. 25). Nec illud quod in Ecclesiaste scriptum est (XII, 7), istam confirmat sententiam, quam volumus esse nostram (n. 26). Illam vero opinionem, quod ex una fiant omnes animae, nec discutere volo, nisi necesse sit: atque utinam ista, de qua nunc agimus, si vera est, sic abs te defendatur ut hoc necesse jam non sit (n. 27).

Excludit sanctus Augustinus animam Christi, quam e nihilo factam aperte profitetur. Si a me quaeratur, ait, unde acceperit animam Jesus Christus, mallem quidem hinc audire meliores atque doctiores, sed tamen pro captu libentius responderim, unde Adam, quam de Adam (De G. ad lit. lib. X, cp. 18, n. 33 et cp. 19; Epist. 190, n. 25). Hoc ad me non multum attinet, qui utrorumque collationem adhuc audire sum paratior, quam utrorumlibet jam confirmare sententiam. Interim Christi animam ab origine hujus traducis secernere volui (De G. ad L. X, cp. 20).

Sed objiciunt aliqui sanctum Augustinum defendisse omnino animarum creationem; cf. Sanseverino, Anthrop. p. 267, et reprobasse Traducianismum. Allegant hos textus: Et si inveneris quod te quaerere admonui, quod ipse adhuc fateor non inveni, defende quantum potest, atque assere animarum infantium ejusmodi esse novitatem, ut nulla propagatione ducantur; et nobiscum quod inveneris communica (Ep. 190, n. 13).

Quis autem negat non unius tantum, sed omnis animae creatorem Deum atque factorem, nisi qui eloquiis ejus apertissime refragatur? Sine ulla quippe ambiguitate per prophetam dicit: *omnem flatum ego feci* (Ib. cit. VII, 16); animas videlicet intelligi volens, quod verba consequentia manifestant. Non itaque unum, quem facto ex terra homini primo inspiravit, sed omne flatum ipse fecit, ipse adhuc facit (Ib. n. 16).

Sed haec verba id non probant, nisi Deum esse animae auctorem quemadmodum aliarum rerum. Confirmatur ex ipso Doctore africano. Aliquid, inquit, certum de animae origine nondum in Scripturis canonicis comperi (ib. n. 17). Praeterea explicans ipsemet textum supra citatum, ait: quod dictum est, *omnem flatum ego feci*, de omni anima dictum negari non potest. Sed omne etiam corpus ipse facit; quod autem ex propagine corpus humanum faciat, nullus ambigit. Ac per hoc de anima, cum eam constet ab illo fieri, unde eam faciat, utrum ex propagine sicut corpus, an insufflando sicut primam fecit, adhuc utique requirendum est (De anima et ejus orig. lib. I, n. 21).

Divus Thomas asserit, quamvis anima humana sit forma simplex,

Habet enim et illa parva aetas magnum testimonii pondus, quae prima pro Christo meruit sanguinem fundere [1].

Repetite assidue librum istum, *nimirum de gratia et libero arbitrio,* et si intelligitis, Deo gratias agite; ubi autem non intelligitis, orate ut intelligatis; dabit enim vobis Dominus intellectum.

---

tamen non recipit esse a Deo, nisi in corpore; quia secundum Augustinum, *et infundendo creatur, et creando infunditur* (II S. dist. III, q. I, a. 4). Haec verba tamen non inveniuntur apud divum Augustinum, saltem ego legi ex integro opera supra citata, nec inveni. Inveniuntur quidem in Magistro Sententiarum (II, dist. XVII): creando enim infundit eas Deus, et infundendo creat. Numquam iterum haec verba uti divi Augustini citat angelicus Doctor.

9.ª **Divus Augustinus semper haesit anceps et dubius in quaestione de origine animae humanae.**

Chronologice demonstratur modo inconcusso. Anno 401-415 scribebat: fateor neminem adhuc me persuasisse, quod sic habeam de anima ut nihil amplius quaerendum putem (De G. ad L. lib. VII, cp. 29).

Anno 415 adhuc anceps erat: ex quatuor reliquis opinionibus quaenam sit eligenda scire desidero (Epist. 166, n. 7).

Anno 418 cunctatio permanebat (Epist. 190, nn. 1, 2, 13; cf. supra).

Anno 419 item (Lib. I de anim. n. 25; IV, n. 5).

Anno 426, 427 quibus scripsit *Retractationum libros* nondum ex hac cunctatione exiisse videtur, cum in recensione horum librorum aut nihil retractet, aut dubium insinuare adduc videatur (Retract. lib. I, cp. IX; lib II, cp. XXIV, XLV, LVI).

Unde recte concludimus hisce verbis sancti Doctoris: fateor dilectioni tuae, quantum attinet ad istam quaestionem, unum de duobus valde cupio nosse, si possim, vel de animarum origine quod ignoro, vel utrum pertineat ad nos hoc nosse, cum hic vivimus (De anima et ejus orig. lib. IV, n. 5).

10.ª **Radix cunctationis seu dubitationis Augustini proveniebat e difficultate explicandi transmissionem peccati originalis in Adae posteros.**

Unde si origo animae lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est (Ep. 190, n. 3 passim. Epist. 166, nn. 6, 10, 16, 22: De Gen. ad lit. lib. X, cp. XIV, XV, XXIII).

11.ª **E sacris Scripturis et traditione Ecclesiae nihil adduci inconcusse poterat pro alterutra sententia** (Epit. 166, n. 26; Ep. 190, nn. 5, 16 sq.; De anim. I, n. 17 sqs. 26 sqs. II, n. 19 sq. IV, n. 15; De G. ad Lit. lib. X, cp. VI-X).

[1] De Genesi ad litter. Libr. X, cp. 23.

Mementote scriptum esse: *si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat et dabitur ei* (Jac. I, 5). Ipsa est sapientia de sursum descendens, sicut ipse apostolus Jacobus dicit. Illam vero sapientiam repellite a vobis, et orate ut non sit in vobis, quam detestatus est, ubi ait: *Quod si zelum amarum habetis, et contentiones in vobis sunt, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quae autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia et fructibus bonis, inaestimabilis, sine simulatione* (Jac. III, 14).

Quid boni ergo non habebit, qui hanc sapientiam postularit et impetrarit a Domino? Et hinc intelligite gratiam , quia si ex nobis esset ista sapientia, de sursum non esset, nec ab ipso qui nos creavit Deo postulanda esset [1].

Volventi mihi multa ac varia mecum diu, ac per multos dies sedulo quaerenti memetipsum ac bonum meum, quidve mali evitandum esset; ait mihi subito, sive ego ipse, sive alius quis extrinsecus sive intrinsecus nescio. Nam hoc ipsum est quod magnopere scire molior...

Ora salutem et auxilium, quo ad concupita pervenias, et hoc ipsum litteris manda, ut prole tua fias animosior. Deinde quod invenis, paucis conclusiunculis breviter collige. Nec modo cures invitationem turbae legentium, paucis ista sat erunt civibus tuis. Ita faciam.

Deus universitatis conditor, praesta mihi primum ut bene te rogem, deinde ut me agam dignum quem exaudias, postremo ut liberes.

Deus Pater veritatis, pater sapientiae, pater verae

---

[1] De gratia et libero arbit. n. 46.

summaeque vitae, pater beatitudinis, pater boni et pulchri, pater intelligibilis lucis, pater evigilationis atque illuminationis nostrae, pater pignoris quo admonemur redire ad te.

Te invoco, Deus veritas, in quo et a quo et per quem vera sunt, quae vera sunt omnia, Deus sapientia, in quo et a quo et per quem sapiunt, quae sapiunt omnia [1].

Deus cui nos commisimus, sine dubitatione fert opem, et de his angustiis liberat nos, modo credamus, et eum rogemus devotissime.

Nihil plane libentius hoc loco fecerim, nam nusquam tantam caliginem pertuli. Deus pater noster, qui ut oremus hortaris, qui et hoc quod rogaris praestas. Siquidem cum te rogamus, melius vivimus, melioresque sumus: exaudi me palpitantem in his tenebris, et mihi dexteram porrige. Praetende mihi lumen tuum, revoca me ab erroribus, te duce in me redeam et in te [2].

74.—Omnis intentio gratiae Novi Testamenti qua sursum cor habemus, quia omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, id agit ne simus ingrati; atque in ipsa gratiarum actione nihil aliud agitur, nisi *ut qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Habes librum, etsi prolixum, tamen quantum existimo non superfluum, de gratia scilicet novi Testamenti.

Sed ama etiam ecclesiasticas legere litteras, et non multa invenies, quae requiras ex me, sed legendo et ruminando, si etiam pure Dominum largitorem bonorum omnium depreceris, omnia quae cognitione digna sunt, aut certe plurima, ipso magis inspirante, quam hominum aliquo commonente perdisces.

---

[1] Soliloq. lib. 1, nn. 1-3.
[2] Soliloq. lib. 2, n. 9.

Quamquam eo ipso, quo forinsecus bene admonentem judicio non errante approbamus, quid aliud quam internum lumen, magistrum nos habere testamur [1].

Scribens sanctus Petrus de aliquibus rebus difficilibus, quae in sancto Paulo inveniuntur, in secunda Epistola sua ait: *Quapropter, carissimi, haec spectantes satagite inviolati et immaculati apud eum reperiri in pace, et Domini nostri patientiam salutem existimate. Sicut et dilectissimus frater noster Paulus, secundum eam quae data est ei sapientiam, scripsit vobis, ut et omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles homines pervertunt, sicut et ceteras Scripturas, ad proprium suum interitum* (II Petr. III, 14 sq.).

Cavete ergo quod tantus Apostolus tan terribiliter dicit; et ubi sentitis vos non intelligere, interim credite divinis eloquiis, quia et liberum est hominis arbitrium, et gratia Dei, sine cuius adjutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo.

Et quod pie creditis, ut etiam sapienter intelligatis orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, ut sapienter intelligamus, est utique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis praeciperetur dicente Scriptura, *intelligite ergo qui insipientes estis in populo, et stulti aliquando sapite* (Psal. 93, 8).

Eo ipso quippe quo praeceptum et imperatum est ut intelligamus atque sapiamus, obedientia nostra requiritur, quae nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adjutorio Dei gratiae fieri per liberum arbitrium, ut intelligeremus atque saperemus,

[1] Lib. de Grat. novi Test. n. 85, seu Epist. 140 ad Honor.

non diceretur Deo, *da mihi intellectum et discam mandata tua* (Psal. 118, 125), neque in Evangelio scriptum esset, *tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas* (Lc. XIV, 45): nec Jacobus apostolus diceret, *si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei.*

Potens est autem Dominus, qui et vobis donet et nobis, ut de vestra pace et pia consensione nuntiis celerrimis gaudeamus. Saluto vos, non solum meo nomine, sed etiam fratrum qui mecum sunt, et rogo ut pro nobis concorditer atque instantanter oretis [1].

75.—*Suavitatem et eruditionem et scientiam doce me, quoniam mandatis tuis credidi* (Psal. 118, 66). Augeri sibi ista poscit et perfici; nam utique qui jam dixerat, suavitatem fecisti cum servo tuo secundum verbum tuum, quomodo dicit suavitatem doce me, nisi ut ei gratia Dei magis magisque innotescat dulcedine bonitatis? Habebant enim fidem qui dixerunt: *Domine auge nobis fidem* (Lc. XVII, 5). Et quandiu vivitur in hoc mundo proficentium est ista cantatio.

Addidit autem et eruditionem; vel sicut plures codices habent, disciplinam. Sed disciplinam, quam Graeci appellant paideiam, ibi Scripturae nostrae ponere consueverunt, ubi intelligenda est per molestias eruditio, secundum illud, *quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (Prov. III, 12, Hebr. XII, 6).

Haec apud ecclesiasticas litteras dici assolet disciplina interpretata de graeco, ubi legitur paideia. Hoc enim verbum in graeco positum est in Epistola ad he-

---

[1] Epist. 214 ad Valentinum, nn. 6, 7 (a. 46).

braeos, ubi latinus interpres ait: *omnis disciplina ad praesens non gaudii videtur esse, sed tristitiae, postea autem fructum pacificum, his qui per eam certarunt, reddit justitiae* (Hebr. XII, 11).

Cum quo ergo facit Deus suavitatem, id est, cui propitius inspirat boni delectationem; atque ut apertius id explicem, cui donatur a Deo caritas Dei, et propter Deum caritas proximi; profecto instanter orare debet, quo tantum sibi augeatur hoc donum, ut non solum pro illo contemnat delectationes ceteras, sed etiam pro illo quaslibet perferat passiones.

Ita suavitati salubriter additur disciplina. Non enim quantulaecumque suavitati vel bonitati, hoc est, caritati sanctae poscenda et optanda est; sed tam magnae, ut sub ejus pressura non possit extingui, sed sicut ingens flamma sub impetu venti, quanto magis reprimitur, tanto ardentius excitari. Ideo parum fuit dicere, suavitatem fecisti cum servo tuo, nisi rursus peteret ut eum doceat suavitatem, tantam utique ut disciplinam possit patientissime sustinere.

Tertia ponitur scientia; quoniam si magnitudine sua praecedit scientia magnitudinem caritatis, *non aedificat sed inflat* (1 Cor. VIII, 1).

Cum ergo tanta fuerit caritas in bonitate suavi, ut tribulationibus non possit extingui, quas adhibet disciplina; tunc utilis erit scientia, qua innotescit etiam sibi homo quid ipse meruerit, et quae a Deo donata sint ei, per quae posse se sciat quae se posse nesciebat, et per se ipsum omnino non poterat.

Quod autem non ait, da mihi; sed doce me, quomodo suavitas docetur si non detur? Quando quidem multi quod eos non delectat sciunt, et quarum rerum habent

cognitionem, non habent suavitatem. Suavitas enim disci non potest, nisi delectet.

Item disciplina, quae significat emendatoriam tribulationem accipiendo discitur, id est non audiendo, vel legendo, vel cogitando, sed experiendo. At vero scientia, quam tertiam posuit in his quae ait, doce me, docendo datur. Nam quid est aliud docere, quam scientiam dare? Et haec duo ita sibi connexa sunt, ut alterum sine altero esse non possit. Nemo enim docetur nisi discat, et nemo discit nisi doceatur.

Et ideo si discipulus capax non sit eorum quae a doctore dicuntur, non potest doctor dicere: ego eum docui, sed ipse non didicit; dicere autem potest: ego ei dixi quod dicendum fuit, sed ille non didicit, quia non percepit, non comprehendit, non intellexit. Nam profecto et ille didicisset, si iste docuisset.

Et ideo Deus quando vult docere, prius dat intellectum, sine quo ea quae ad divinam doctrinam pertinent, homo non potest discere; unde et iste paulo post dicit: da mihi intellectum ut discam mandata tua. Potest itaque homo, cum docere aliquem cupit, dicere illa quae dixit Dominus discipulis suis, posteaquam resurrexit a mortuis; sed facere quod ille fecit, non potest.

Ait enim Evangelium: tunc aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit illis (Lc. XXIV, 45, 46). Quid autem illis dixerit, ibi legitur; sed ideo ceperunt quod dixit, quia unde caperetur aperuit.

Docet ergo Deus suavitatem inspirando delectationem, docet disciplinam temperando tribulationem, docet scientiam insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint quae ideo discimus, ut tantummodo sciamus, alia vero ut etiam faciamus; quando Deus ea docet, sic

docet ut scienda sciamus aperiendo veritatem, sic docet ut facienda faciamus inspirando suavitatem.

Neque enim frustra ei dictur, *doce me facere voluntatem tuam* (Psal. 142, 10); sic inquit, doce ut faciam, non tantummodo ut sciam. Ipsa quippe recta facta fructus est noster, quem reddimus agricolae nostro; sed Scriptura dicit, *Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (Psal. 84, 13). Quae autem ista terra est, nisi de qua dicitur eidem ipsi qui dat suavitatem, *anima mea velut terra sine aqua tibi* (Psal. 142, 6)?

Quod vero cum dixisset, suavitatem et disciplinam et scientiam doce me, adjunxit atque ait, *quoniam mandatis tuis credidi*; non immerito quaeri potest cur non dixerit, obedivi, sed credidi.

Alia sunt enim mandata, alia promissa. Mandata facienda suscipimus, ut accipere promissa mereamur. Promissis ergo credimus, mandatis obtemperamus. Quid est ergo mandatis tuis credidi, nisi credidi quod tu illa mandaveris, non aliquis homo, quamvis per homines hominibus ministrata sint? Quia itaque credidi tua esse mandata, ipsa fides mea qua id credidi, impetret abs te gratiam, qua faciam quod mandasti.

Si enim homo mihi haec juberet forinsecus, nunquid ut etiam facerem quod juvebat, adjuvaret intrinsecus? Doce ergo me suavitatem inspirando caritatem, doce me disciplinam donando patientiam, doce me scientiam illuminando intelligentiam. Quoniam mandatis tuis credidi. Te illa credidi mandasse qui Deus es, et homini donas unde facias eum facere quod mandas [1].

Apostolus omnibus ad regenerationem pertinentibus dicit: *Renovamini spiritu mentis vestrae* (Ephes. IV, 23),

---

Enar. in Psal. 118, Serm. 17, nn. 2-4.

et utique intellectus in mente est. Hinc rursus ait, *reformamini in novitate sensus vestri* (Rom. XII, 2).

De his autem qui hujus regenerationis consortes non erant, hoc, inquit, *dico et testificor in Domino, ut non jam ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate mentis suae, obscurati intelligentia, alienati a via Dei per ignorantiam, quae est in illis propter caecitatem cordis eorum* (Dph. IV, 17).

Propter hos igitur interiores oculos, quorum caecitas est non intelligere, ut aperiantur, et magis magisque serenentur, fide corda mundantur (Act. XV, 9).

Quamvis enim nisi aliquid intelligat, nemo possit credere in Deum; tamen ipsa fide qua credit, sanatur ut intelligat ampliora. Alia sunt enim, quae nisi intelligamus, non credimus; et alia sunt quae nisi credamus, non intelligimus.

Nam cum *fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (Rom. X, 17), quomodo credit praedicanti fidem, qui ut alia taceam, linguam ipsam quam loquimur non intelligit? Sed nisi essent rursus aliqua, quae intelligere non possumus, nisi ante credamus, propheta non diceret *nisi credideritis, non intelligetis* (Is. VII, 9, juxta LXX). Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quae credat, et fides proficit ad credenda quae intelligat; et eadem ipsa ut magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens.

Sed hoc non fit propriis tamquam naturalibus viribus, sed Deo adjuvante atque donante; sicut medicina fit, non natura, ut vitiatus oculus vim cernendi recipiat. Qui ergo dicit Deo, da mihi intellectum ut discam mandata tua, non omni modo expers ejus est, velut pecus: nec ita quamvis homo, ut in eorum numero deputandus

sit, qui ambulant in vanitate mentis suae, obscurati intelligentia, alienati a via Dei. Nam si talis esset, nec hoc diceret.

Non autem parvi est intellectus, nosse a quo poscendus sit intellectus. Et cogitandum est quanto sint altius intelligenda divina mandata; quando ad ea discenda sibi adhuc dari intellectum petit, qui jam sic intelligit, et qui eloquia Dei se custodisse ante jam dixit [1].

Da mihi intellectum et sciam testimonia tua (Psal. 118, 125). Numquam intermittenda est ista petitio. Non enim sufficit accepisse intellectum, et Dei testimonia dedicisse, nisi semper accipiatur et quodammodo semper bibatur de fonte lucis aeternae. Testimonia quippe Dei, quanto fit quisque intelligentior, tanto magis magisque sciuntur [2].

76.—**Precatio divi Augustini ad Deum.** Exaudi, Domine, deprecationem meam, ne deficiat anima mea sub disciplina tua; neque deficiam in confitendo tibi miserationes tuas, quibus eruisti me ab omnibus viis meis pessimis; ut dulcescas mihi super omnes seductiones, quas sequebar, et amem te validissime et amplexer manum tuam totis praecordiis meis, et eruas me ab omni tentatione usque in finem.

Ecce enim tu, Domine, rex meus et Deus meus, tibi serviat quidquid utile puer didici; tibi serviat quod loquor, et scribo, et lego et numero; quoniam cum vana discerem, tu disciplinam dabas mihi, et in eis vanis peccata delectationum mearum dimisisti mihi. Didici enim in eis multa verba utilia; sed et quae in rebus non

---

1 Enar. in Psal. 118, Serm. 18, n. 3.

2 Enar. in Psal. 118, Serm. 26, n. 6.

vanis disci possunt, et ea via tuta est in qua pueri ambularent [1].

77.—Ad caritatem obtinendam et augendam. Hoc tibi breviter possum dicere ad perfectionem: *Dilige Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota virtute tua; et dilige proximum tuum tamquam te ipsum* (Mt. XXII, 37).

Hoc est enim verbum quod breviavit Dominus super terram, dicens in Evangelio, *in his duobus praeceptis tota Lex pendet et Prophetae* (Ib. 40).

In hac ergo dilectione cotidie profice, et orando, et bene agendo, ut ipso adjuvante, qui tibi eam praecepit atque donavit, nutriatur et crescat, donec haec te perfecta perficiat. Ipsa est enim caritas, quae, sicut Apostolus dicit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. V, 5). Ipsa est de qua item dicit: *plenitudo legis caritas* (Rom. XIII, 10). Ipsa est per quam fides operatur, unde iterum dicit: *neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur* (Gal. v. 6).

In hac ergo omnes sancti Patres nostri et Patriarchae et prophetae et Apostoli placuerunt Deo.

In hac omnes vere Martyres usque ad sanguinem contra diabolum certaverunt, et quia in eis non refriguit, nec defecit, ideo vicerunt.

In hac omnes fideles boni cotidie proficiunt, pervenire cupientes non ad regnum mortalium, sed ad regnum caelorum; non ad temporalem, sed ad sempiternam hereditatem; non ad aurum et argentum, sed ad divitias incorruptibiles angelorum; non ad aliqua bona

---

[1] Confess. Lib. I, cp. XV, n. 24.

hujus saeculi, in quibus cum timore vivitur, nec ea quisquam secum potest auferre dum moritur, sed ad videndum Deum, cujus suavitas et delectatio excedit omnem non solum terrestrium, verumetiam caelestium corporum pulchritudinem, excedit omnem decorem animarum quantumlibet justarum atque sanctarum, excedit omnem speciem supernorum Angelorum atque Virtutum, excedit quidquid de illo non solum dicitur, verumetiam cogitatur.

Neque hanc tam magnam promissionem, quia valde magna est, ideo desperemus; sed potius, quia valde magnus eam promissit, accepturos nos esse credamus. Sicut enim dicit beatus Joannes Apostolus: *filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* [1].

---

[1] Epist. 189 ad Bonifac. nn. 2, 3 (a. 90). **Doctrina divi Thomae:** Quia nobis utilissima est caritas, studiose laborandum est ad acquirendam eam et retinendam.

Sed sciendum quod nullus a se caritatem habere potest, immo solius Dei est donum: unde Joannes dicit: *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos* (I Jo. VI, 10): quia videlicet non propterea ipse nos diligit quia nos prius dilexerimus eum; sed hoc ipsum quod diligimus eum, causatur in nobis ex dilectione ipsius.

Considerandum etiam quod licet omnia dona sint a Patre luminum, istud tamen donum, scilicet caritatis, omnia alia dona superexcellit; omnia enim alia sine caritate et Spiritu sancto habentur, cum caritate vero necessario Spiritus sanctus habetur; *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (Rom. V, 5).

Sive enim sit donum linguarum, sive scientiae, sive prophetiae, absque gratia et Spiritu sancto habentur.

Sed licet caritas sit donum divinum, ad ipsam tamen habendam requiritur dispositio ex parte nostra. Et ideo sciendum quod duo specialiter ad acquirendam caritatem necessaria sunt, et duo ad augmentum caritatis jam acquisitae.

Ad acquirendum igitur caritatem primum est diligens divini verbi auditio; et hoc manifestum est satis ex his quae sunt apud nos. Audientes enim bona de aliquo, in ejus dilectionem accendimur: sic et

78.—*Quandiu peregrinantes a Domino per fidem ambulamus, non per speciem, unde dictum est, justus ex fide vivit* (Habac. II, 4); haec est nostra in ipsa peregrinatione justitia, ut ad illam perfectionem plenitudinemque justitiae, ubi in specie decoris ejus jam plena et perfecta caritas erit, nunc ipsius cursus rectitudine et perfectione tendamus, castigando corpus nostrum et servituti subjiciendo, et eleemosynas in dandis beneficiis, et dimittendis quae in nos sunt commissa peccatis, hilariter et ex corde faciendo, et orationibus indesinenter instando; et haec faciendo in doctrina sana, qua aedificatur fides recta, spes firma, caritas pura.

Haec est nunc nostra justitia, qua currimus esurientes et sitientes ad perfectionem plenitudinemque justitiae, ut ea postea saturemur.

Dei verba audientes, accendimur in amorem ejus. Sic dicit psalmus (118, 140): *ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* Item Psalmus 104, 20: *eloquium Domini inflammavit eum.* Et propterea alli duo discipuli divino amore aestuantes dicebant: *nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* (Lc. XXIV, 32)?

Unde et Act. X, legitur quod praedicante Petro, Spiritus sanctus in auditores divini verbi cecidit. Et hoc frequenter accidit in praedicationibus, quod qui duro corde accedunt, propter verbum praedicationis ad divinum amorem accenduntur.

Secundum est bonorum continua cogitatio. Unde dicit psal. *concaluit cor meum intra me* (38, 4). Si ergo vis divinum amorem consequi, mediteris bona. Durus enim nimis esset, qui divina beneficia quae consecutus est, pericula etiam quae evasit, et beatitudinem quae sibi a Domino repromittitur, cogitans, ad divinum amorem non accenderetur: unde Augustinus: durus est animus hominis qui etsi dilectionem nolit impendere, saltem non velit rependere.

Et universaliter, sicut cogitationes malae destruunt caritatem, ita bonae eam acquirunt, nutriunt et conservant; unde juvemur Is. I, 16: *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Sap. I, 3: *perversae cogitationes separant a Deo.*

Sunt autem et duo quae habitam caritatem augent. Primum est cordis separatio a terrenis. Cor enim perfecte in diversa ferri non potest; unde nullus valet Deum et mundum diligere; et ideo quanto magis ab amore terrenorum noster animus elongatur, tanto magis

Unde Dominus in Evangelio cum dixisset: *nolite facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis* (Mt. VI, 1); ne istum nostrum cursum fine humanae gloriae metiremur, non est in expositione justitiae ipsius executus, nisi tria ista, jejunium, eleemosynas, orationes; jejunio scilicet universam corporis castigationem significans; eleemosynis omnen benevolentiam et beneficentiam, vel dandi vel ignoscendi; et oratione insinuans omnes regulas sancti desiderii, ut quoniam in castigatione corporis frenetur concupiscentia, quae non frenari, sed omnino esse non debet, nec erit in illa perfectione justitiae, ubi nullum erit omnino peccatum; et saepe in usu rerum etiam concessarum atque licitarum exerit immoderationem suam: in ipsa vero beneficentia qua justus consulit proximo, quaedam fiunt quae ob-

---

firmatur in dilectione divina. Unde Augustinus dicit (Lib. de quaest. q. 36, n. 1): caritatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium: nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis; perfectio nulla cupiditas, quia *radix omnium malorum est cupiditas* I Tim. VI, 10).

Quisquis igitur caritatem nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus. Est autem cupiditas amor adipiscendi aut obtinendi temporalia. Hujus imminuendae initium est Deum timere, qui solus timeri sine amore non potest. Et propter hoc ordinatae fuerunt religiones, in quibus et per quas a mundanis et corruptibilibus animus trahitur, et erigitur ad divina; quod signatur II Mach. I, 22, ubi dicitur: *refulsit sol, qui prius erat in nubilo.* Sol, id est intellectus humanus, est in nubilo, quando deditus est terrenis, sed refulget, quando a terrenorum amore elongatur et retrahitur. Tunc enim splendet, et tunc divinus amor in eo crescit.

Secundum est firma patientia in adversis. Manifestum est enim quod quando gravia pro eo quem diligimus, sustinemus, amor ipse non destruitur, imo crescit. Cant. VIII, 7: *aquae multae,* idest tribulationes multae, *non potuerunt extinguere caritatem.* Et ideo sancti viri qui adversitates pro Deo sustinent, magis in ejus dilectione firmantur; sicut artifex illud artificium magis diligit in quo plus laboravit. Et inde est quod fideles quanto plures afflictiones pro Deo sustinent, tanto magis elevantur in amore ipsius, Gen. VII, 17: *multiplicatae sunt aquae,* idest tribulationes, *et elevaverunt arcam in sublime,* idest, Ecclesiam, vel animam viri justi (Opusc. III, cp. IV).

sint, cum prodesse putata sint; et aliquando per infirmitatem, vel cum minus sufficit necessitatibus aliorum, vel parum in eis proficit, quod benignitatis ac laboris impenditur, subrepit taedium, quo fuscetur hilaritas in qua datorem diligit Deus; subrepit autem tanto magis, quanto minus quisque, et tanto minus quato magis profecerit (II Cor. IX, 7): his atque hujusmodi consideratis, merito in oratione dicimus, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. VI, 12).

Si tamen quod dicimus faciamus, ut vel ipsi etiam diligantur inimici; vel si quisquam adhuc in Christo parvulus hoc nondum facit; poenitenti tamen quod in eum quisque peccavit, et veniam petenti, ex intimo cordis ignoscat, si vult ut ejus orationem Pater caelestis exaudiat.

In qua oratione, si contentiosi esse nolimus, satis nobis propositum speculum est, ubi inspiciatur vita justorum, qui ex fide vivunt, et perfecte currunt, quamvis sine peccato non sint. Unde dicunt, dimitte nobis; quia nondum quo curritur pervenerunt.

Hinc dicit Apostolus: *non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim, fratres, ego me non arbitror apprehendisse; unum autem quae retro oblitus, in ea quae antea sum extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernae vocationis in Dei Christo Jesu* (Philip. III, 12).

Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus, id est, quotquot perfecte currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur quo perfecte adhuc currimus; *Ut cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur* (I Cor. XIII, 10); id est, non jam ex parte sit, sed ex toto; quia fidei et spei jam res ipsa, non quae credatur et speretur, sed quae videatur teneatur-

que succedet: caritas autem, quae in his tribus major est, non auferetur, sed augebitur et implebitur, contemplata quae credebat, et quod sperabat indepta.

In qua plenitudine caritatis praeceptum illud implebitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.*

Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiae, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit.

Tunc erit justus sine ullo omnino peccato, quando nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus; sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque praeceptum (Mt. XXII, 37).

Cur ergo non praeciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat (Cf. libr. de Spiritu et Litt. cp. 36)? Non enim recte curritur, si quo currendum est nescitur. Quomodo autem sciretur, si nullis praeceptis ostenderetur: *sic ergo curramus ut comprehendamus* (I Cor. IX, 24). Omnes enim qui recto currunt, comprehendent: non sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam.

Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, et eleemosynas in bonis dandis malisque ignoscendis, hilariter ex corde faciendo, et currentium vires ut adjuventur orando; et sic audiamus praecepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.

His praemissis, ea testimonia quae posuit iste cui respondemus, tamquam nos ea protulerimus, diligenter audiamus.

In Deuteronomio: *tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo* (XVII, 13). Item Salvator in Evangelio: *estote perfecti quia Pater vester qui in caelis est, perfectus est* (Mt. v, 48). Item Apostolus ad Corinthios secunda: *de cetero, fratres, gaudete, perfecti estote* (XIII, 11). Item ad Colossenses: *corripientes omnem hominem, et docentes in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo* (I, 28). Item ad Philippenses: *omnia facite sine murmuratione et haesitatione, ut sitis irreprehensibiles et simplices, sicut filii Dei immaculati* (III, 14). Item ad Ephesios: *Benedictus Deus et Pater Domini Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus* (I, 3). Horum testimoniorum aliqua currentes exhortantur, ut perfecte currant; aliqua ipsum finem commemorant, quo currendo pertendant.

Ingredi autem sine macula non absurde etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe, hoc est, iter nostrum quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio. Munda est autem oratio ubi veraciter dicitur: dimitte nobis, sicut et hos dimittimus, ut dum non reprehenditur, quod non imputatur, sine reprehensione, hoc est, sine macula noster ad perfectionem cursus habeatur; in qua perfectione, cum ad eam venerimus, jam non sit omnino quod ignoscendo mundetur [1].

Hoc donum gratiae qui non habet, non dubito dicere, alia quaecumque habet, inaniter habet.

---

[1] Liber de perfect. justit. hominis ad Eutrop. nn. 18-20.

Hoc optamus ut Pelagiani habeant; isti autem nostri ut plenius habeant. Non itaque simus in disputationibus prompti, et in orationibus pigri. Oremus, dilectissimi, oremus, ut Deus gratiae det etiam inimicis nostris, maximeque fratribus et dilectoribus nostris, intelligere et confiteri post ingentem et ineffabilem ruinam, qua in uno omnes cecidimus, neminem nisi gratia Dei liberari; eamque non secundum merita accipientium tamquam debitam reddi, sed tamquam veram gratiam nullis meritis praecedentibus gratis dari [1].

79.—Ad vitam et perfectionem christianam. Conversatio tua fortior atque fructuosior ad Dominum Deum nostrum magnum nobis attulit gaudium. Elegisti enim a juventute doctrinam, ut invenias usque ad canos sapientiam (Eccli. VI, 18). *Cani sunt ergo sensus hominis, et senectutis aetas vita immaculata* (Sap. IV, 9). Quam donet tibi Dominus petenti, quaerenti atque pulsanti qui novit bona data dare filliis suis (Mt. VII, 11).

Quamvis enim abundent tibi exhortatores et exhortationes ad viam salutis et gloriae sempiternae, maxime ipsa gratia Christi, quae tibi tan salubriter in corde tuo locuta est; tamen etiam nos pro dilectionis officio, quam tibi debemus, afferimus aliquid exhortationis in hac resalutatione nostra, qua te non pigrum vel dormientem excitemus, sed provocemus incitemusque currentem.

Sapere te oportet, fili, ut perseveres, quia sapuisti ut eligeres. Sit hoc ipsum sapientiae tuae, scire cujus donum hoc est. *Revela ad Dominum viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet, et deducet velut lumen justitiam tuam, et judicium tuum velut meridiem* (Psal. 36, 5).

---

[1] De dono persever. n. 66.

Ipse faciet rectos cursus tuos, et itinera tua in pace producet (Prov. IV, 27). Sicut sprevisti quod sperabas in saeculo, ne in abundantia divitiarum gloriareris, quas more filiorum saeculi hujus concupiscere coeperas; ita nunc ad tollendum jugum Domini et sarcinam ejus, in virtute tua non confidas, et illud lene erit, et haec levis (Mt. XI, 30). Pariter quippe improbantur in psalmo et qui confidunt in virtute sua, et qui in abundantia divitiarum suarum gloriantur (Psal. 48, 7). Ergo divitiarum gloriam non jam habebas, sed quam habere cupiebas, prudentissime contempsisti.

Cave ne tibi subrepat in tua virtute confidere; homo es enim, *et maledictus omnis qui spem suam ponit in homine* (Jerem. XVII, 5). Sed plane in Deo tuo toto corde confide, et ipse erit virtus tua, in qua pius gratusque confidas, cui dicas humiliter et fideliter, *diligam te, Domine, virtus mea* (Psal. XVII, 2). Quia et ipsa caritas Dei, quae perfecta foras mittit timorem (Rom. IV, 8), non per vires nostras, id est, humanas diffunditur in cordibus nostris, sed sicut dicit Apostolus, per Spiritum sanctum qui datus est nobis (Rom. v, 5).

Vigila ergo et ora, ne intres in tentationem. Ipsa quippe oratio admonet te, quod indigeas adjutorio Domini tui, ne spem bene vivendi in te ponas. Oras enim non jam ut accipias divitias et honores praesentis saeculi, aut aliquid vanitatis humanae, sed ne intres in tentationem. Quod utique si homo praestare posset volendo, non posceretur orando.

Quapropter ut non intremus in tentationem, si voluntas sufficeret, non oraremus; quae tamen si deesset, nec orare possemus. Adsit ergo ut velimus, oremus autem ut valeamus quod voluerimus, cum ipso donante recte sapuerimus.

Quod bonum quoniam jam coepisti, est unde gratias agas. *Quid enim habes quod non accepisti, si autem accepisti, cave ne glorieris quasi non acceperis* (I Cor. IV, 7), hoc est, quasi ex te ipso habere potueris.

Sciens autem unde acceperis, ab illo pete ut perficiatur, a quo datum est ut inciperetur, *cum timore itaque et tremore tuam salutem operare* (Philip. II, 12). *Deus est enim qui operatur in te et velle et perficere pro bona voluntate; quoniam praeparatur voluntas a Domino, atque ab ipso gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet* (Psal. 36, 23).

Haec cogitatio sancta servabit te, ut sapientia tua pietas sit, id est ut ex Deo sis bonus, et Christi gratia non ingratus [1].

Notum mihi fac, Domine, finem meum (Psalm. 38, 5), finem qui mihi deest, non cursum qui mihi adest.

Finem illum dicit, quem currens intuebatur Apostolus, et de sua imperfectione confitebatur, aliud in se intuens, aliud alibi quaerens. Ait enim non *quia jam acceperim, aut jam perfectus sim, fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse* (Philip. III, 12).

Et ne diceres, si non apprehendit Apostolus, ego apprehendi, si perfectus non est Apostolus, ego perfectus sum? Vide quid agat, attende quid dicat.

Quid ergo agis, Apostole, nondum apprehendisti, nondum perfectus es? Quid agis, ad quam actionem me hortaris, quid mihi imitandum sequendumque proponis? *Unum autem,* inquit, *quae retro sunt oblitus, in ea quae ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernae vocationis Dei in Christo Jesu* (Philip. III,

---

[1] Epist. 218 ad Palatinum, nn. 1-3 (a. 208).

14), secundum intentionem, nondum secundum perventionem, nondum secundum apprehensionem.

Non relabamur unde jam transilivimus, nec remaneamus in illis in quae jam venimus. Curramus, intendamus, in via sumus, nec tam sis securus ex eis quae transisti, quam sollicitus pro eis ad quae nondum pervenisti. Quae retro inquit, oblitus in ea quae ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernae vocationis Dei in Christo Jesu.

Ipse est enim finis. Unum autem, hoc est unum illud, *Domine, ostende nobis Patrem et sufficit nobis* (Jo. XIV, 9). Unum autem, quae et una dicitur in alio Psalmo, *unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitae meae.* Propter quid? *Ut contempler delectationem Domini* (Psalm. XXVI, 4).

Ibi enim gaudebo de socio, non timebo de adversario; ibi enim contemplator mecum erit amicus, non calumniator inimicus. Hoc desideravit Psalmista, notum fieri sibi cum hic esset, ut sciret quid sibi deesset; et non tam gauderet de his ad quae pervenerat, et quibusdam jam transilitis, non remaneret in via, sed desiderio raperetur in superna; usquequo ille qui quaedam transilierat, omnia transiliret, et ab irroratione quadam guttarum dominicarum de Scripturarum nube venientium, veniret sicut cervus ad fontem vitae, et in illo lumine videret lumen, et absconderetur in vultu Dei a conturbatione hominum (Psal. 41, 2, XXXV, 10; XXX, 21): ubi diceret, bene est, ultra nihil volo, omnes hic amo, neminem hic timeo. Bonum desiderium, sanctum desiderium. Qui jam hoc habetis, congaudete nobis; et orate ut perseveranter habeamus, ne inter scandala deficiamus.

Nam et nos pro vobis hoc idem rogamus. Non enim

nos digni qui pro vobis oremus, et vos indigni qui pro nobis oretis. Auditoribus suis quibus praedicabat verbum Dei, se commendabat Apostolus (Colos. IV, 3). Orate ergo pro nobis, ut et quod videndum est bene videamus, et quod dicendum est, bene dicamus.

Ceterum hoc desiderium, novi, in paucis est; nec me optime intelligunt, nisi qui gustaverint unde loquor. Loquimur tamen omnibus, et habentibus tale desiderium, et nondum habentibus: habentibus ut nobiscum in illa suspirent, non habentibus, ut pigritiam excutiant, ima transiliant, ad dulcedinem legis dominicae veniant, non in delectationibus iniquorum remaneant.

Narrant enim multa multi, et laudant multa multi, iniqua iniqui. Et revera et illa iniqua habent delectationem, sed non sicut lex tua, Domine (Ps. 118, 85). Dicant ergo nobiscum qui credunt haec dicere et nos. Negotium enim hoc intus est, nullis verbis ostendi potest. Sed qui hoc agit, credat esse et in alio; non solum se putet accepisse quod Dei est. Dicat ergo in his cum Psalmista, *notum fac mihi Domine, finem meum* [1].

80.—Quoniam in proximo est dies redemptionis vestrae, percipite, dilectissimi, ea quae vos erudiant atque corda vestra enutriant, erigant, corroborent ad timorem Dei: fervor iste tanti amoris non pigrescat in cordibus vestris. Nec putet quis tantum esse christianum, quod his imbutus mysteriis renascitur ex aqua et spiritu, et postmodum dimittat se voluptatibus variis; securusque effectus quod sacramento baptismatis munierit animam suam, non eam custodiat contra versutias inimici.

Immo et ipse quantum potest custodiat, et custodien-

---

[1] Enar. in Psal. 38, n. 6.

dam petat, ne tempestatibus hujus mundi procellisque depereat. Baptizatus est quis, navis est instaurata, subuncta, velificata, missa in mare, indiget gubernaculo, quousque ad portum desideratum perveniat.

Mare, hoc saeculum scilicet, non solum tempestatibus scopulisque periculosum est, verumetiam bestiis cupiditatum insidiantibus abundans. Omni sollicitudine, omni cura, omni industria excitati jam vigilent nautae; frequenter etiam Christus invocetur gubernator, ut navem tantis periculis ereptam, ad portum securitatis ipse perducat.

Baptizatus es, signatus es regio charactere, coepisti consequi annonam de mensa Regis tui. Noli esse desertor, nec ut delicatus miles diffluas per voluptates, et te hostis diabolus inermem diffluentemque inveniat; sed ut fortis miles quidquid potes age in hoc bello, ut virtus tua Christus non solum te tueatur, verum etiam alii proficiant ad salutem.

Postula a rege tuo arma spiritalia. Bellum tibi, inquit, indicitur, in quo enitescas pugnando, ut ad plenam pacem triumphando pervenias. Non contra unum dimicabis, multi enim contra te exient adversarii, pugnabis cum vitiis, et ut beatus martyr Cyprianus ait (Libr. de Mortalitate), si depresseris avaritiam, exurget libido; et si ambitio a te fuerit devicta, ira, zelus, aemulatio, invidentia, superbia, ebriositas cum ceteris suis pestiferis sociis in unum contra te dimicantium constituent castra.

Sed non metuas, habes quod agas. Invoca Dominum virtutum, induat te ex alto virtute, ut illam proferas vocem: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; et si exurgat in me praelium, in illo ego sperabo* (Ps. 26, 3).

In illo sperabo; in quo nisi in Domino virtutum, qui militem suum ita expectat dimicantem, ut adjuvet laborantem?

Baptizatus es, mundatus, unctus oleo, restauratum est corpus tuum ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum; noli postmodum male securus esse. Ad agonem produceris, contra diabolum vitiorum principem dimicabis in arena hujus mundi; utraeque partes, Christi scilicet et diaboli, infinita populi multitudo te expectat luctantem; et quisnam vincat, vide omnem turbam nimia intentione pendentem: non de te triumphet pars diaboli.

Si vis vincere, noli de te praesumere; sed illi assigna victoriae gloriam, qui tibi donat ut victoriae perferas palman. Vis vincere? Caput prius contere inimici, excludendo de corde tuo suggestiones diaboli. Vis vincere? Manus tuae fortes inveniantur in bono opere. Vis vincere? Fige pedes, non nutent vestigia tua frequentando spectacula et deserendo ecclesiam.

Sed ut hanc etiam in tam magno agone et tam grandi luctamine possis implere victoriam, *mittat tibi Dominus auxilium de sancto et de Sion tueatur te* (Ps. XIX, 3) [1].

Doce me justificationes tuas, id est, vias tuas. Sic doce me ut agam, non ut tantummodo sciam quid agere debeam. Sicut enim dictum est de Domino quod non noverat peccatum (II Cor. V, 21), et intelligitur non fecerat; sic et justitiam ille vere dicendus est nosse, qui facit. Nam utique si omnino non faceret, profecto illa superiora non diceret: *servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus.* Non ergo in quibus exercebatur,

---

[1] De Cataclysmo, nn. 1, 2.

has vult a Domino discere; sed ab istis ad alia proficiendo, velut crescendo, desiderat pervenire.

Denique adjungit et dicit: *viam justificationum tuarum instrue me*. Quod expressius de graeco dicitur, fac me intelligere: συνέτισόν με. Et exercebor in mirabilibus tuis. Ipsas justificationes ampliores, quas proficiendo cupit apprehendere, mirabilia Dei vocat. Sunt ergo quaedam Dei justificationes ita mirabiles, ut humana infirmitas ab eis qui experti non sunt, non ad eas posse pervenire credatur.

Unde laborans iste et earum difficultate quodam modo fatigatus, adjungit, *dormitavit anima mea prae taedio, confirma me in verbis tuis*. Quid est dormitavit, nisi ab spe refriguit, qua eas se apprehensuram esse crediderat? Sed confirma me, inquit, in verbis tuis, ne ab eis quoque, ad quae pervenisse me jam sentio, decidam dormitando; confirma itaque me in eis verbis tuis, quae jam teneo, quae jam facio, ut ex eis ad alia possim proficiendo pertendere.

Et quid impedit in via justificationum Dei sic ambulare, ut homo facile possit ad illa etiam mirabilia pervenire? Quid putamus, nisi quod a se amoveri in consequentibus rogat dicens, viam iniquitatis amove a me? Et lege tua miserere mei. Qua lege, nisi lege fidei, ut docet Apostolus (Rom. V, 20)? Haec est lex fidei, qua credimus et oramus per gratiam nobis donari, ut faciamus quod per nos metipsos implere non possumus; *ne ignorantes Dei justitiam, et nostram volentes constituere, justitiae Dei non simus subjecti* (Rom. II, 27). In lege itaque factorum, est Dei jubentis justitia, in lege autem fidei, subvenientis misericordia [1].

---

[1] Enar. in Ps. 118, Serm. 10, nn. 3-5.

81.—*Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper.* Cum iste adhuc poscit sibi legem poni, ideo dicit quia proficiens loquitur, et Dei donum novit esse quod proficit; unde nihil aliud petit nisi ut in ea magis magisque proficiat. Quemadmodum si poculum plenum teneas, et sitienti dare incipias, et haurit bibendo, et poscit desiderando.

Sed addidit, et exquiram eam semper. Quid enim exquirit quod habet, nisi quia et habet agendo, et exquirit proficiendo?

Gratia itaque Dei nobis praecipue commendatur, quando sibi legem poni poscit a Domino, qui utique jam legem secundum litteram noverat.

Sed quia *littera occidit, spiritus autem vivificat* (II Cor. III, 6); orat per Spiritum faciat, quod per litteram sciebat; ne per scientiam mandati non observati etiam praevaricationis ei crimen accedat.

Quamquam etiam ut sciatur lex quomodo scienda est, id est ut intelligatur quid sibi velit, quare sit eis posita, qui eam non erant servaturi, quid habeat utilitatis etiam hoc ipsum quod *lex subintravit, ut abundaret delictum* (Rom. V, 20), nemo comprehendit, nisi a Domino acceperit intellectum; unde iste adjungit et dicit: *da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.*

Cum enim quisque legem scrutatus fuerit, et ad ejus alta pervenerit, in quibus tota pendet; profecto debet Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; et proximum suum tamquam seipsum. In his enim duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae. Hoc videtur promisisse cum dixit, et custodiam illam in toto corde meo.

Sed quia et hoc minus valet viribus propriis, nisi adjuvemur ab illo qui jubet, *deduc me,* inquit, *in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Parum est mihi voluntas mea, nisi in eo quod volui, me ipse deducas.

Et certe ipsa est semita, hoc est, via mandatorum Dei, quam se, dilatato ab illo corde suo, cucurrisse jam dixerat.

Quam propterea etiam semitam vocat, quia *angusta est via quae ducit ad vitam* (Mt. VII, 14), et cum sit angusta, nisi dilatato corde non curritur.

Sed quoniam adhuc proficit, adhuc currit; et ideo divinum auxilium quo deducatur, inquirit, quia *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. IX, 16): denique quia et *ipsum velle Deus operatur in nobis* (Philip. II, 13), praeparatur enim voluntas a Domino; sequitur et dicit, inclina cor meum in testimonia tua et non in avaritiam.

Quid est inclinatum cor ad aliquid habere, nisi hoc velle? Et voluit ergo, et orat ut velit. Voluit cum dicit; deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam voluit: orat autem ut velit, cum dicit; inclina cor meum in testimonia tua et non in avaritiam. Hoc itaque orat, ut in ipsa voluntate proficiat.

Quae sunt autem Dei testimonia, nisi quibus sibi ipse attestatur? Testimoniis enim aliquid probatur; ac per hoc justificationes Dei et mandata Dei testimoniis Dei probantur; et quidquid nobis persuadere vult Deus, suis testimoniis persuadet, in quae iste petit inclinari cor suum et non in avaritiam. Testimoniis quippe suis agit nobiscum Deus, ut eum gratis colamus; quod impedit avaritia, radix omnium malorum [1].

---

[1] Enar. in Ps. 118, Serm. 11, nn. 2-6.

Super inimicos meos sapere fecisti me mandatum tuum, quoniam in aeternum mihi est (Ps. 118, 98). Illi namque zelum quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam, et suam quaerentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti.

Iste vero qui super istos inimicos suos sapit mandatum Dei, inveniri vult cum Apostolo non habens justitiam suam, quae ex lege est, sed justitiam per fidem Christi, quae ex Deo est; non quia lex quam legunt inimici ejus, non est ex Deo, sed quia eam non sapiunt, sicut iste qui super inimicos suos eam sapit, cohaerendo lapidi in quem illi offenderunt (Rom. IX, 32). *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* (Rom. X, 4), *ut justificentur gratis per gratiam ipsius* (Rom. III, 24); non sicut illi qui viribus suis se legem facere existimant, et ideo ex lege quidem Dei, sed suam justitiam constituere quaerunt; sed quomodo filius promissionis, qui esuriens et sitiens eam, petendo, quaerendo, pulsando quodam modo a Patre mendicat (Mt. V, 6), ut adoptatus per Unigenitum accipiat [1].

82.—*Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, ut non ea quae vultis faciatis* (Rom. VII, 14). Praecipitur ut recte vivamus, hac utique mercede proposita, ut in aeternum beate vivere mereamur; sed quis potest recte vivere et bene operari, nisi justificatus ex fide (Gal. V, 17)?

Praecipitur ut credamus, ut dono accepto Spiritus sancti per dilectionem bene operari possimus; sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate

---

[1] Enar. in Ps. 118, Serm. 22, n. 2.

tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?

Quis autem amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit?

Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et praebetur gratia Dei, non nutu nostro et industria aut operum meritis comparatur; quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritate ferventia, ille tribuit, ille largitur.

Petere jubemur ut accipiamus, et quaerere ut inveniamus, et pulsare ut aperiatur nobis (Mt. VII, 7). Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia si vel hoc dolemus, jam oramus.

Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia et petere et quaerere et pulsare ille concedit, qui ut haec faciamus, jubet? *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. XI, 5): quandoquidem nec velle nec currere, nisi eo movente atque excitante, poterimus [1].

Ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet sobrietas et frugalitas: valde enim turpe est, ut quem non vincit homo, vincat libido, et obruatur vino, qui non vincitur ferro.

Divitiae saeculares si desunt, non per mala opera quaerantur in mundo; si autem adsunt, per bona opera serventur in caelo. Animum virilem et christianum nec debent, si accedunt, extollere; nec debent frangere, si recedunt. Illud potius cogitemus quod Dominus ait;

---

[1] De divers. quaestion. ad Simplician. lib. I, q. 2, n. 21.

ubi est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum (Mt. VI, 21); et utique cum audimus ut cor sursum habeamus, non mendaciter respondere debemus, quod nosti quia respondemus.

Et in his quidem bene studiosum te esse cognovi, et fama tua multum delector, multumque tibi in Domino gratulor, ita ut haec epistola magis tibi sit speculum ubi qualis sis videas, quam ubi discas qualis esse debeas; verumtamen quidquid sive in ista sive in Scripturis sanctis inveneris, quod tibi ad bonam vitam adhuc minus est, insta ut acquiras et agendo et orando; et ex iis quae habes gratias age Deo tamquam fonti bonitatis unde habes; atque in omnibus bonis actibus tuis illi da claritatem, tibi humilitatem.

Sicut enim scriptum est, *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (Jac. I, 17). Quantumcumque autem in Dei et proximi caritate atque in vera pietate profeceris, quandiu in hac vita conversaris, sine peccato te esse non credas. De ipsa quippe legitur in Litteris sanctis; *nunquid non tentatio est vita humana super terram* (Job. XVII, 1)?

Proinde quoniam semper, quandiu es in hoc corpore, necessarium est tibi in oratione dicere, quod Dominus docuit: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; memento cito ignoscere, si quis in te peccaverit, et a te veniam postulaverit, ut veraciter possis orare, et peccatis tuis veniam valeas impetrare [1].

Quantalibet justitia praeditus sit homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex justus sederit in throno, cujus

[1] Epistol. 189 ad Bonifac. nn. 7, 8.

cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est, delicta quis intelligit; *cum ergo rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato* (Prov. XX, 9, 6)?

Nisi forte isti, qui volunt in sua justitia, non in ipsius judicis gloriari.

Tamen etiam illa vera sunt, quae respondendo subjecit, quod Salvator ait in Evangelio: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Mt., v, 8); et quod David dicit, *quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundus corde* (Ps. 23, 3). Et alibi *bene fac, Domine, bonis et rectis corde* (Ps. 124, 4). Item in epistola Joannis prima, *si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, et quaecumque petierimus, accipiemus ab eo* (III, 21).

Hoc enim agitur voluntate, credendo, sperando, diligendo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, injurias ignoscendo, instanter orando, et proficiendi vires precando, veraciterque dicendo, *dimitte nobis, sicut et nos dimittimus: et ne inferas nos in tentationem, sed libera nos a malo.*

Hoc prorsus agitur, ut cor mundetur, et peccatum omne tollatur; et quod rex justus, cum in throno sederit, occultum invenerit minusque mundatum, ejus misericordia remittatur, ut Deo videndo totum sanum mundumque reddatur: *judicium enim sine misericordia,* sed *illi qui non fecit misericordiam.* Superexaltat autem *misericordia judicio* (Jac.II, 13). Quod si non esset, quae spes esset? Quandoquidem cum rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Tunc ergo per

ejus misericordiam justi plene perfecteque mundati, fulgebunt in regno Patris sui sicut sol [1].

His verbis sancti Joannis: *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (I Jo. I, 8), alii textus contrarii videntur, qui tamen bene perspecti minime sunt.

Scilicet: *Hoc autem dico, fratres, ut non peccetis. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, et non potest peccare* (I Jo. III, 9). Item illic: *qui natus est ex Deo non peccat, quia generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum* (ib. v, 18). Item illic, ubi de Salvatore ait: *quoniam ille apparuit ut peccata tolleret. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum* (ib. III, 5). Item illic: *carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: et omnis qui habet spem hanc in eum, sanctificat se, sicut et ipse sanctus est* (ib. III, 2).

Et tamen cum haec omnia testimonia vera sint, verum est et illud quod proposuit, quod si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

Ac per hoc, secundum id quod ex Deo nati sumus, in eo qui apparuit ut peccata tolleret, in Christo manemus, et non peccamus; hoc est autem, quod homo interior renovatur de die in diem: secundum autem quod homine illo nati sumus, *per quem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors et ita in omnes homines pertransiit* (Rom. v, 12), sine peccato non sumus; quia sine illius infirmitate nondum sumus, donec illa renovatio-

[1] De perfect. justit. hominis, nn. 33, 34.

ne, quae fit de die in diem, quoniam secundum ipsam ex Deo nati sumus, infirmitas tota sanetur, in qua ex primo homine nati sumus, et in qua sine peccato non sumus; cujus reliquiis in homine interiore manentibus, quamvis de die in diem minuantur in proficientibus, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

Quomodo enim verum est: omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum? Cum secundum visionem et cognitionem quae erit in specie, nemo eum in hac vita videat atque cognoscat; secundum autem visionem atque cognitionem quae est in fide, multi sint qui peccent, certe ipsi apostatae, qui tamen in eum aliquando crediderunt, ut de nullo eorum dici possit secundum visionem et cognitionem quae adhuc in fide est, non vidit eum neque cognovit eum.

Sed intelligendum arbitror, quia renovatio perficienda videt et cognoscit; infirmitas vero absumenda non videt, nec cognoscit eum, in cujus quantiscumque reliquiis interius constitutis, si dixerimus quia peccatum non habebus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

Cum ergo per gratiam renovationis filii Dei simus, tamen propter reliquias infirmitatis nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

Tunc peccatum nullum erit, quia infirmitas nec interior nec exterior ulla remanebit. Et omnis qui habet hanc spem in eum, sanctificat se, sicut et ipse sanctus est. Sanctificat se, non per seipsum, sed credendo in illum et invocando illum qui sanctificat sanctos suos; cujus sanctificationis perfectio, quae nunc proficit et

crescit de die in diem, omnes infirmitatis reliquias ablatura est [1].

83·—Ad bene agendum et servanda Dei praecepta. Bene vivamus et ut hoc possimus, eum qui hoc praecipit, invocemus. Neque bonae vitae nostrae terrenam mercedem a Domino requiramus. Ad illa quae promittuntur, intentionem nostram extendamus. Cor nostrum ibi ponamus, ubi putrescere non potest saecularibus curis. Transeunt ista, quae occupant homines; volant ista, vapor est vita humana super terram [2].

Deus ipse non solum ostendit nobis a quo malo declinemus, et quod bonum faciamus, quod solum potest legis littera, verum etiam adjuvat nos, ut *declinemus a malo et faciamus bonum* (Ps. 36, 27), quod nullus potest sine spiritu gratiae; quae si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat et occidat.

Propter quod dicit Apostolus: *littera occidit, spiritus autem vivificat* (2 Cor. III, 6). Qui ergo legitime lege utitur, discit in ea malum et bonum, et non confidens in virtute sua confugit ad gratiam, qua praestante declinet a malo, et faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, nisi cùm *a Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet* (Ps. 36, 23)? Ac per hoc et desiderare auxilium gratiae initium gratiae est, de quo ait ille: *et dixi, nunc coepi, haec est immutatio dexterae Excelsi* (Psal. 76, 11).

Liberum itaque arbitrium et ad malum et ad bonum faciendum confitendum est nos habere; sed in malo faciendo liber est quisque justitiae servusque peccati; in

---

[1] De perfectione justit. hominis, n. 39.
[2] Serm. 19 in Ps. 50, n. 6.

bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui dixit: *si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (Jo. VIII, 36).

Nec ita ut, cum quisque fuerit a peccati dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio; sed ita potius ut ab illo audiens, *sine me nihil potestis facere* (Jo. XV, 5); dicat et ipse, *adjutor meus esto, ne derelinquas me* (Ps. 26, 9).

Intelligenda est ergo gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prorsus sive cogitando sive volendo et amando, sive agendo faciunt bonum; non solum ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam ut praestante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.

Hanc quippe inspirationem bonae voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis, quibus dicebat, *oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis* (I Cor. XIII, 7). Quis hoc audiat et non evigilet, atque fateatur a Domino Deo nobis esse, ut declinemus a malo et faciamus bonum? Quandoquidem non ait Apostolus, monemus, docemus, hortamur, increpamus; sed ait, oramus ad Deum, ne quid faciatis mali, sed quod bonum est faciatis.

Et tamen etiam loquebatur eis, et faciebat illa omnia quae commemoravi: monebat, docebat, hortabatur, increpabat; sed sciebat haec omnia non valere, quae plantando et rigando faciebat in aperto, nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto. Quoniam sicut idem doctor gentium dicit: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I Cor. III, 7).

Non se itaque fallant qui dicunt: ut quid nobis praedicatur atque praecipitur, ut declinemus a malo et faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle et operari Deus operatur in nobis (Philip. II, 13; Rom. VIII, 14)? Sed potius intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant; et cum egerint, illi a quo agunt, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant; et ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione et delectatione justitiae, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant (Ps. 84, 13).

Quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex caritate faciendo; orent ut quod nondum habent accipiant [1].

Quod dicunt pelagiani sufficere homini liberum arbitrium ad dominica praeceta implenda, etiamsi Dei gratia et Spiritus sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est et omnibus execrationibus detestandum.

Qui enim hoc asserunt, a gratia Dei penitus alieni sunt: quia ignorantes Dei justitiam (Rom. X, 3), sicut de judaeis dicit Apostolus, et suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti (Rom. XIII, 10).

Plenitudo quippe legis non est nisi caritas. Et utique caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, nec viribus propriae voluntatis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, si divinitus adjuvetur, quod sit humiliter petendo et faciendo.

---

[1] De corrept. et grat. nn. 2-4.

Desertum vero adjutorio qualibet scientia legis excellat, nullo modo habebit justitiae soliditatem, sed inflationem impiae superbiae, et exitiosum tumorem.

Docet hoc eadem ipsa dominica oratio. Frustra enim rogantes Deum dicimus, ne nos inferas in tentationem; si hoc in nostra sic positum est potestate, ut nullo illius adjutorio id valeamus implere.

Dictum est enim, ne nos inferas in tentationem, quod intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas. *Fidelis enim Deus,* ait Apostolus, *qui non vos permittet tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I Cor. X, 13). Ut quid dixit hoc Deum facere, si hoc sine ipsius adjutorio in sola nostra est potestate?

Nam et ipsa lex in hoc adjutorium data est illis (Is. VIII, 20), qui ea legitime utuntur, ut per illam sciant vel quid justitiae jam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant.

Desinant ergo insanire, et ad hoc se intelligant habere, quantum possunt, liberum arbitrium, non ut superba voluntate respuant adjutorium, sed ut pia voluntate invocent Dominum.

Haec enim voluntas libera tanto erit liberior quanto sanior; tanto autem sanior, quanto divinae misericordiae gratiaeque subjectior. Ipsa enim fideliter orat et dicit: *itinera mea dirige secundum verbum tuum, et ne dominetur mihi omnis iniquitas* (Ps. 118).

Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas? Ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur. Non enim ait, itinera mea dirige secundum liberum arbitrium, quia non dominabitur mihi omnis iniquitas; sed itinera mea dirige secundum verbum tuum, et ne dominetur mihi omnis iniquitas.

Precatur, non pollicetur; confitetur, non profitetur; optat plenissimam libertatem, non jactat propriam potestatem. Non enim omnis qui in viribus suis confidit, sed omnis qui invocat nomen Domini, salvus erit. Quomodo autem invocabunt, inquit, in quem non crediderunt? Ad hoc ergo credunt, qui recte credunt, ut invocent, in quem crediderunt, et valeant facere quod in praeceptis legitimis acceperunt; quoniam id quod lex imperat, fides impetrat [1].

84.—Vires intelligentiae meae non sunt mihi utique cognitae, et credo quia nec tibi. Et quid dicam de voluntate, ubi certe liberum a nobis praedicatur arbitrium?

Nempe beatissimus apostolus Petrus volebat pro Domino animam ponere, plane volebat, neque enim Deum id pollicendo fallebat; sed quantas vires haberet, voluntas ipsa nesciebat. Proinde vir tantus, qui Filium Dei esse cognoverat, se latebat. Scimus nos itaque aliquid velle, seu nolle; sed voluntas nostra etiam cum bona est, quantum valeat, quibusve non cedat, si nos non fallimus, nescimus.

Vide igitur quam multa non praeterita, sed praesentia de natura nostra, etiam quoad interiorem hominem ignoremus.

Immo ipse beatus apostolus Paulus qui raptus in tertium caelum audivit ineffabilia verba, quae non licent homini loqui, fatetur sui ipsius ignorantiam. Ecce sciebat magna, alta atque divina, quae ipse non erat; et hoc nesciebat, quod ad naturam ipsius pertinebat.

Quis postremo crederet, nisi qui non fallit hoc diceret; quid oremus sicut oportet nescimus? Ubi esse nostra

---

[1] Epistol. 157 ad Hilar. nn. 4-8 (a. 89).

maxime debet intentio, ut nos in ea quae ante nos sunt extendamus, quemadmodum dicit Apostolus: *quae retro oblitus in ea quae ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernae vocationis Dei in Christo Jesu* (Philip. III, 13).

An forte hoc quia dixi, quid oremus sicut oportet nescimus, irridendum me arbitraris et irrationabilibus similem animantibus judicas? Et forte tolerabilius. Cum enim recto sanoque judicio futura nostra praeteritis praeferamus, et oratio nobis non propter quod fuimus, sed propter quod erimus sit necessaria, multo est utique molestius nescire quid oremus, quam quemadmodum exorti fuerimus.

Sed veniat tibi in mentem ubi hoc legeris, vel relegendo recole, et noli in me hujus convicii lapidem jacere, ne ad quem non vis, perveniat. Ille ipse quippe doctor gentium Apostolus dixit, *quid enim oremus sicut oportet nescimus* (Rom. VIII, 26); quod non tantum verbo docuit, sed suo quoque demonstravit exemplo.

Nam contra utilitatem et salutis suae perfectionem nesciens orabat, ut discederet ab eo stimulus carnis, quem sibi datum dixit, ne magnitudine revelationum suarum extolleretur. Et quia illum Dominus diligebat, non fecit quod ignoranter petebat [1].

Os meum aperui et attraxi spiritum, quoniam mandata tua desiderabam (Ps. 118, 131). Quid desiderabat nisi facere mandata divina? Sed non erat unde faceret infirmus fortia, parvulus magna; aperuit os, confitens quod per se ipse non faceret, et attraxit unde faceret: aperuit os petendo, quaerendo, pulsando, et sitiens hausit spiritum bonum, unde faceret, quod per se ipsum non pote-

---

[1] De anima et ejus orig. ad Renatum, lib. IV, 10-13.

rat, mandatum sanctum est justum et bonum (Rom. VII, 12).

Si enim nos cum simus mali, novimus bona data dare filiis nostris; quanto magis Pater noster de caelo dat Spiritum bonum petentibus eum?

Non enim qui spiritu suo agunt, sed *quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (Rom. VIII, 14); non quia ipsi nihil agunt, sed ne nihil boni agant, a bono aguntur ut agant. Nam tanto magis efficitur quisque filius bonus, quanto largius et datur a Patre spiritus bonus.

Denique iste adhuc petit. Os quidem aperuit et attraxit spiritum; sed adhuc ad Patrem pulsat, et quaerit: bibit, sed quanto suavius sensit, tanto ardentius adhuc sitit.

Audi verba sitientis: *respice,* inquit, *in me, miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum,* id est, secundum judicium quod in eos fecisti, qui diligunt nomen tuum; quoniam ut diligerent te, prius dilexisti eos.

Sic enim Joannes apostolus ait, *nos diligimus Deum.* Et velut causa quaereretur, quae nos diligere fecit, adjunxit: *quoniam ipse prior dilexit nos* (I Jo. IV, 19).

Vide et iste quid apertissime dicat: *gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis iniquitas.* Ubi quid aliud dicit quam, rectum et liberum me fac secundum promissum tuum?

Quanto autem magis regnat in quocumque Dei caritas, tanto minus ei dominatur iniquitas.

Quid ergo aliud petit, quam ut donante Deo diligat Deum? Diligendo enim Deum, diligit se ipsum, ut diligere salubriter possit et proximum sicut se ipsum. In quibus praeceptis tota Lex pendet et Prophetae. Quid

igitur orat, nisi ut praecepta quae Deus imponit jubendo, impleri faciat adjuvando? [1].

Clamavi ad te, salvum me fac (Ps. 118, 146), ut custodiam mandata tua. Quid adjunxit et custodiam testimonia tua? Ne te scilicet per infirmitatem negem.

Salus quippe animae facit, ut fiat quod faciendum esse cognoscitur, et usque ad mortem corporis, si hoc flagitat extrema tentatio, pro testimoniorum veritate certetur; ubi autem non est salus, succumbit infirmitas, et deseritur veritas [2].

Ecclesiastici scriptores ante exortam pelagianam haeresim immorabantur in his quae adversus inimicos Ecclesiae disputabant, et in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo et vero pro adipiscenda vita aeterna et vera felicitate servitur.

Frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret; non enim poscerentur de Deo quae praecipit fieri, nisi ab illo donaretur ut fieret [3].

Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam. Sed quomodo custodit, nisi hoc donet atque ad hoc adjuvet Spiritus vivificans; ne littera occidat, et peccatum occasione accepta per mandatum operetur in homine omnem concupiscentiam (Rom. VII, 8).

Invocandus est igitur, sic enim ab eo fides impetrat quod lex imperat; quoniam qui invocaverit nomen Domini, salvus erit [4].

85.—Adhibet iste, nimirum Pelagius, testimonia, quibus ostendat, non esse gravia divina praecepta.

---

1 Enar. in Ps. 118, Serm. 27, nn. 4-6.
2 Enar. in Ps. 118, Serm. 29, n. 2.
3 De praedest. sanctor. n. 27.
4 Enar. in Ps. 118, Serm. 16, n. 2.

Quis autem nesciat, cum praeceptum sit generale caritas, quia *finis praecepti est caritas, et plenitudo legis est caritas,* non esse grave quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei praeceptis, quia ea timendo conantur implere, sed perfecta caritas foras mittit timoren,et facit praecepti sarcinam, non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum.

Quae tamen caritas ut habeatur, etiam tanta quanta in corpore mortis hujus haberi potest, parum est nostrae voluntatis arbitrium, nisi adjuvet gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. VII, 25).

Diffunditur quippe in cordibus nostris, quod saepe dicendum est, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Nec ob aliam causam Scriptura commemorat non esse gravia divina praecepta, nisi ut anima quae illa gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint praecepta Domini qualia commendantur, levia scilicet atque suavia, et oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis.

Qui enim dicit: *fiat cor meum immaculatam,* et, *itinera mea dirige secundum verbum tuum, et ne dominetur mihi omnis inquitas* (Ps. 118, 80); et fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra; et ne nos inferas in tentationem, et cetera hujusmodi, quae commemorare longum est, hoc utique orat, ut praecepta Dei faciat: quae ut fierent, nec juberetur, si nihil ibi nostra voluntas ageret; nec oraretur, si sola sufficeret.

Commendantur ergo non esse gravia, ut cui gravia sunt, intelligat nondum se accepisse donum, quo gravia non sint, nec arbitretur ea se perficere, quando ita facit,

ut gravia sint. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (II Cor. IX, 7). Nec tamen cum ea gravia sentit, desperando frangatur, sed ad quaerendum, petendum, pulsandumque cogatur [1].

Praeceptum Dei tyrannicum non est, sed ut impleatur ipse rogandus est: hoc vos, pelagiani, non vultis, quia in virtute vestra confiditis [2].

Haec imperat Deus, quae fieri possunt; sed ipse dedit ut faciant, eis qui facere possunt et faciunt; et eos qui non possunt, imperando admonet a se poscere ut possint. Et quod non omnia ab unoquoque sanctorum fiunt, novit Deus quemadmodum eis ad humilitatem consulat, quibus cotidie dicentibus, dimitte nobis debita nostra, sic opitulatur ad habendam obedientiam, ut sit unde etiam veniam largiatur [3].

Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite (I Thes. V, 17): oratis enim enim ut perseveranter et proficienter habeatis donum istum virginitatis et perfectionis; gratias agitis, quia non ex vobis habetis [4].

Qui enim adjutorium Dei negat, vellem interrogare quid dicat, nos non mereri, an illum hoc non posse praestare? An nihil esse propter quod unusquisque hoc debeat postulare? Posse hoc Deum, opera ipsa testantur; et adjutorio cotidiano nos egere negare non possumus.

Hoc enim seu bene vivimus provocamus, ut melius sanctiusque vivamus; seu prave sentientes a bonis avertimur, ut ad rectam redeamus viam, ejus auxilium plus egemus.

Nam quid tam mortiferum, tam praeceps videatur

---

[1] De perfect. justit. hominis, n. 21.
[2] Operis imperf. contra Jul. libr. III, n. 76.
[3] Ib. n. 116.
[4] Epist. 188, n. 7.

ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium cum nasceremur accepimus, ultra jam a Domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus, quasi jam amplius quod possit dare non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit? Nescientes quod nisi magnis precibus in nos Dei gratia implorata descendat, nequaquam terrenae labis et mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.

Nam si ille clamat adjutorio sibi opus esse divino, qui digne hoc non quaereret, si cui liberum arbitrium plus prodesset; quippe cum vir beatus et jam electus a Domino nihil egeret; tamen ita Deum deprecatur postulans, *adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus* (Ps. 26, 9). Nos nobis liberum arbitrium, ille sibi Deum postulat adjutorem.

Quod nati sumus posse sufficere nos dicimus, ille Deum ne dereliquatur exorat?

Non, rogo, manifeste discimus, quid oremus; cum ille tantopere beatus, ut supra diximus vir ne displiciatur exoptat? Illi enim necesse est ista arguant, qui illa confirmant.

David enim orationis ignarus, et suae naturae nescius accusetur, qui cum sciat tantum in sua inesse natura, adjutorem sibi Deum et assiduum adjutorem, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despiciat, orationibus pronus exoptat, et per corpus omne psalterii hoc et praedicat et clamat. Si ergo hoc ille tam magnus sicut assidue dicere, ita necessarium confessus est ut doceret; quemadmodum Pelagius Caelestiusque se-

posita omni responsione Psalmorum, talique abdicata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adjutorium Dei nec debere quaerere, nec eo egere, cum omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur? [1].

Projicite a vobis omnes impietates vestras, quas impie egistis in me, et facite vobis cor novum et spiritum novum et facite omnia mandata mea (Ezech. XVIII, 31), *et convertimini et vivetis.*

Meminerimus Deum dicere, convertimini et vivetis, cui dicitur: *converte nos, Deus* (Ps. 84, 5). Meminerimus eum dicere, *projicite a vobis omnes impietates vestras, cum ipse justificet impium* (Rom. IV, 5). Meminerimus ipsum dicere, facite vobis cor novum, qui dicit, *dabo vobis cor novum et spiritum novum dabo in vobis* (Ezech. XXXVI, 26).

Quomodo ergo qui dicit, facite vobis, hoc dicit dabo vobis? Quare jubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat cui juvet? Semper est autem in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim a justitia libera est, quando servit peccato, et tunc est mala; aut a peccato libera est, quando servit justitiae, et tunc est bona.

Gratia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo bonae voluntatis, qui prius fuit voluntatis malae.

Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quae jam esse coepit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quae voluerit, cum valde perfecteque voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: *si volueris, conservabis mandata* (Eccli. XV, juxta LXX);

---

[1] Epist. 181 Innocentii, nn. 5, 6.

ut homo qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Si quippe adjuvatur, ut faciat quod juvetur. Tunc enim utile est velle cum possumus; et tunc utile est posse, cum volumus; nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut quod possumus nolumus? Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri.

Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua quae non possumus ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quae orando impetrat quod lex imperat.

Certum est nos mandata servare, si volumus; sed *quia praeparatur voluntas a Domino* (Eccli. XXIII, 6), ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus [1].

Quis autem nesciat aliud esse praeceptum aliud potestatem? Hoc enim habemus in potestate, quod cum volumus possumus.

Praeceptum vero id nobiscum agit, ut quod jam est in potestate faciamus; si autem nondum est in potestate, oremus nobis potestatem dari, ut quod praeceptum est impleamus [2].

Non Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis [3].

86.—Si volumus «animos ad recte vivendum frigidos et pigros christianis exhortationibus excitare et accendere»; primitus exhortemur ad fidem, qua christiani

[1] De grat. et libero arbit. nn. 31, 32.
[2] Contra Maxim. arian. lib. II, n. 22, 3.°
[3] De natura et grat. contra Pelag. n. 50.

fiant, et ejus nomini subjiciantur, sine quo salvi esse non possunt.

Si autem jam christiani sunt, et recte vivere negligunt, verberentur terroribus, et praemiorum laudibus erigantur; ita sane ut non solum ad bonas actiones, verum etiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrinae, ut et illinc gratias agant, cum instituerint bene vivere, quod aliqui sine difficultate fecerint; et ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis et perseverantissimis precibus et misericordiae operibus facilitatem a Domino impetrare persistant.

Sic autem proficientes, ubi et quando plenissima justitia perficiantur, non nimis curo; ubicumque autem et quandocumque perfecti fuerint, nonnisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum perfici posse confirmo. Sane quando liquido cognoverint nullum peccatum se habere, non se dicant habere peccatum, ne veritas in eis non sit; sicut in eis veritas non est, qui cum habeant, non habere se dicunt.

Valde autem bona sunt praecepta, si legitime eis utamur. Eo quippe ipso quo firmissime creditur, *Deum justum et bonum impossibilia non potuisse praecipere* (I Tim. I, 8); hinc admonetur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus. Omnia quippe sunt facilia caritati: cui uni Christi sarcina levis est, aut ea una est sarcina ipsa quae levis est (Mt. XI, 30).

Secundum hoc dictum est: *et praecepta ejus gravia non sunt* (I Jo. V, 3), ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici, gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, et petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur.

Et quod dicitur ad Israel in Deuteronomio (XXX, 14), si pie, si sancte, si spiritaliter intelligatur, hoc idem significat: quia utique cum hoc testimonium commemorasset Apostolus, *prope te est verbum in ore tuo, et in corde tuo* (Rom. X, 8), hoc est, inquit, verbum fidei quod praedicamus. Conversus ergo quisque, sicut ibi praecipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit grave. Quomodo est enim grave, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, et ideo grave est; aut diligit, et grave esse non potest.

Diligit autem, si quod illic admonetur Israel, conversus fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua. *Mandatum,* inquit, *novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (Jo. XIII, 34); et *qui diligit proximum, legem implevit* (Rom. XIII, 8): et, *plenitudo legis caritas* (ib. 10). Secundum hoc et illud dictum est: si ambularent semitas bonas, invenissent utique semitas justitiae leves (Prov. II juxta LXX).

Quomodo ergo dicitur, *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (Ps. 16, 4), nisi quia utrumque verum est? Durae sunt timori, leves amori.

Caritas ergo inchoata, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est; sed caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta: quae tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita; sed miror si non habet quo crescat, cum de mortali excesserit vita.

Ubicumque autem et quandocumque ita plena sit, ut ei non sit quod adjiciatur; non tamen diffunditur in cordibus nostris, vel naturae, vel voluntatis opibus quae

sunt in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis, qui et infirmitati nostrae opitulatur, et sanitati cooperatur.

Ipsa est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est cum Patre et Spiritu sancto aeternitas, bonitas in saecula saeculorum. Amen [1].

---

[1] De natura et grat. cont. Pelag. nn. 82-84.

CAPUT V. De necessitate orationis ex parte hominis (prosecutio).

Summa: 87. *Necessitas orationis ad virtutes acquirendas, et primo ad obedientiam.*—88. *Ad virtutem continentiae generatim sumptae.*—89-91. *Ad continentiam proprie dictam.*— 92. *Ad virginitatem servandam.*—93-96. *Ad perseverantiam tum bene agendi, tum finalem.*— 97-98. *Ad hominum correptionem.*

87.—Ad obedientiam adimplendam. Quapropter haec prima sit induendae humilitatis cogitatio, ne a se sibi putet esse Dei virgo quod talis est, ac non potius hoc donum optimum desuper descendere a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Ita enim non putabit modicum sibi esse dimissum, ut modicum diligat, et ignorans Dei justitiam ac suam volens constituere, justitiae Dei non subjiciatur (Rom. X, 3).

In quo vitio erat Simon ille, quem superavit mulier, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum (Lc. VII, 40). Sed cautius et verius cogitabit, omnia peccata sic habenda tamquam dimittantur, a quibus Deus custodit ne committantur. Testes sunt voces piarum deprecationum in Scripturis sanctis, quibus ostenditur ea ipsa, quae praecipiuntur a Deo, non fieri nisi

dante atque adjuvante qui praecipit. Mendaciter enim petuntur, si ea, non adjuvante ejus gratia, facere possumus.

Quid tam generaliter maxime praecipitur, quam obedientia qua custodiuntur mandata Dei? Et tamen hanc invenimus optari: *Tu,* inquit, *praecepisti mandata tua custodiri nimis.* Deinde sequitur: *utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas, tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua* (Ps. 118, 4-6).

Quod Deum praecepisse supra posuit, hoc ut a se impleretur optavit, hoc fit utique ne peccetur; quod si peccatum fuerit, praecipitur ut poeniteat; ne defensione et excusatione peccati pereat superbiendo qui fecit, dum non vult poenitendo perire quod fecit.

Etiam hoc a Deo petitur, ut intelligatur non fieri, nisi eo praestante a quo petitur. *Pone,* inquit, *Domine, custodiam ori meo et ostium continentiae circum labia mea, ne declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem* (Ps. 140, 3, 4).

Si ergo et obedientia qua ejus mandata servamus, et poenitentia qua peccata nostra non excusamus, sed accusamus, optatur et petitur; manifestum est, quia cum fit, illo dante habetur, illo adjuvante completur.

Apertius etiam dicitur propter obedientiam: *a Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet* (Ps. 36, 23). Et de poenitentia dicit Apostolus (II, Tim. 25): *ne forte det illis Deus poenitentiam* [1].

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de cetero reposita est mihi corona justitiae quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex (II Tim. IV,

[1] De sancta virginit. n. 42.

7, 8). Utique justus, retribuendo bona pro bonis, quia prius misericors, retribuendo bona pro malis.

Quamvis et ipsa justitia, qua retribuuntur bona pro bonis, non est sine misericordia; quia et hoc scriptum est, *qui coronat te in miseratione et misericordia* (Ps. 102, 4). Qui enim dixit, bonum certamen certavi, quando vinceret, nisi illo donante de quo ait: *gratias Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (I Cor. XV, 5)? Et qui cursum consummavit, quando curreret, quando perveniret nisi illo adjuvante de quo ait, *igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (Rom. VI, 6)? Et qui fidem servavit, quando id faceret, nisi ut ipse ait, *misericordiam consecutus ut fidelis esset* (I Cor. VII, 25)?

Nusquam ergo se extollat humana superbia; donis suis Deus retribuit bona praemia. Sed iste qui jam orat et dicit, retribue servo tuo et vivam, si penitus esset mortuus, non oraret; sed ab illo accepit initium bonae concupiscentiae, a quo vitam poscit obedientiae.

Habebant enim aliquam fidem, qui dicebant: *Domine, auge nobis fidem* (Lc. XVII, 5): ille vero et incredulitatem suam confitebatur, nec fidem diffitebatur, qui cum esset interrogatus ut crederet, ait: *credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (Mt. VI, 23). Jam utique vivere incipiens postulat vitam, qui credens orat obedientiam; non pro ea servata, praemium, sed ut servetur, auxilium. Vita quippe crescente, vivescit per omnem diem, qui renovatur de die in diem (II Cor. IV, 16). Sciens autem verba Dei non posse custodiri per obedientiam, nisi videantur per intelligentiam, hoc quoque orationi addit, et dicit: *revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

Ad hoc etiam illud pertinet, quod adjungit: *inquilinus ego sunt in terra,* sive ut nonnulli codices habent, *incola ego sum in terra, ne abscondas a me mandata tua.* Quod enim ait superius, revela oculos meos; hoc postea dixit, ne abscondas a me: et quod ibi dixerat, mirabilia de lege tua, hoc alio modo repetens ait, mandata tua.

Nihil est autem mirabilius in mandatis Dei, quam *diligite inimicos vestros* (Mt. V, 44); hoc est, retribuite bona pro malis [1].

88.—Ad virtutem continentiae generaliter sumptae. De virtute animae, quae continentia nominatur, satis convenienter et digne disputare difficile est; sed exiguitatem nostram sub tanti ponderis sarcina ille, cujus haec virtus magnum munus est, adjuvabit.

Nam qui eam donat continentibus fidelibus suis, ipse dat sermonem de illa loquentibus ministris suis. Denique de re tanta, quod ipse dederit locuturi, Dei donum esse continentiam primum dicimus et probamus. In libro Sapientiae scriptum habemus, nisi Deus det, continentem esse neminem posse. Et ne sola inferiorum partium carnis libidine continentia necessaria videretur a Domino speranda, etiam in Psalmo canitur: *pone, Domine, custodiam ori meo et ostium continentiae circum labia mea* (Ps. 140, 3).

In hoc tamen divini eloquii testimonio, si os intelligamus sicut intelligere debemus, ibi posita continentia quantum sit Dei munus agnoscimus.

Parum est quippe os corporis continere, ne aliquid inde quod non expedit per sonum vocis erumpat. Intus est enim os cordis, ubi sibi custodiam et ostium con-

---

[1] Enar. in Ps. 118, Serm. 7, nn. 2-4.

tinentiae poni desideravit a Domino, qui verba illa dixit, nobisque dicenda conscripsit.

Multa enim corporis ore non dicimus, et corde clamamus: nullum autem procedit rei alicujus ex ore corporis verbum, cujus est in corde silentium. Inde igitur quod non emanat, foris non sonat; quod vero emanat inde, si malum est, etsi non moveat linguam, inquinat animam. Ibi ergo ponenda est continentia, ubi et tacentium loquitur conscientia. Fit enim per ostium continentiae, ut non inde exeat quod etiam clausis labiis carnis vitam polluat cogitantis.

Denique ut apertius os interius, quod per verba illa significavit, ostenderet, cum dixisset: pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiae circum labia mea, continuo subdidit: ne declines cor meum in verba maligna. Declinatio cordis quid est nisi consensio?

Nondum enim dixit: quisquis in corde ocurrentibus suggestionibus quorumcumque visorum nulla cordis declinatione consensit. Si autem consensit, jam corde dixit, etiamsi ore non sonuit; etiamsi manu vel qualibet corporis parte non fecit, fecit tamen quod cogitatione faciendum sibi esse jam statuit; divinis legibus reus, quamvis humanis sensibus absconditus; verbo in corde dicto, nullo facto per corpus admisso. Nequaquam vero membrum foris movisset in facto, cujus facti initium non intus praecessisset in verbo.

Neque enim mendaciter scriptum est: initium omnis operis verbum. Multa quippe homines faciunt ore clauso, quieta lingua, voce frenata; sed tamen nihil agunt corporis opere, quod non prius dixerint corde. Ac per hoc quoniam multa sunt peccata in interioribus dictis, quae non sunt in exterioribus factis; nulla sunt autem in ex-

terioribus factis quae non procedant in interioribus dictis; erit ab utrisque puritas innocentiae, si circum interiora labia ponatur ostium continentiae [1].

Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis; non tribuamus hoc tantum bonum spiritui nostro, quasi per se ipsum possit ista. Nam ne istum carnalem sensum spiritu mortuo potius quam mortificante saperemus, illico addidit Apostolus: *quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (Rom. VIII, 13, 14).

Itaque ut spiritu nostro opera carnis mortificemus, spiritu Dei agimur, qui dat continentiam, qua frenemus, domenus, vincamus concupiscentiam.

In hoc tam magno praelio, in quo vivit homo sub gratia, et cum bene pugnat adjutus, exultat in Domino cum tremore, non desunt tamen etiam strenuis bellatoribus, et operum carnis quamvis invictis mortificatori-

---

[1] De continentia lib. I, nn. 1-3. In Vulgata legitur versus Psalmi 140 hoc modo: pone, Domine, custodiam ori meo, et otium circumstantiae labiis meis, non vero continentiae; verum doctrina insignis Doctoris manet integra.

Praeterea continentia sumitur a sancto Augustino dupliciter; uno modo *generaliter*, alio modo *proprie* et *specifice* pro virtute quae reprimit et cohibet libidines. En ejus verba. Primo sensu haec habet: Continentia nobis opus est eam divinum esse munus cognoscimus, ne declinetur cor nostrum in verba maligna ad excusandas excusationibus in peccatis. Cui autem peccato cohibendo non habemus necessariam continentiam, ne committatur, quando et hoc ipsa cohibet, ne commissum si fuerit, nefaria superbia defendatur?

Universaliter ergo continentia nobis opus est, ut declinemus a malo. Ut autem faciamus bonum, ad aliam videtur virtutem, hoc est, ad justitiam pertinere. Hoc nos admonet sacer Psalmus, ubi legimus: *declina a malo et fac bonum* (Ps. 33, 15; De contin. n. 17). Ea quae vera est desuper veniens continentia, non aliis malis mala premere alia, sed bonis mala sanare vult omnia. Cujus ut breviter complectar actionem, omnibus prorsus delectationibus concupiscentiae, quae adversantur delectationi sapientiae, coërcendis atque sanandis invigilat officium continentiae.

Unde angustius eam sine dubitatione metiuntur, qui solas libidines corporis cohibere definiunt; melius profecto illi, qui non addunt

bus, aliqua vulnera peccatorum, propter quae sananda cotidie veraciter dicant: dimitte nobis debita nostra; contra eadem vitia et contra diabolum principem regemque vitiorum multo vigilantius et acrius ipsa oratione certantes, ne valeant aliquid mortiferae suggestiones ejus, quibus instigat insuper peccatorem ad sua excusanda potius quam accusanda peccata; ac sic illa vulnera non modo non sanentur, verum etiam, etsi mortifera non erant, graviter et letaliter infligantur.

Et hic ergo cautiore opus est continentia, qua cohibeatur superbus hominis appetitus, quo placet sibi et non vult culpabilis inveniri, dedignaturque cum peccat convinci quod ipse peccaverit, non salubri humilitate suscipiens accusationem sui, sed excusationem potius ruinosa elatione conquirens.

Ad hanc superbiam coërcendam, continentiae peti-

---

corporis, sed generaliter libidinem sive cupiditatem regendam dicunt ad continentiam pertinere. Quae cupiditas in vitio ponitur, nec tantum est corporis, verum et animi. Etenim si cupiditas corporis est in fornicationibus et ebrietatibus, nunquid inimicitiae, contentiones, aemulationes, postremo animositates in corporis voluptatibus, an non potius in animi motibus et perturbationibus exercentur (ib. n. 28)?

Sensu *stricto* haec habet: *Sint lumbi vestri accincti et lucernae ardentes* (Lc. XII, 35). Quid est lumbos accingere? Libidines coërcere, quod est continentiae (Ib. n. 17). Ipsa continentia frenat cohibetque libidines (Ib. nn. 5, 6). Cf. etiam De bono conjugali, n. 25.

Divus Thomas haec circa continentiam docet. Nomen continentiae dupliciter sumitur a diversis. Quidam continentiam nominant, per quam aliquis ab omni delectatione venerea abstinet, et sic continentia principalis est virginitas. Alii continentiam esse dicunt, per quam aliquis resistit concupiscentiis pravis, quae in eo vehementes existunt. Hoc autem modo continentia habet aliquid de ratione virtutis, in quantum scilicet ratio firmata est contra passiones, ne ab eis deducatur; non tamen attingit ad perfectam rationem virtutis moralis, secundum quam etiam appetitus sensitivus subditur rationi sic ut in eo non insurgant vehementes passiones rationi contrariae.

Largius tamen accipiendo nomen virtutis pro quolibet principio laudabilium operum, possumus dicere continentiam esse virtutem. *Proprie* tamen continentia dicitur circa concupiscentias delectationum tactus (2. 2. q. 155, aa. 1, 2).

vit a Domino ille, cujus superius verba jam posui, et sicut potui, commendavi. Namque cum dixisset: pone, Domine, custodiam ori meo et ostium continentiae circum labia mea; ne declines cor meum in verba maligna, unde hoc diceret evidentius explicans: ad excusandas, inquit, excusationes in peccatis.

Quid enim malignius his verbis, quibus malus malum se negat, etiam de opere malo convictus quod negare non valeat? Et quoniam factum non potest tegere, nec benefactum potest dicere, et a se factum videt patere, quaerit in alium referre quod fecit, tamquam inde possit auferre quod meruit.

Nollens se esse reum, addit potius ad reatum, et sua excusando, non accusando peccata, ignorat non se poenam removere, sed veniam.

Apud homines enim judices, quoniam falli possunt, quacumque velut purgare fallacia quod perperam factum est, prodesse aliquid videtur ad tempus; apud Deum autem, qui falli non potest, non est adhibenda fallax defensio, sed verax confessio peccatorum [1].

89.—Ad continentiam specifice sumptam. Audio vocem jubentis Dei mei: *non graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (Ls. XXI, 34). Ebrietas longe est a me; misereberis ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam subrepit servo tuo; misereberis ut longe fiat a me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des.

Multa nobis orantibus tribuis: et quidquid boni, antequam oraremus, accepimus, a te accepimus; et ut hoc postea cognosceremus, a te accepimus.

Ebriosus nunquam fui; sed ebriosos a te sobrios fac-

---

[1] De continent. n. 13.

tos, ego novi. Ergo a te factum est ut hoc non essent, qui nunquam fuerunt, a quo factum est, ut hoc non semper essent, qui fuerunt, a quo etiam factum est, ut scirent utrique a quo factum est.

Audivi aliam vocem: *post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere* (Eccli. XVIII, 30). Audivi et illam ex munere tuo quam multum amavi: *neque si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deerit nobis* (I, Cor. VIII, 8). Hoc est dicere, nec illa res me copiosum faciet, nec illa aerumnosum.

Audivi et alteram: *ego enim didici in quibus sum sufficiens esse, et abundare novi, et penuriam pati novi. Omnia possum in eo qui me confortat* (Philip. IV, 11-13).

Ecce miles castrorum caelestium, non pulvis quod nos sumus. Sed memento, Domine, quia pulvis sumus, et de pulvere fecisti hominem, et perierat et inventus est (Ps. 102, 14; Gen. III, 19; Lc. XV, 24). Nec ille in se potuit, quia idem pulvis fuit, quem talia dicentem afflatu tuae inspirationis adamavi. Omnia possum, inquit, in eo qui me confortat.

Conforta me, ut possim. Da quod jubes, et jube quod vis. Iste se accepisse confitetur, et *quod gloriatur, in Domino glorietur* (I Cor. I, 30, 31). Audivi alium rogantem ut accipiat: *aufer a me,* inquit, *concupiscentias ventris* (Eccli. XXIII, 6). Unde apparet, sancte Deus meus, te dare cum fit quod imperas fieri [1].

Proinde petamus ut det, quod ut habeamus jubet. Ad hoc enim quod nondum habemus jubet ut habeamus, ut admoneat quid petamus; et cum nos quod jusserit, posse invenerimus, etiam hoc unde acceperimus intelli-

[1] Confes. lib. X, n. 45.

gamus; ne inflati et elati hujus mundi spiritu, nesciamus quae a Deo donata sunt nobis.

Proinde arbitrium voluntatis humanae nequaquam destruimus, quando Dei gratiam, qua ipsum adjuvatur arbitrium, non superbia negamus ingrata, sed grata potius pietate praedicamus. Nostrum enim est velle; sed voluntas ipsa et admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat. Nam si nos non vellemus, nec nos utique acciperemus ea quae dantur, nec nos haberemus.

Quis enim haberet continentiam, ut inter cetera Dei dona ipsam potius loquar, de qua ad te loquor: quis, inquam, haberet continentiam nisi volens? Quia et nemo acciperet nisi volens.

Sed a quo detur, ut nostra voluntate accipi et haberi possit, si quaeris, attende Scripturam; immo quia nosti, recole quod legisti: *cum sciret,* inquit, *quia nemo esse potest continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum* (Sap. VIII, 21).

Magna ista sunt duo munera, sapientia et continentia: sapientia scilicet, qua in Dei cognitione formamur, continentia vero, qua huic saeculo non conformamur.

Jubet autem nobis Deus, ut et sapientes et continentes simus, sine quibus bonis justi perfectique esse non possumus.

Sed oremus ut det quod jubet adjuvando et inspirando, qui commonuit quid velle debeamus praecipiendo et vocando. Quidquid hinc dedit, ut conservet oremus; quod autem nondum dedit, ut suppleat oremus; tamen oremus et gratias agamus de acceptis; et quod nondum accepimus, eo ipso quod de acceptis ingrati non sumus, nos accepturos esse fidamus [1].

[1] De bono viduitatis, lib. I, n. 21.

Utique noverat ille quam magnum bonum esset continentia qui dicebat: et cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, etc. Non solum ergo sciebat quantum esset hoc bonum, et quam desiderabiliter esset concupiscendum, verum etiam quod nisi dante Deo esse non posset; docuerat enim eum sapientia. Nam hoc dicit: et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum. Nec tamen ei scientia suffecit, sed ait: *adii Dominum et deprecatus sum illum* (Sap. VIII, 21).

Non igitur tantummodo in hoc nos adjuvat Deus, ut sciamus quid agendum sit, verum etiam ut amando agamus, quod discendo jam scimus.

Nemo itaque potest esse non solum sciens, verum etiam continens, nisi Deus det. Unde cum jam ille haberet scientiam, precabatur ut haberet et continentiam, ut esset etiam in illo, quod sciebat quia non esset ex illo; aut si propter liberum arbitrium, proprium aliquantum et ex illo, non tamen nisi ex illo; quia nemo potest esse continens, nisi Deus det [1].

90.—*Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (Rom. VIII, 15). Cum autem clamant, aliquid petunt: et quid petunt, nisi quod esuriunt et sitiunt? Et hoc quid est, nisi quod de illis dictum est: *beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Mt. V, 6)?

Huc ergo transeant qui sub lege sunt, ut ex servis filii fiant; nec sic tamen, ut servi esse desistant; sed ut tamquam filii Domino et Patri liberaliter serviant, quia et hoc acceperunt: *dedit enim potestatem* ille Unicus,

---

[1] Epist. 188 ad Julianam, n. 8.

filios Dei fieri credentibus in nomine ejus (Jo. I, 12): eosque admonuit petere, quaerere, pulsare ut accipiant, et inveniant, et aperiatur eis, addens increpationem, et dicens: *si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se* (Mt. VII, 11)?

Cum ergo virtus peccati, lex, inflammaverit aculeum mortis (I Cor. XV, 56), ut occasione accepta peccatum per mandatum operetur omnem concupiscentiam (Rom. VII, 8), a quo petenda est continentia, nisi ab illo qui novit bona data dare filiis suis? An forte nescit insipiens, quod nemo esse possit continens, nisi Deus det? Hoc ergo ut sciat, ipsa indiget sapientia.

Cur itaque non audit Patris sui spiritum dicentem per Apostolum Christi, vel ipsum Christum qui dicit in Evangelio suo, petite et accipietis; loquentem etiam in Apostolo suo, et dicentem: *si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat et dabitur illi; postulet autem in fide, nihil haesitans* (Jac. I. 5).

Haec est fides ex qua justus vivit (Rom. I, 17), haec est fides, qua creditur in eum qui justificat impium (Rom. IV, 5), haec est fides, per quam excluditur gloriatio (Rom. III, 27); sive ut abscedat qua in nobis inflamur, sive ut emineat qua in Domino gloriamur; haec est fides, qua impetratur largitas spiritus, de quo dicitur, non enim spiritu ex fide spem justitiae expectamus (Gal. V, 5) [1].

Multa sunt in Scripturis sanctis divina praecepta, quae omnia commemorare nimis operosum est (Rom. IX 28); sed Dominus qui verbum consummans et brevians

---

[1] Lib. de spiritu et littera, n. 56.

fecit super terram, et in duobus praeceptis dixit Legem Prophetasque pendere (Mt. XXII, 40); ut intelligeremus, quidquid aliud divinitus praeceptum est, in his duobus habere finem, et ad haec duo esse referendum: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* In his duobus praeceptis, inquit, tota lex pendet et prophetae.

Quidquid ergo Dei lege prohibemur, et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur et jubemur, ut duo ista compleamus.

Et forte generalis prohibitio est: *non concupisces* (Ex. XX, 17; Deut. VI, 5), et generalis jussio, *diliges.*

Unde breviter et apostolus Paulus quodam loco utrumque complexus est. Prohibitio enim est, nolite conformari huic saeculo: jussio autem, sed reformamini in novitate mentis vestrae (Rom. XII, 2).

Illud pertinet ad concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad justitiam; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vetustate expoliamur, et novitate induimur diligendo.

Sed nec quisquam potest continens esse, nisi Deus det, et caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Hoc autem fit de die in diem in iis, qui volendo et credendo et invocando proficiunt, et praeterita obliviscentes in ea, quae ante sunt, extenduntur.

Ad hoc enim lex ista praecipit, ut cum in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus (Philip. III, 13), sed ad gratiam confugiat; ac sic eum lex terrendo, ad Christum diligendum paedagogi perducat officio [1].

---

[1] De perfect. justit. hominis, n. 11.

Vellem, inquit Apostolus, *omnes homines esse sicut et me ipsum; sed unusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autem sic* (I Cor. VII, 7). Nunquid tam multa quae praecipiuntur in lege Dei, ne fornicationes et adulteria committantur, indicant aliud quam liberum arbitrium? Neque enim praeciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem, qua divinis praeceptis obediret.

Et tamen donum Dei est, sine quo servari castitatis praecepta non possunt. Unde ait ille in libro Sapientiae: *cum scirem quia nemo esse potest continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum.*

Ut autem ista non serventur castitatis sancta mandata, *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (Jac. I, 14). Ubi si dixerit, volo servare, sed vincor a concupiscentia mea: respondet Scriptura libero ejus arbitrio: *noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (Rom. XII, 21). Quod tamen ut fiat, adjuvat gratia, quae nisi adjuverit, nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia et majores vires accipit lege prohibente, nisi adjuvet spiritus gratiae.

Hoc est quod dicit ille ipse doctor gentium: *aculeus autem mortis est peccatum, virtus vero peccati lex* (I Cor. XV, 56).

Ecce unde dicit homo, volo legis servare mandatum, sed virtute concupiscentiae meae vincor. Et cum voluntas ejus convenitur et dicitur: noli vinci a malo, quid ei prodest, nisi gratia succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adjunxit; nam cum dixisset, virtus peccati lex, continuo subjecit: *gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Ergo et victoriam qua peccatum vincitur, nihil aliud

est quam donum Dei, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium.

Propter quod dicit et caelestis Magister: *vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Mt. XXVI, 41). Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans, oret, ne intret in tentationem, id est, ne sit ab illa abstractus et illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanae, nisi a Domino victoria conferatur oranti, ne intret in tentationem.

Quid vero evidentius quam Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? Si enim dixisset Salvator noster: vigilate ne intretis in tentationem, admonuisse tantummodo videretur hominis voluntatem; cum vero addidit, et orate, ostendit Deum adjuvare, ne intretur in tentationem.

Dictum est libero arbitrio: *fili, noli deficere a disciplina Domini* (Prov. III, 11): et Dominus dixit, *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua* (Ls. XXII, 32). Homo ergo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur [1].

91.—De ipsa continentia apertissime dictum est: et cum scirem quia nemo potest esse continens nisi Deus det: ergo continentia donum Dei est.

Nam et quisquis ab initio pudicus est, ab illo regitur; et quisquis ex impudico pudicus fit, ab illo corrigitur; et quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur. Hoc autem illo occulto judicio facere potest, iniquo non potest; et fortasse ideo latet, ut plus timeatur et minus superbiatur [2].

[1] De grat. et libero arbit. nn. 8, 9.
[2] De sancta virgin. n. 43.

Agite itaque cursum vestrum, et perseveranter currite, ut comprehendatis, et exemplo vitae exhortationisque sermone rapite in eumdem cursum vestrum quascumque alias juvenes potueritis.

Non vos ab hoc studio, quo multas ad imitandum excitatis, frangat querela vanorum qui dicunt: quomodo subsistet genus humanum, si omnes fuerint continentes? Quasi propter aliud retardetur hoc saeculum, nisi ut impleatur praedestinatus numerus ille sanctorum, quo citius impleto, profecto nec terminus saeculi differetur.

Secure itaque instate quibus potestis, ut fiant quod vos estis; et orate vigilanter atque ferventer, ut adjutorio dexterae Excelsi et abundantia misericordissimae gratiae Domini, et perseveretis in eo quod estis, et proficiatis ad id quod eritis [1].

Cum haec dicebam, adhuc nimirum dubitando quoad mutationem vitae meae, et alternabant hi venti impellebant huc atque illuc cor meum; transibant tempora, et tardabam converti ad Dominum, et differebam de die in diem vivere in te, et non differebam cotidie in memetipso mori.

Amans beatam vitam, timebam illam in sede sua, et ab ea fugiens quaerebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si feminae privarer amplexibus, et medicinam misericordiae tuae ad eamdem infirmitatem sanandam non cogitabam, quia expertus non eram; et propriam virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem ut nescirem, sicut scriptum est, neminem posse esse continentem, nisi tu dederis.

---

[1] De bono viduit. n. 28.

Utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, et fide solida in te jactarem curam meam.

Tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod jubes et jube quod vis. Imperas nobis continentiam. Et quod scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens nisi Deus det: et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum (Sap. VII, 21).

Per continentiam quippe colligimur et redigimur in unum, a quo in multa defluximus. Minus enim te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor qui semper ardes et numquam extingueris, caritas, Deus meus, accende me. Continentiam jubes. Da quod jubes, et jube quod vis [1].

92.—Ad virginitatem servandam. Hoc agite, virgines Dei, hoc agite: sequimini Agnum quocumque ierit. Sed prius ad eum quem sequamini, venite et discite, quoniam mitis est et humilis corde.

Humiliter ad humilem venite, si amatis; et ne discedatis ab illo, ne cadatis. Qui enim timet ab illo discedere, rogat et dicit: *non mihi veniat pes superbiae* (Ps. 35, 12).

Pergite viam sublimitatis pede humilitatis. Ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad jacentes.

Dona ejus illi servanda committite, fortitudinem vestram ad illum custodite (Ps. 58, 10). Quidquid mali ipso custodiente non committitis, tamquam remissum ab illo deputate; ne modicum vobis existimantes dimissum, modicum diligatis, et tundentes pectora publicanos ruinosa jactantia contemnatis.

---

[1] Confes. Lib. X, cp. 30.

De viribus vestris expertis cavete, ne quia ferre aliquid potuistis, inflemini; de inexpertis autem orate, ne supra quam potestis ferre, tentemini.

Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. Cum aliorum bona, forte ignota vobis, benigne creduntur a vobis, vestra vobis nota non comparatione minuuntur, sed dilectione firmantur: et quae forte adhuc desunt, tanto dantur facilius, quanto desiderantur humilius.

Perseverantes in numero vestro praebeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum. Illud amate, ut imitemini; hoc lugete, ne inflemini. Justitiam vestram nolite statuere, Deo vos justificanti subdite. Veniam peccatis donate alienis, orate pro vestris; futura vigilando vitate, praeterita confitendo delete.

Ecce jam tales estis, ut professae atque servatae virginitati ceteris etiam moribus congruatis.

Ecce jam tales estis, quia et tales esse debetis. Dilectio addita virginitati, angelicam vitam hominibus, et caeli mores exhibent terris. Sed quanto magni estis, quicumque ita magni estis, tanto humiliate vos in omnibus, ut coram Deo inveniatis gratiam, ne superbis resistat, ne se exaltantes humiliet, ne inflatos per angusta non trajiciat; quamquam superflua sit sollicitudo, ne ubi fervet caritas, desit humilitas [1].

Pergite itaque sancti Dei, pueri ac puellae, mares ac feminae, caelibes et innuptae, pergite perseveranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius: sperate felicius, cui servitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius.

Lumbis accinctis et lucernis ardentibus expectate Do-

---

[1] De sancta virginit. nn. 53, 54.

minum, quando veniat a nuptiis (Lc. XII, 35). Vos affertis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris.

Non utique tale quale cantat universa terra, cui dicitur: *cantate Domino canticum novum, cantate Domino universa terra* (Ps. 95, 1); sed tale quale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam prae ceteris dilectus ab Agno (Apoc. XIV, 3), qui discumbere super pectus solitus erat, et bibebat et eructabat mirabilia caelestia super Verbum Dei.

Gaudium vestrum, qui servastis illibatam virginitatem in corpore, inviolatam veritatem in corde, gaudium virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Ite in haec, sequimini Agnum, quia et Agni caro utique virgo. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus et natus. Merito eum sequimini virginitate cordis et carnis quocumque ierit [1].

93.—Ad obtinendam perseverantiam tum bene agendi, tum finalem. De perseverantia diligentius disputandum est. Asserimus ergo donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur.

Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertum est.

Quo constituto, videamus utrum haec perseverantia de qua dictum est: *qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit* (Mt. X, 22), donum Dei sit.

Quod si non sit, quomodo verum est quod Apostolus

---

[1] De sancta virginit. n. 27.

ait: *vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo* (Philip. II, 29)? Horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem: utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque dictum est esse donatum.

Quod enim est initium verius crhistiano, quam credere in Crhistum? Qui finis melior, quam pati pro Christo?

Sed quod ad id pertinet ut credatur in Christum, qualiscumque inventa est contradictio, ut donum Dei non initium, sed augmentum fidei diceretur, cui opinioni, donante Domino, satis superque respondimus [1].

Quid autem dici potest, cur perseverantiam usque in finem non donetur in Christo, cui donatur pati pro Christo, aut ut expressius loquar, cui donatur mori pro Christo?

Nam et Petrus apostolus donum Dei hoc esse demonstrans, melius est, inquit, benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quam male facientes (I Petr. III, 17).

Cum dicit, si velit voluntas Dei, ostendit hoc divini-

---

[1] Error hic fuit Semipelagianorum. **Doctrina divi Thomae:** Perseverantia tripliciter dicitur. Significat primo habitum mentis, per quem homo firmiter stat, ne removeatur ab eo quod est secundum virtutem, per tristitias irruentes. Secundo potest dici perseverantia habitus quidam, secundum quem homo habet propositum perseverandi in bono usque in finem. Et utroque istorum modorum perseverantia simul cum gratia infunditur, sicut et continentia et ceterae virtutes.

Tertio modo dicitur perseverantia continuatio quaedam boni usque ad finem vitae. Et ad talem perseverantiam habendam homo in gratia constitutus non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigente, et protegente contra tentationum impulsus.

Et ideo postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet a Deo petere praedictum perseverantiae donum, ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitae. Multis enim datur gratia quibus non datur perseverare in gratia (I, II, q. 109, a. 10).

tus donari, nec omnibus sanctis, ut pro Christo patiantur. Neque enim quos non vult voluntas Dei pervenire ad experientiam gloriamque passionis, non perveniunt ad regnum Dei, si perseveraverint in Christo usque in finem.

Sed quis dicat istis non donari hanc perseverantiam, qui aegritudine corporis vel quocumque casu moriuntur in Christo, cum longe difficilior donetur illis, a quibus suscipitur et mors ipsa pro Christo? Multo quippe difficilius perseveratur, ubi hoc agit qui persequitur ne perseveretur, et propterea usque ad mortem sustinetur ut perseveretur.

Illam proinde difficilius perseverantiam, istam facilius est habere; sed cui nihil difficile est, facile est utramque donare. Hanc enim promisit Deus, dicens: *timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant* (Jerem. XXXII, 49).

Quod quid est aliud, quam talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhaereant? [1].

94.—Jam vero cur perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate; sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ex hoc gratiae aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit?

Sed, nolite errare, inquit Apostolus, *Deus non irridetur* (Gal. VI, 7). O homo, non verborum tuorum tantum, verum etiam cogitationum testis est Deus: si aliquid a tanto divite veraciter ac fideliter poscis, ab illo a quo poscis, te accipere crede quod poscis.

---

[1] De dono persev. nn. 1, 2.

Noli eum labiis honorare, et super corde te extollere credens a te ipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare. An ab illo perseverantia ista forte non poscitur? Jam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed sanctorum orationibus onerandus est.

An vero quisquam eorum est, qui non sibi poscat a Deo ut perseveret in eo, cum ipsa oratione quae Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil pene aliud quam perseverantia posci intelligatur?

Legite aliquanto intentius ejus expositionem in beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit, cujus est titulus, *De dominica Oratione,* et videte ante quot annos, contra ea quae futura erant Pelagianorum venena, quale sit antidotum praeparatum.

Nam tria sunt, quae maxime adversus eos catholica defendit Ecclesia; quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, et Dei gratia conferuntur etiam merita universa justorum: alterum est, in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, et vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur.

Horum trium hoc, quod loco ultimo posui, solum non tractatur in supradicto gloriosi Martyris libro; de duobus vero ceteris tanta illic perspicuitate disseritur, ut supradicti haeretici, novi inimici gratiae Christi, longe ante reperiantur convicti, quam nati.

In his ergo meritis sanctorum, quae nulla nisi Dei dona sunt, etiam perseverantiam donum Dei esse sic

loquitur: Dicimus, inquit, *sanctificetur nomen tuum,* non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed quod petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat?

Sed quia ipse dixit, *sancti estote, quoniam et ego sanctus sum* (Levit. XIX, 2), id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus, perseveremus.

Et paulo post de hac ipsa re adhuc disputans, et docens nos perseverantiam petere a Domino, quod nullo modo recte ac veraciter faceret, nisi ejus donum et hoc esset: «Haec, inquit, sanctificatio ut in nobis permaneat, oramus, et quia Dominus et judex noster sanato a se et vivificato comminatur non delinquere, ne quid ei deterius fiat (Jo. V, 14); hanc continuis precationibus precem facimus, hoc diebus et noctibus postulamus, ut sanctificatio et vivificatio quae de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur».

In sanctificatione igitur perseverantiam, hoc est, ut in sanctificatione perseveremus, nos ab eo petere iste doctor intelligit, cum sanctificati dicimus, *sanctificetur nomen tuum*.

Quid est enim aliud petere quod accepimus, nisi ut id quoque nobis praestetur, ne habere desinamus? Sicut ergo sanctus, cum Deus rogat ut sanctus sit, id utique rogat ut sanctus esse permaneat; ita utique et castus, cum rogat ut castus sit; continens, ut continens sit; justus, ut justus; pius, et cetera, quae contra Pelagianos dona Dei esse defendimus, hoc sine dubio petunt, ut in eis perseverent bonis, quae se accepisse noverunt. Quod si accipiunt, profecto et ipsam perseverantiam magnum

Dei donum, quo cetera dona ejus conservantur, accipiunt.

Quid cum dicimus, *veniat regnum tuum,* num aliud poscimus, nisi ut veniat et nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo et hic, qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate, quae illis data est, perseverent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum.

Tertia petitio est, *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra;* quod plerique intelligunt, sicut sancti angeli faciunt, et nos faciamus voluntatem tuam.

Vult autem ille doctor et martyr, caelum et terram intelligi spiritum et carnem, et hoc nos orare, ut voluntatem Dei re utraque concordante faciamus.

Vidit in his verbis et alterum sensum sanissimae fidei congruentem: ut scilicet pro infidelibus qui sunt adhuc terra, terrenum tantum hominem prima nativitate portantes, orare intelligantur fideles, qui caelesti homine induti, non immerito caeli nomine nuncupantur.

Ubi evidenter ostendit, et initium fidei esse donum Dei, quando non tantum pro fidelibus ut augeatur in eis vel perseveret fides, verum etiam pro infidelibus ut habere incipiant eam quam penitus non habebant, et contra quam corda insuper inimica gestabant, sancta orat Ecclesia.

Verum nunc non de initio fidei, sed de illa quae habenda est usque in finem perseverantia disputamus, quam petunt utique sancti, qui faciunt voluntatem Dei, dicentes in oratione, *fiat voluntas tua.*

Cum enim jam facta sit in eis, cur ut fiat adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo quod esse coeperunt?

Quamvis hic dici possit, non petere sanctos, ut voluntas Dei fiat in caelo; sed ut fiat in terra sicut in caelo, ut terra scilicet imitetur caelum, id est ut homo angelum, vel infidelis fidelem; ac per hoc id sanctos poscere, ut sit quod nondum est, non ut perseveret quod est. Quantalibet enim homines sanctitate praepolleant, nondum sunt aequales angelis Dei.

Quod si ita est, in ea quidem parte qua optamus, ut homines ex infidelibus fiant fideles, non perseverantia, sed initium videtur optari; in ea vero qua optamus, ut homines in facienda voluntate Dei aequentur angelis Dei, cum hoc orant sancti, perseverantiam demonstrantur orare; quoniam nemo pervenit ad illam summam, quae in regno est, beatitudinem, nisi in ea sanctitate quam sumpsit in terra, perseveraverit usque in finem.

Quarta petitio est, *panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Ubi beatus Cyprianus ostendit quomodo et hic intelligatur perseverantia postulari. Ait quippe inter cetera: Hunc autem panem dari nobis cotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et eucharistiam cotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a caelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur. Haec verba sancti hominis Dei, perseverantiam prorsus a Domino sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt, *panem nostrum cotidianum da nobis hodie,* ne a Christi corpore separentur; sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum, quo inde separari mereantur, crimen admittant.

Quinto orationis loco dicimus, *dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* In qua sola petitione non invenitur posci perseverantia. Prae-

terita enim sunt peccata, quae nobis ut dimittantur, oramus: perseverantia vero quae in aeternum salvos facit, tempore quidem hujus vitae, non tamen peracto, sed ei quod usque ad ejus finem restat, est necessaria [1].

95.—Jam vero cum dicunt sancti, *ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo* (Mt. VI, 9-13): quid quam ut in sanctitate perseverent, precatur? Nam profecto concesso sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum cum ab illo poscitur, satis aperteque monstratur; isto ergo concesso sibi dono Dei, ne inferatur in tentationem, nemo sanctorum non tenet usque in finem perseverantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito christiano perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur.

Si ergo concedatur ei quod erat, ut non inferatur, utique sanctificatione, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit.

Hoc ergo Dei donum *suppliciter* emereri potest; sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest.

Dicat mihi quisquis audit, utrum Deus dare non possit, quod a se posci imperavit? Hoc certe qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperavit autem Deus, ut ei sancti ejus dicant orantes: *ne inferas nos in tentationem.* Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciae tentationem, qua possit vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere.

At enim «voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur a Deo». Quis hoc negavit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit; quia Deus non permittit ut fiat.

---

[1] De dono persev. nn. 3-8.

Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est et malo in bonum flectere voluntates, et in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum [1].

Atque utinam tardi corde et infirmi, qui non possunt, vel nondum possunt Scripturas vel earum expositiones intellegere, sic audirent vel non audirent in hac quaestione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit et habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc saeculum.

De hac enim re, quam nunc adversus novos haereticos, non commemorare tantum, sed plane tueri et defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exserendam nullo urgente adversario non putavit.

Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, et non ei petivit a Domino mentem obedientem in christianam fidem?

Quis autem sibi umquam non oravit, ut in Domino permaneret? Aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, da illis, Domine, in te perseverare usque in finem, non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere: ac non potius super ejus talem benedictionem, et corde credente et ore confitente respondit, amen; cum aliud in ipsa oratione Dominica non orent fideles, dicentes maxime illud, ne nos inferas in tentationem, nisi ut in sancta obedientia perseverent?

Sicut ergo in his orationibus, ita et in hac fide nata

---

[1] De dono persev. nn. 9-12.

est et crescit, et crevit Ecclesia, qua fide creditur, gratiam Dei non secundum merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet et aversas et adversas hominum ad se convertere voluntates; nec oraret Ecclesia, ut perseveraret in fide Christi, non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur et velle.

Nam si haec ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed a se ipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet. Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod orat a Domino, si hoc a se ipso se sumere existimet, non ab illo? [1].

96.—An quisquam dicere audebit istam perseverantiam usque in finem non esse donum Dei, et hoc tam magnum bonum ita esse nostrum, ut quisquis id habuerit, non ei possit Apostolus dicere: *quid enim habes quod non accepisti*, quoniam hoc sic habet ut non acceperit?

Ad haec nos negare quidem non possumus, etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus; nec esse nisi ab illo de quo scriptum est, *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (Jac. I, 17). Sed non ideo est ejus qui non perseveraverit, negligenda correptio, ne forte det illi Deus poenitentiam, et resipiscat de diaboli laqueis (II Tim. II, 25).

Correptionis quippe utilitati hanc sententiam sub-

---

[1] De dono persev. n. 63.

junxit Apostolus, dicens sicut supra commemoravit: Cum modestia corripientem diversa sentientes, nequando det illis Deus poenitentiam (ib.).

Nam si dixerimus istam perseverantiam tam laudabilem tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo, illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua* (Lc. XXII, 32). Quid enim ei rogavit nisi perseverantiam usque in finem? Quae profecto si ab homine homini esset, a Deo poscenda non esset.

Deinde cum dicit Apostolus, *oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali* (II Cor. XIII, 7), procul dubio perseverantiam eis orat ad Deum.

Item ubi dicit: *salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper certans pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei* (Colos. IV, 12). Quid est, ut stetis, nisi ut perseveretis? Unde dictum est de diabolo: *in veritate non stetit* (Jo. VIII, 44); quia fuit ibi, sed non permansit. Nam utique isti in fide jam stabant. Nec aliud oramus, cum oramus ut qui stat, stet, nisi ut perseveret.

Item Judas apostolus cum dicit: *Ei autem qui potens est conservare vos sine offensione, et constituere ante conspectum gloriae suae immaculatos in laetitia* (24): nonne apertissime ostendit donum Dei esse in bono perseverare usque in finem? Quid enim aliud donat, qui conservat sine offensione, ut constituat ante conspectum gloriae suae immaculatos in laetitia, nisi perseverentiam bonam?

Quid est etiam quod in Apostolorum Actibus legimus: *audientes autem gentes gavisae sunt, et exceperunt verbum Domini et crediderunt quotquot erant ordinati in*

vitam aeternam? (XIII, 48). Quis in aeternam vitam potuit ordinari nisi perseverantiae dono? Quandoquidem *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Mt. X, 22). Qua salute nisi aeterna?

Cum vero in Oratione Dominica Deo Patri dicimus: *sanctificetur nomen tuum:* quid aliud dicimus, quam ut nomen ejus sanctificetur in nobis? Quod cum jam per lavacrum regenerationis effectum sit, quare cotidie a fidelibus poscitur, nisi ut in eo quod factum est in nobis perseveretur a nobis? Nam et beatus Cyprianus sic intelligit: exponens quippe eandem orationem: Dicimus, inquit, *sanctificetur nomen tuum,* non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris; sed quod petamus a Deo ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat?

Sed quia ipse dixit: *sancti estote quoniam ego sanctus sum* (Levit. XIX, 2), id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus, perseveremus. Ecce gloriosissimus Martyr hoc sentit, quod in his verbis cotidie fideles Christi petunt, ut perseverent in eo quod esse coeperunt. Nullo autem dubitante, quisquis a Domino ut in bono perseveret precatur, donum ejus esse talem perseverantiam confitetur [1].

97.—Perseverentia datur per Dominum nostrum Jesum Christum. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (1 Cor. XV, 57). Verissime prorsus.

Si enim data esset lex, quae posset vivificare, om-

[1] De corrept. et grat. n. 10.

nino ex lege esset justitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus (Gal. III, 21).

Hi enim sunt filii promissionis et vasa misericordiae, quibus ideo data est promissio ex fide Jesu Christi, quia misericordiam consecuti sunt, ut fideles essent, quod etiam de seipso dicit Apostolus (1 Cor. VII, 25): ne vel ipsa fides ex qua incipit, et ad quam refertur, quidquid temperanter et juste et pie gerimus, ita tribuatur nostrae voluntatis arbitrio, tamquam non nobis Deo miserante donetur, a quo etiam voluntas ipsa, sicut scriptum est, praeparatur (Prov. VIII juxta LXX).

Unde sancta Ecclesia per ora supplicantium sacerdotum non solum pro fidelibus, ut in eo quod credunt, perseverante pietate non deficiant, verum etiam pro infidelibus orat, ut credant. Et quidquid lex Dei jubet, nonnisi eo qui jubet adjuvante, inspirante, donante completur; qui rogatur ut permaneant, ut proficiant, ut perficiantur fideles; qui rogatur etiam ut credere incipiant infideles.

Quas Ecclesiae sanctae preces toto terrarum orbe crescentes et ferventes, opprimere ac extinguere cupiunt, qui contra istam Dei gratiam humanae libertatis arbitrium, ut gravius de alto praecipitent, extollunt potius quam defendunt [1].

Hic si a me quaeratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam qua christiane viverent, dilectionem dedit; me ignorare respondeo.

Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: *o homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Et, *o altitudo divitiarum sapientiae et*

[1] Operis imperf. cont. Julian. lib. VI, n. 41.

scientiae Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus (Rom. IX, 10).

Quantum itaque nobis judicia sua manifestare dignatur, gratias agamus: quantum vero abscondere, non adversus ejus consilium murmuremus, sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus.

Tu autem quisquis inimicis ejus gratiae sic interrogas, ipse qui dicis? Bene, quod te non negas esse christianum, et catholicum jactas. Si ergo confiteris, donum Dei esse perseverare in bono usque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod mecum pariter nescis, et ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. Aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non Deo dante si perseveret, sed humana voluntate faciente; quid moliturus es contra verba dicentis, *rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua* (Lc. XXII, 32)?

An audebis dicere etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset, quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset ut vellet? Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, et permansuram, si eadem voluntas maneret?

Sed quia praeparatur voluntas a Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo ne fides ejus defecerit, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemad-

modum secundum Dei gratiam, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate conseguitur gratiam, sed gratia potius libertatem, et ut perseveret delectabilem perpetuitatem, et insuperabilem fortitudinem [1].

Primo homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.

Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis non tale adjutorium perseverantiae datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.

Non solum enim dixit: *sine me nihil potestis facere* (Jo. XV, 5); verum etiam dixit: *non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (Ib. 16).

Quibus verbis eis non solum justitiam, verum etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente ut eant, et fructum afferant, et fructus eorum maneat, quis audeat dicere non manebit? Quis audeat dicere, forsitan non manebit? *Sine poenitentia sunt enim dona et vocatio Dei* (Rom. XI, 29); sed vocatio eorum qui secundum propositum vocati sunt.

Pro his igitur interpellante Christo ne deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet usque in finem: ac per hoc perseverabit usque in finem, nec eam nisi manentem vitae hujus inveniet finis [2].

---

[1] De correp. et grat. n. 17.

[2] De corrept. et grat. n. 34.

98.—Ad hominum correctionem obtinendam. Sunt qui dicunt: praecipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis praesunt, et ut faciamus orent pro nobis; non autem nos corripiant et arguant, si non fecerimus.

Imo omnia fiant: quoniam doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, et praecipiebant quae fierent et corripiebant si non fierent, et orabant ut fierent. Praecipit Apostolus dicens: *omnia vestra cum caritate fiant* (I Cor. XVI, 14). Corripit dicens, *jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis vobiscum. Quare enim non magis iniquitatem patimini, quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis, quia injusti regnum Dei non possidebunt* (I Cor. VI, 7)?

Audiamus et orantem: *vos autem,* inquit, *Dominus multiplicet et abundare faciat in caritate in invicem et in omnes* (I Thess. III, 12). Praecipit ut habeatur caritas: corripit, quia non habetur caritas; orat ut abundet caritas. O homo in praeceptione cognosce quid debeas habere, in correptione cognosce tuo te vitio non habere, in oratione cognosce unde accipias quod vis habere.

Sed reponit. Quomodo meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, a quo nisi detur, non est omnino alius unde tale ac tantum munus habeatur?

Patimini me paululum, fratres mei, non adversus vos, quorum rectum est cor cum Deo, sed adversus eos qui terrena sapiunt, vel adversus ipsas humanas cogitationes, pro caelestis et divinae gratiae veritate certare.

Hoc enim dicunt, qui in suis malignis operibus ab hujus gratiae praedicatoribus corripi nolunt. Praecipe

mihi quid faciam, et si fecero, age pro me gratias Deo, qui mihi ut facerem dedit; si autem non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus est, ut det quod non dedit, id est, ipsam, qua praecepta ejus fiunt, fidelem Dei et proximi caritatem. Ora ergo pro me ut hanc accipiam, et per hanc ex animo cum bona voluntate quae praecipit faciam.

Recte autem corriperer, si eam mea culpa non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare vel sumere ipse, nec facerem, vel si dante illo ego accipere noluissem. Cum vero et ipsa voluntas a Deo praeparetur, cur me corripis, quia vides me ejus praecepta facere nolle, et non potius ipsum rogas ut in me operetur et velle?

Ad haec respondemus: Quicumque Dei praecepta jam tibi nota non facis, et corripi non vis, etiam propterea corripiendus est, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari: non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quaeras: non vis tu ipse ostendi ut cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas foeditate.

Tuum quippe vitium est quod malus es, et majus vitium corripi nolle, quia malus es; quasi laudanda vel indiferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur neque vituperentur; aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor vel dolor; aut aliud agat, cum salubriter stimulat, nisi ut rogetur bonus, et ex malis qui corripiuntur, bonos faciat qui laudentur.

Quod enim vult pro se fieri qui corripi non vult, et dicit ora potius pro me, ideo corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se. Dolor quippe ille, quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeo, excitat eum in majorem orationis affectum; ut Deo miserante, incre-

mento caritatis adjutus desinat agere pudenda et dolenda, et agat laudanda atque gratanda.

Haec est correptionis utilitas, quae nunc major, nunc minor pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur, et tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum faciat ut peccati sui quemque poeniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit apostolum Petrum negantem, et fecit flentem (Lc. XXII, 61)?

Unde et apostolus Paulus posteaquam dixit, cum modestia corripiendos esse diversa sentientes, protinus addidit: *nequando det eis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant de diaboli laqueis* (II Tim. II, 25).

Cur autem isti qui corripi nolunt, dicunt, tantum praecipe mihi et ora pro me, ut quod praecipis faciam? Cur non potius secundum suum pravum sensum et ista duo respuunt et dicunt, nec ut praecipias mihi, nec ut ores pro me volo?

Quis enim hominum ostenditur orasse pro Petro, ut daret ei Deus poenitentiam, qua se negasse Dominum flevit? Quis hominum Paulum divinis praeceptis ad fidem christianam pertinentibus erudivit? Cum ergo audiretur praedicans Evangelium, et dicens: *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Christi Jesu* (Gal. I, 11): responderetur ei, quid nobis molestus es, ut abs te accipiamus atque discamus, quod tu non ab homine accepisti neque didicisti? Potens est ille qui tibi dedit, sic et nobis dare quomodo tibi.

Porro si haec non audent dicere, sed patiuntur sibi Evangelium ab homine praedicari; quamvis etiam possit non per hominem homini dari, concedant etiam corripi se debere a praepositis suis, a quibus christiana gratia praedicatur; quamvis non negetur Deus posse, quem velit, etiam nullo homine corripiente corrigere, et ad dolorem salubrem poenitentiae occultissima et potentissima medicinae suae potestate perducere.

Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis, quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro Dominus respexit eum, et fecit eum suum peccatum flere; ita non est negligenda correptio, quamvis Deus quos voluerit, etiam non correptos, faciat esse correctos.

Tunc autem correptione proficit homo, cum miseretur atque adjuvat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione, proficere. Sed quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter, diversis et innumerabilibus modis vocentur ut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere sed figuli [1].

99.—Nemo dicat non esse corripiendum qui exorbitat de via justa, sed ei reditum et perseverantiam a Domino tantum esse poscenda: nemo prudens et fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, procul dubio illi, etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum.

Utrum autem ita sit vocatus, quoniam qui corripit, nescit, faciat ipse cum caritate, quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, facturo Deo aut misericordiam, aut judicium: misericordiam quidem, si a massa perditionis ille qui corripitur, gratiae largitate

---

[1] De corrept. et grat. nn. 5-8.

discretus est, et non est inter vasa irae, quae perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiae quae praeparavit Deus in gloriam (Rom. IX, 22, 23); judicium vero, si in illis est damnatus, in his non est praedestinatus [1].

Patiantur homines se corripi quando peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem; quia et peccati justa poena debetur, et ad ipsam pertinet justa correptio, quae medicinaliter adhibetur, etiamsi salus aegrotantis incerta est: ut si is qui corripitur, ad praedestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autem non pertinet, sit ei correptio poenale tormentum. Sub isto ergo incerto ex caritate adhibenda est, cujus exitus ignoratur, et pro illo cui adhibetur, orandum est ut sanetur.

Cum autem homines per correptionem in viam justitiae seu veniunt seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, et quolibet in agris vel arbustulis operante dat incrementum Deus, qui volenti salvum facere nullum hominum restitit arbitrium?

Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Etiam de his enim qui faciunt quae non vult, facit ipse quae vult [2].

Dicit Scriptura: *omnes hi viri bellatores, dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron, ut constituerent David super omnem Israel* (1 Par. XII, 38).

Sua voluntate utique isti constituerunt regem David.

---

[1] De corrept. et grat. n. 25.
[2] De corrept. et grat. n. 43.

Quis non videat, quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico; et tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur.

Propter quod praemisit Scriptura: *et ambulabat David proficiens, et magnificabatur, et Dominus omnipotens erat cum illo.* Ac per hoc Dominus omnipotens qui erat cum illo adduxit istos ut eum regem constituerent. Et quomodo adduxit, nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas; quis alius facit ut salubris sit correptio, et fiat in correpti corde correctio, ut caelesti constituatur in regno [1].

100.—Corripiantur itaque a praepositis suis subditi fratres correptionibus de caritate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus vel amplioribus. Quia et ipsa, quae damnatio nominatur, quam facit episcopale judicium, qua poena in Ecclesia nulla major est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere.

Neque enim scimus quid contingat sequenti die, aut ante finem vitae hujus desperandum est, aut contradici Deo potest, ne respiciat et det poenitentiam, et accepto sacrificio spiritus contribulati cordisque contriti a reatu quamvis justae damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet.

Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures ser-

[1] De corrept. et grat. n. 45.

pant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam; ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam. Nescientes enim quis pertineat ad praedestinatorum numerum, quis non pertineat; sic affici debemus caritatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.

Hoc quippe fit, cum singulos quosque, ut occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, ut justificati ex fide pacem habeant ad Deum, quam praedicabat etiam Apostolus, cum dicebat: *pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos obsecramus pro Christo, reconciliari Deo* (Rom. v. 1, et II Cor. V, 10).

Quid est enim ei reconciliari, nisi pacem ad illum habere? Propter quam pacem etiam ipse Dominus Jesus dixit discipulis suis: *in quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur* (Lc. X, 5).

Ad nos ergo qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit, pertinet nullum exceptum facere, nullumque discernere; sed velle omnes salvos fieri, quibus praedicamus hanc pacem. Neque enim metuendum est ne perdamus eam, si ille, cui praedicamus, non est filius pacis, ignorantibus nobis; ad nos enim revertetur, id est, nobis proderit ista praedicatio, non et illi: si autem super eum pax praedicta requieverit, et nobis et illi [1].

Proinde quantum ad nos pertinet, qui praedestinatos a non praedestinatis discernere non valemus, et ob hoc omnes salvos fieri velle debemus; omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est a nobis medicinali-

[1] De corrept. et grat. n. 46.

ter severa correptio: Dei est autem illis eam facere utilem quos *ipse praescivit et praedestinavit conformes imaginis Filii sui* (Rom. VIII, 29).

Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat, cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? Neque enim dilectionis viscera majora gestamus quam beatus Apostolus, qui dicit: *corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat* (1 Thes. V, 14). Ubi intelligendum est tunc potius malum pro malo reddi, si corripiendus non corripitur, sed prava dissimulatione negligitur.

Dicit etiam, *peccantes coram omnibus corripe, ut ceteri timorem habeant* (1 Tim. V, 20). Quod de his peccatis accipiendum est, quae non latent, ne contra Domini sententiam putetur locutus.

Ille enim dicit, si peccaverit in te frater tuus, corripe inter te et ipsum. Verumtamen et ipse severitatem correptionis eo usque perducit, ut dicat, *si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus* (Mt. XVIII, 15-17). Et quis magis dilexit infirmos, quam ille qui pro omnibus est factus infirmus, et pro omnibus ex ipsa infirmitate crucifixus?

Quae cum ita sint, nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam; et ideo sic est praecipienda justitia ut a Deo gratia, id quod praecipitur fiat, fideli oratione poscatur: et hoc utrumque ita faciendum est, ut neque justa correptio negligatur.

Omnia vero haec cum caritate fiant, quoniam (1 Petr. IV, 8) *caritas nec facit peccatum et cooperit multitudinem peccatorum* [1].

---

[1] De corrept. et grat. n. 49. Cf. etiam De opere monach. nn. 38-41; Regula ad servos Dei, n. 7.

CAPUT VI. De necessitate orationis ex parte hominis (conclusio).

Summa: 101-103. *Necessitas orationis ad hostes, cum visibiles, tum invisibiles rejiciendos.*—104-106. *Ad tentationes superandas.*—107-109. *Ad concupiscentias refrenandas et spirituales languores sanandos.*—110-115. *Ad vitanda peccata.*—116-117. *Ad linguam domandam.*—118-119. *Ad solatium et juvamen in tribulationibus et tristitiis.*—120. *Ad quaecumque mala procul avertenda.*

101.—Ad hostes visibiles et invisibiles rejiciendos. Ante omnia danda est opera, ne peccemus, ne quamdam familiaritatem et amicitiam cum peccato, tamquam cum serpente, faciamus. Morsu quippe venenato perimit peccantem, nec tale aliquid est, cum quo facienda sit amicitia; sed si forte aut infirmum oppresserit, aut incauto subrepserit, aut errantem ceperit, aut in errores eundo deceperit, non pigeat animam confiteri, nec quaerat excusationem, sed sui accusationem.

Nam et inde oravit quidam in psalmo, et ait: *Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium continentiae circum labia mea; et non declines cor meum in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis* (Ps. 140, 3).

Peccatum quisque suadet tibi? Ante omnia recusetur. Sed persuasum est? Non excusetur, sed potius accuse-

tur. Nam et iste qui dicebat, *cor mundum crea in me, Deus,* sic incoepit: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Magnam misericordiam magnus peccator implorat; magnam medicinam magnum vulnus desiderat.

Ibi dicitur: *averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele* (Ps. 50). Avertit ergo Deus faciem suam a peccatis confitentis, et seipsum accusantis, Deique auxilium et misericordiam deprecantis.

Si ergo vis ut Deus ignoscat, tu agnosce. Impunitum non potest esse peccatum: impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo.

Peccatum tuum judicem te habeat, non patronum. In tribunal mentis tuae ascende contra te, et reum constitue te ante te. Noli ponere te post te, ne Deus ponat te ante se. Ideo dicit in eodem psalmo, unde facillimam impetret veniam: *quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum ante me est semper.* Tamquam dicens, quoniam ante me est, non sit ante te; et quia ego agnosco, tu ignosce. Ergo peccatum aut a te punitur, aut a Deo; sed a te sine Deo, a Deo tecum. Te ergo habeat punitorem, ut tu Deum habeas defensorem.

Ne quaeras excusationem. Ne dicas, diabolus fecit. Nam et ipse diabolus suadendi habet potestatem, postremo terrendi, graves etiam, si permissus fuerit, molestias inferendi: a Domino deprecanda virtus est, ne illecebrosa capiant, aut ne dura confringant.

Donet nobis contra illecebras et minas inimici duas virtutes, continere et sustinere; continere libidines, ne

prospera capiant; sustinere terrores, ne adversa confringant [1].

102.—Moderatis autem praefinitisque temporibus, etiam potestas permissa daemonibus, ut hominibus quos possident excitatis, inimicitias adversus Dei Civitatem tyrannice exerceant, sibique sacrificia non solum ab offerentibus sumant, et a volentibus expetant, verum etiam ab invitis persequendo violenter extorqueant, non solum perniciosa non est, sed etiam utilis invenitur Ecclesiae, ut Martyrum numerus impleatur (Apoc. VI, 11): quos Civitas Dei tanto clariores et honoratiores cives habet, quanto fortius adversus impietatis peccatum etiam usque ad sanguinem certant.

Hos multo elegantius, si ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur, nostros heroas vocaremus.

Non supplicibus donis placando, aërias potestates piorum virtutibus invidentes nostris martyres vincunt, sed virtutibus divinis.

Vera pietate homines Dei aëriam potestatem inimicam contrariamque pietati exorcizando ejiciunt, non placando; omnesque tentationes adversitatis ejus vincunt orando, non ipsam, sed suum Deum adversus ipsam. Non enim aliquam vincit, aut subjugat, nisi societate peccati.

In ejus ergo nomine vincitur, qui hominem assumpsit, egitque sine pecato, ut ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est, per Mediatorem Dei et hominum Christum Jesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur a Deo, quorum in hac vita

---

[1] Serm. 20, v. 12 in Ps. 50, n. 2.

non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio; per indulgentiam illius, non per nostram potentiam. Quia et ipsa quantulacumque virtus, quae dicitur nostra, illius est nobis bonitate concessa [1].

Si recte sentimus, sicut pro membris sanatis gratias agere, ita pro sanandis orare debemus, ut absolutissima, cui nihil addi possit sanitate, perfecta Dei suavitate, plena libertate perfruamur.

Non enim abnuimus humanam naturam posse esse sine peccato, aut ullo modo negare debemus perfici posse, quam proficere non negamus, sed gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum: eo adjuvante fieri dicimus, ut justa et beata sit, a quo creata est ut sit.

Facile itaque refellitur, quod a quibusdam sibi dicit opponi: diabolus nobis adversatur.

Prorsus huic objectioni et eadem verba respondemus, quae ipse respondit: Resistamus illi, et fugiet. *Resistite,* inquit beatus Apostolus, *diabolo et fugiet a vobis* (Jac. IV, 7).

Unde animadvertendum est, quid sit his nocere quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus sit, qui solis praevalere non resistentibus potest.

Haec et mea verba sunt: verius enim dici non potest. Sed hoc interest inter nos et istos, quod nos, etiam cum diabolo resistitur, poscendum Dei adjutorium non solum non negamus, verum etiam praedicamus: isti autem tantam tribuunt potestatem voluntati, ut pietati auferant orationem.

Nam utique ut diabolo resistamus et fugiat a nobis, ideo precantes dicimus, ne nos inferas in tentationem; ideo et admoniti sumus tamquam ab imperatore milites

---

[1] De Civit. Dei, lib. X, cc. 21, 22.

exhortante et dicente (Mc. XIV, 38), *vigilate et orate, ne intretis in tentationem* [1].

103.—*Erue me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me* (Ps. 30, 16). Dicamus hoc, et unusquisque de inimicis suis dicat hoc.

Bonum est enim, et orare debemus, ut nos Deus eruat de manibus inimicorum nostrorum. Sed intelligendi sunt inimici, pro quibus orandum sit, et contra quos orandum sit.

Inimici homines, qualescumque fuerint, non sunt odio habendi, ne cum odit malus, quem patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus et quem patitur malum, ut vel unus sit malus.

Illi inimici sunt contra quos orandum est, diabolus et angeli ejus; ipsi nobis invident regnum caelorum, ipsi nolunt ut ascendamus unde illi dejecti sunt: ab his oremus erui animam nostram. Nam et quando adversus nos homines incitantur, vasa ipsorum fiunt. Proinde Paulus apostolus admonens nos quam cauti esse contra inimicos debeamus, ait servis Dei, qui tribulationes patiebantur, utique seditionibus, improbitatibus, inimicitiis hominum: *non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* id est, non adversus homines, *sed adversus principes et potestates et rectores mundi* (Eph. VI, 12).

Cujus mundi, caeli et terrae? Absit. Hujus mundi rector non est nisi Creator.

Sed quem dicit mundum? Amatores mundi. Denique addit et exponit; quod dico mundi, *tenebrarum harum.* Quarum utique tenebrarum, nisi infidelium et impio-

[1] De natur. et grat. contr. Pelag. nn. 68, 69, cf. De perfect. justit. homini, n. 44.

rum? Nam ex impiis et infidelibus, cum essent facti pii et fideles, sic eos alloquitur idem Apostolus: *fuistis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Adversus spiritualia,* inquit, *nequitiae in caelestibus, adversus diabolum et ejus angelos dimicatis* (ib. VI, 12): hostes vestros non videtis, et vincitis. Erue me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me [1].

Quoniam Dominus vester, qui praecedit vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros, et salvos faciet vos (Deut. XX, 4). Ecce quemadmodum et in spiritualibus conflictibus sperandum et petendum est adjutorium Dei, non ut nos nihil faciamus, sed ut adjuti cooperemur. Sic enim ait, debellabit vobiscum, ut etiam ipsos acturos quod agendum esset ostenderet [2].

Ego autem oratione mea ad te, Domine (Ps. 68, 14). Ego autem ad te eram. Sed quomodo, ad te orando. Quando enim malediceris, et quid agas non habes; quando tibi jactantur opprobria, et quomodo corrigas eum a quo jactantur non invenis, nihil tibi restat nisi orare. Sed memento et pro ipso orare.

Salvum me fac de luto, ut non inhaeream (ib.). Quando forte caperis ab eo, qui te premit ad iniquitatem, tenetur quidem corpus tuum, secundum corpus infixus es in limo profundi; sed quandiu non consentis, non haesisti; si autem consentis, haesisti. Oratio ergo tua ibi sit, ut quomodo jam tenetur corpus tuum, non teneatur et anima tua, sis liber in vinculis [3].

104.—Ad tentationes superandas. *Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meae.* Admonemur, fra-

---

[1] Enar. II in Ps. 30, n. 2.
[2] Quaest. in Deut, Lib. V, q. 30.
[3] Enar. I in Ps. 68, Serm. I, nn. 17, 18.

tres, non cessare orando, quandiu tempus est tentationum. Dedisti hereditatem timentibus nomen tuum. Perseveremus ergo in timore nominis Dei, aeternus Pater nos non fallit. Laborant filii, ut suscipiant parentum suorum hereditatem, quibus mortuis successuri sunt: nos non laboramus accipere hereditatem ab illo Patre, cui non morienti succedamus, sed cum illo in ipsa hereditate in aeternum vivamus [1].

Caritas Dei, quod perpetua cogitatione tenendum est, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ut qui gloriatur in Domino glorietur.

Cum ergo nos hujus caritatis, qua lex verissime impletur, pauperes egentesque sentimus; non de inopia nostra divitias ejus exigere, sed orando petere, quaerere, pulsare debemus; ut ille *apud quem est fons vitae, det nobis inebriari ab ubertate domus suae, et voluptatis suae potari torrente* (Ps. 35, 9): quo inundati atque vegetati, non solum tristitia non absorbeamur, verum etiam gloriemur in tribulationibus, *scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes vero non confundit* (Rom. V., 4): non quia per nos ipsos hoc possumus, sed quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Delectavit me ista saltem per litteras loqui tecum, quae cum praesente non potui; et hoc non propter te, qui non alta sapiens consentis humilibus; sed propter quosdam, qui nimium arrogant humanae voluntati, quam lege data putant, ad eam implendam sibi posse sufficere nulla super doctrinam legis gratia sanctae inspirationis adjutam: per quorum disputationem infirmi-

[1] Enar. in Ps. 60, n. 7.

tati hominum miserae atque indigae suadetur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem.

Non quia hoc audent aperte dicere; sed eorum sententiam, velint nolint, hoc utique sequitur. Nam ut quid nobis dicitur, *vigilate et orate, ne intretis in tentationem?* Ut quid etiam secundum hanc exhortationem, cum doceret orare, praecepit ut dicamus, ne nos inferas in tentationem; si hoc non impletur ex adjutorio gratiae divinae, sed id totum est in arbitrio voluntatis humanae?

Quid plura? Saluta fratres qui tecum sunt, et orate pro nobis, ut salvi simus secundum illam salutem, de qua dicitur: *non est opus sanis medicus, sed male habentibus.*

Non veni vocare justos, sed peccatores (Mt. IX, 12). Orate ergo pro nobis, ut justi simus, quod quidem homo non potest nisi norit et velit, et erit continuo qui plane voluerit; sed hoc ipsum in eo non erit, nisi gratia Spiritus sanetur, et adjuvetur ut possit [1].

Adjutor meus esto, ne derelinquas me (Ps. 26, 9); non utique ad corporalia bona capessenda et mala cavenda, sed ad gerendam perficiendamque justitiam; propter quod dicimus, ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo.

Nec adjuvatur, nisi qui et ipse aliquid agit: adjuvatur autem, si invocat, si credit, si secundum propositum vocatus est (Rom. VIII, 29). Currimus ergo, cum proficimus, dum sanitas nostra in proficientibus currit, ut ex omni parte perfecti sine ulla simus omnino infirmitate peccati; quod non solum vult Deus, verum etiam ut, impleatur, facit atque adjuvat.

Quisquis negat nos orare debere, ne intremus in ten-

---

[1] Epist. 145 ad Anastas. nn. 7, 8.

tationem, negat autem qui contendit ad non peccandum gratiae Dei adjutorio non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathemandum esse non dubito [1].

Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo. Ut quid ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis et currentis, non miserentis est Dei? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur. Haec est fidei sanitas, quae nos facit quaerere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiatur nobis (Lc. XI, 11). Contra istam qui disputat, contra se ipsum claudit ostium misericordiae Dei [2].

105.—Pugnantium vox haec est: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde; et tu, Domine, usque quo* (Ps. VI, 3, 4)?

Vide laborantem in certamine. Et tu, Domine, usque quo?

Quo usque probes, quia ego subvenio. Si enim cito subvenirem, luctamen non sentires: si luctamen non sentires, tamquam de tuis viribus superbires, et per istam superbiam nunquam ad victoriam pervenires.

Dictum est quidem: *adhuc te loquente dicam, ecce adsum* (Is. LVIII, 9). Sed Deus et cum differt adest: et quod differt adest, et differendo adest; ne praeproperam cum implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem [3].

---

1 De perfect. justit. hominis, nn. 43, 44.
2 Ib. n. 40.
3 Serm. 163 de verb. Apost. Galat. n. 7.

Haec me admonere compellunt cavendi atque devitandi quorumdam sermonculi, qui per aures ad animos multorum serpere coeperunt, quod cum lacrimis dicendum est, inimici gratiae Christi, per quos suadetur, ut nec oratio nobis ad Dominum necessaria videatur, ne intremus in tentationem.

Sic enim conantur defendere hominis liberum arbitrium, ut eo solo, etiam Dei gratia non adjuti, valeamus, quod divinitus jubetur, implere. Ac per hoc sequitur ut frustra Dominus dixerit: *vigilate et orate, ne intretis in tentationem* (Mt. VI, 13), et frustra cotidie in ipsa Dominica oratione dicamus, ne nos inferas in tentationem [1].

Oratio dominica utrumque petendum esse commonet, et ut dimittantur nobis debita nostra, et ut non inferamur in tentationem; illud ut praeterita expientur, hoc ut futura vitentur. Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit, voluntas sola non sufficit; ideo pro hac re nec superflua nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quam orare ut facias quod in potestate habeas? [2].

Feci judicium et justitiam, ne tradas me persequentibus me (Ps. 118, 121). Orans itaque ne tradatur a Domino adversantibus sibi, quid orat, nisi quod oramus cum dicimus, ne nos inferas in tentationem? Adversarius est enim de quo dicit Apostolus: *ne forte tentaverit vos qui tentat* (I Thess. III, 5). Ei tradit Deus quem deserit. Eum quippe ille non decipit, quem iste non deserit, in voluntate sua praestans decori hominis virtutem.

Ab illo autem qui dixerat in abundantia sua, non movebor in aeternum (Ps. XXIX, 7), avertit faciem suam,

---

[1] De bono viduit. n. 21.
[2] De natur. et grat. cont. Pelag. n. 20.

et factus est conturbatus, sibique monstratus. Quisquis igitur a timore Dei casto crucifixas habet carnes suas, et nulla carnali corruptus illecebra facit judicium opusque justitiae, orare debet ne adversantibus tradatur, id est, ne timendo perpeti mala, ad facienda mala persequentibus cedat.

A quo enim accepit victoriam concupiscentiae, ne voluptate pertrahatur, ab illo etiam robur patientiae, ne dolore frangatur; quoniam de quo dicitur, *Dominus dabit suavitatem* (Ps. 84, 13), de illo etiam dicitur, *ab ipso est enim patientia mea* (Ps. 61, 6) [1].

106.—Si Pelagius inventus fuerit gratiam dicere, quam docet ecclesiastica et apostolica veritas, tunc sine ullo scrupulo Ecclesiae, sine latibulo ambiguitatis ullius absolvendus est, tunc est revera de ejus purgatione gaudendum.

Sive enim gratiam dixerit esse liberum arbitrium, sive gratiam esse remissionem peccatorum, sive gratiam esse legis praeceptum, nihil eorum dicit, quae per subministrationem Spiritus sancti pertinent ad concupiscentias tentationesque vincendas (Tit. III, 6), quem ditissime effudit in nos, *qui ascendit in caelum, et captivans captivitatem dedit dona hominibus* (Eph. IV, 8).

Hinc enim oramus ut peccatorum tentationem superare possimus, ut Spiritus Dei, unde pignus accepimus, adjuvet infirmitatem nostram (Rom. VIII, 26). Qui autem orat et dicit, ne nos inferas in tentationem, non utique orat ut homo sit, quod est natura; neque id orat ut habeat liberum arbitrium, quod jam accepit, cum crearetur ipsa natura; neque orat remissionem peccato-

[1] Enar. in Ps. 118, Serm. 26, n. 2.

rum, quia hoc superius dicitur, dimitte nobis debita nostra; neque orat ut accipiat mandatum, sed plane orat ut faciat mandatum.

Si enim in tentationem inductus fuerit, hoc est, in tentatione defecerit, facit utique peccatum, quod est contra mandatum.

Orat ergo ut non peccet, hoc est, ne quid faciat mali, quod pro Corinthiis orat apostolus Paulus, dicens: *oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali* (II Cor. XIII, 7). Unde satis apparet quod non ad peccandum, id est, ad non male faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficiat, nisi adjuvetur infirmitas. Ipsa igitur oratio, clarissima est gratiae testificatio [1].

107.—Ad concupiscentias refrenandas. *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia* (Rom. V, 20). Venit Dominus; totum quod de Adam traxisti, totum quod tuis pravibus moribus addidisti, totum dimisit, totum delevit; orationem docuit, gratiam promisit; certamen indixit, laboranti subvenit, victorem coronavit.

Sed prosequitur Apostolus: *concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Si vis ergo evadere legem minantem, ad Spiritum fuge adjuvantem. Quod enim lex imperat, fides sperat. Clama ad Deum tuum, adjuvet te. Non remaneas sub littera reus, sed Spiritu suo te adjuvet Deus.

Cum ergo coeperis laborare pugnans contra concupiscentias carnis, spiritu ambula, spiritum invoca, donum Dei quaere. Et si lex in membris repugnat legi mentis

---

[1] Epist. 177 ad Innoc. pap. nn. 3, 4, et 18. Cf. etiam seq. Epist. 175, n. 3: 178, 179.

tuae ex parte inferiori, id est, a carne captivum te tenet sub lege peccati: et hoc emendabitur, et hoc transiet in jura victoriae. Tu tantum clama, tu tantum invoca. *Oportet semper orare et non deficere* (Lc. XVIII, 1). Invoca omnino, invoca adjutorium. Adhuc te loquente, dicit: ecce adsum. Post intellige, et audis dicentem animae tuae: *salus tua ego sum* (Ps. 34, 3).

Cum ergo lex carnis repugnare coeperit legi mentis, et captivum te ducere in lege peccati, quae est in membris tuis, orando dic, confitendo dic: *miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, ubi lex in membris meis repugnat legi mentis meae? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* [1].

Ad orationem Christus hortatus sic conclusit: *hoc genus daemonum non ejicitur, nisi jejuniis et orationibus* (Mt. XVII, 20). Si orat homo ut ejiciat daemonium alienum, quanto magis ut ejiciat avaritiam suam, quanto magis ut ejicitat vinolentiam suam, quanto magis ut ejiciat luxuriam suam, quanto magis ut ejiciat immunditiam suam? Quanta sunt in homine, quae si perseveraverint, non admittunt ad regnum caelorum? [2].

Dicis mihi fortasse in tanta hujus vitae necessitate quid vis ut faciam? Si consilium a me secundum hoc saeculum quaeris, quomodo ista salus tua transitoria tuta sit, et potentia atque opulentia vel ista servetur quam nunc habes vel etiam major addatur, quid tibi respondeam nescio. Incerta quippe ista, certum consilium habere non possunt.

Si autem secundum Deum me consulis, ne anima tua pereat et times verba veritatis dicentis: *quid prodest ho-*

[1] Serm. 163 de verb. Gal. VI, nn. 10-12.
[2] Ser. 80 in Mt. n. 3.

mini, si totum mundum lucretur, animae autem suae detrimentum patiatur (Lc. IX, 25), habeo plane quod dicam, est apud me consilium, quod a me audias.

Quid autem opus est ut aliud dicam, quam illud beati Joannis apostoli? *Noli diligere mundum, nec ea quae in mundo sunt. Si quis enim dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo; quoniam omnia quae in mundo sunt, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi, quae non est a Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit et concupiscentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in aeternum, sicut et Deus manet in aeternum* (I Jo. II, 15).

Ecce consilium, arripe et age. Hic appareat si vir fortis es: vince cupiditates, quibus iste diligitur mundus, age poenitentiam de praeteritis malis, quando ab eis cupiditatibus victus per desideria non bona trahebaris. Hoc consilium si acceperis, si tenueris atque servaveris, et ad bona illa certa pervenies, et cum salute animae tuae inter ista incerta versaberis.

Sed forte iterum quaeris a me, quomodo ista facias tantis mundi hujus necessitatibus implicatus. Ora fortiter, et dic Deo quod habes in psalmo: *de necessitatibus meis erue me* (Ps. 24, 17).

Tunc enim finiuntur istae necessitates, quando vincuntur illae cupiditates. Qui exaudivit te, et non pro te, ut liberareris de tot tantisque periculis visibilium corporaliumque bellorum, ubi sola ista vita quandoque finienda periclitatur, anima vero non perit, si non malignis cupiditatibus captiva teneatur; ipse te exaudiet ut interiores et invisibiles hostes, id est, ipsas cupiditates invisibiliter et spiritaliter vincas, et sic utaris hoc mundo tamquam non utens; ut ex bonis ejus bona facias,

non malus fias, quia et ipsa bona sunt, nec dantur hominibus nisi ab illo, qui habet omnium caelestium et terrestrium potestatem.

Sed ne putentur mala, dantur et bonis: ne putentur magna vel summa bona, dantur et malis. Itemque auferuntur ista et bonis ut probentur, et malis ut crucientur [1].

108.—Concupiscentia tamquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur.

In grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus quidquid eidem concupiscentiae mens ad peccandum consentit, propriae voluntatis est, deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura, donec absorbeatur mors in victoriam (I Cor. XV, 54), et pace perfecta nihil quod vincatur existat.

Consentientes autem sibi ad illicita reos tenet, et nisi per medicinam poenitentiae et opera misericordiae per caelestem sacerdotem pro nobis interpellantem sanentur, ad secundam mortem damnationemque perducit.

Propter hoc et Dominus orare nos docens inter cetera monuit ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.*

Manet enim malum in carne nostra, non natura in qua divinitus creatus est homo, sed vitio quo voluntate

---

[1] Epist. 220 ad Bonifac. nn. 10, 11.

prolapsus est, ubi amissis viribus, non ea qua vulneratus est, voluntatis facilitate sanatur.

De hoc malo dicit Apostolus: *scio quoniam non habitat in carne mea bonum* (Rom. VII, 18). Cui malo non obedire praecipit, cum dicit: *non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus* (Rom. VI, 22). Si ergo his desideriis, concupiscentiis carnis illicita voluntatis inclinatione consensimus; ad hoc sanandum dicimus, *dimitte nobis debita nostra:* adhibentes remedium ex opere misericordiae, in eo quod addimus, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Ut autem non ei consentiamus, deprecamur adjutorium dicentes, et ne nos inducas in tentationem: non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentat, *nam Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat* (Jac. I, 13); sed ut si forte tentari coeperimus a concupiscentia nostra, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti.

Deinde addimus quod perficietur in fine, cum absorbebitur mortale a vita (II Cor. V, 4), *sed libera nos a malo.* Tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum qua certare, et cui non consentire jubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis positum breviter peti potest: ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti a concupiscentia, adjuva ne abstrahamur a concupiscentia, aufer a nobis concupiscentiam [1].

Eja, fratres, attendite saeculum quasi mare, ventus validus, et magna tempestas. Unicuique sua cupiditas est, tempestas est. Amas Deum; ambulas super mare, sub pedibus tuis est saeculi tumor. Amas saeculum, absorbebit te. Amatores suos vorare novit, non portare.

---

[1] De peccat. meritis et remiss. lib. II, n. 4.

Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam cupiditatem, invoca Christi Divinitatem.

Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est hujus saeculi adversitas? Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum, etiam singulo evenit privata calamitas, tunc putatur ventus adversus, ibi putatur invocandus Deus.

Quando autem temporali felicitate saeculum arridet, quasi non est ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem: interroga, sed tuam cupiditatem. Vide si tranquillitas est in te; vide si non te subvertit ventus interior, hoc vide. Magnae virtutis est, cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat felicitas. Magnae, inquam, virtutis est cum felicitate luctari; magnae felicitatis est a felicitate non vinci.

Disce calcare saeculum, memento fidere in Christo. Et si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, dic: Domine, pereo, libera me. Dic, pereo, ne pereas. Solus enim a morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te [1].

109.—Ad languores sanandos. Nec quisquam liberatur et justificatur nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei et timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu et effectu, donec sanet omnes languores nostros, et redimat de corruptione vitam nostram, et (Ps. 102, 3) coronet nos in miseratione et misericordia [2].

[1] Serm. 76 in Mt. XIV, n. 9.
[2] Epist. 194 ad Sixtum, n. 30.

Benedic, anima mea, Dominum, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos. Qui redimit de corruptione vitam tuam, qui coronat te in miseratione et misericordia (Ps. 102, 2-5). Cogita omnes retributiones Dei, cogita omnia mala facta tua. Quam multa enim mala facta tua, tam multae bonae retributiones ejus.

Quid debebatur peccatori nisi supplicium? Quid debebatur blasphemo nisi gehenna ignis ardentis? Non ipsa retribuit: ne expavescas, ne exhorrescas, ne sine amore timeas. Noli oblivisci omnes retributiones ejus bonas; et mutare jam, ne experiaris retributiones ejus non malas, sed justas.

Non vis ut mala sint tibi, quae justa sunt Dei? Non sit mala in conspectu Dei iniquitas tua.

Non enim cessavit vocare, aut vocatum neglexit instruere, aut instructum cessavit perficere, aut perfectum neglexit coronare. Quid dicis, quia es peccator? Convertere, et accipe retributiones istas: propitius fit omnibus iniquitatibus tuis.

Post remissionem peccatorum corpus infirmum geris, necesse est sint quaedam desideria carnalia quae te titillent, et quae tibi suggerant delectationes illicitas, de languore tuo veniunt. Adhuc infirmam carnem geris, nondum est absorpta mors in victoriam, nondum corruptibile hoc induit incorruptionem (I Cor. XV, 53): adhuc quibusdam perturbationibus etiam ipsa anima quatitur post remissionem peccatorum; adhuc in periculis tentationum versatur, quibusdam suggestionibus delectatur, quibusdam non delectatur, et in eis quibus delectatur, aliquando quibusdam consentit, capitur. Languor est, sanat et omnes languores tuos. Sanabuntur omnes languores tuos, noli timere.

Magni sunt, inquies; sed major est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit; tantum tu curari te sine, manus ejus ne repellas, novit quid agat. Non tantum delecteris cum fovet, sed etiam toleres, cum secat: tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem.

Videte, fratres mei, in istis languoribus corporis quanta homines tolerent, ut paucos dies victuri moriantur, et hos paucos incertos.

Multi enim post tolerantiam magnorum dolorum, cum a medicis secarentur, aut inter manus medicorum mortui sunt, aut jam sani, irruente aliqua aegritudine, defuncti sunt. Si tam sibi propinquam mortem sperarent, illos immensos dolores susciperent tolerandos?

Tu non toleras ad incertum: qui promisit sanitatem, non potest falli. Fallitur medicus aliquando, et promisit sanitatem de corpore humano. Quare fallitur? Quia non hoc curat quod fecit.

Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam: novit quemadmodum recreet quod creavit, novit quemadmodum reformet quod ipse formavit: tu tantum sub manibus medici esto; odit enim repellentem manus suas.

Non fit hoc in medici hominis manibus. Ligari se volunt homines, et secari; daturi pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus te, quem fecit, et certus curat, et gratis. Ferto ergo manus ejus, o anima, quae benedicis eum, non obliviscens retributiones ejus; sanat enim omnes languores tuos.

Qui redimit de corruptione vitam tuam. Inde sanat omnes languores tuos, quia redimit de corruptione vitam tuam. Ecce *corpus quod corrumpitur, aggravat animam* (Sap. IX, 15). Vitam ergo habet anima mea in corpore

corruptibili. Qualem vitam? Onera patitur, pondera sustinet. Ad ipsum Deum cogitandum, sicut dignum est ab homine cogitari Deum, quanta impediunt, veluti interpellantia de necessitate corruptionis humanae? Quanta revocant, quanta a sublimi intentione detorquent, quanta interpellant, quae turba phantasmatum, qui populi suggestionum? Totum hoc in corde humano, tamquam de vermibus corruptionis hujus scatet.

Exaggeravimus morbum, laudemus et medicum. Non ergo te sanabit, qui fecit talem qualis non aegrotares, si legem sanitatis acceptam servare voluisses? Nonne tibi et disposuit et mandavit quid tangeres, quid non tangeres ad retinendam salutem? Noluisti audire ad retinendam, audi ad recipiendam.

Languore tuo expertus es, quam vera ille jussisset. Jam tandem aliquando homo quod non tenuit monitus, audiat vel expertus. Quae duritia est, quam nec experientia docet?

Non ergo te sanabit, qui talem fecerat ut nunquam aegrotares, si ejus praecepta servare voluisses. Non te sanabit, qui fecit angelos, et te refectum aequaturus est angelis?

Non sanabit factum ad imaginem suam, qui fecit caelum et terram? Sanabit te, opus est ut sanari velis.

Sanat omnino ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius, quam ut tamquam in manu tua, sic habeas in voluntate sanitatem tuam? Si velles esse in aliquo sublimi honore in hac terra; ducatum, proconsulatum, praefecturam si concupisceres, nunquid continuo posses ut velles? Nunquid voluntatem tuam potestas sequeretur? Multi ad ista volunt pervenire, et non possunt; sed si pervenirent, quid prodest

honor aegrotis? Quis enim non aegrotat in hac vita, quis non languorem longum trahit? Nasci hic in corpore mortali, incipere aegrotare est.

Ergo hoc tibi dicitur, si non aegrotas, alia cogita; si te aegrotantem languor ipse convincit, prius de salute tua cogita. Salus tua Christus est: Christum ergo cogita Accipe calicem salutaris ejus, qui sanat omnes languores tuos; hanc salutem si volueris, obtinebis.

Honores et divitias cum requisieris, non continuo si volueris, habebis: hoc et pretiosius est, et sequitur voluntatem. Qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam.

Ibi sanabitur omnis languor tuus, cum corruptibile hoc induet incorruptionem. Redempta est enim vita tua de corruptione, jam securus esto: initus est bonae fidei contractus; nemo fallit redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premit. Egit hic commercium, jam pretium solvit, sanguinem fudit. Sanguinem, inquam, fudit unicus Filius Dei pro nobis: o anima, erige te, tanti vales.

Redimit de corruptione vitam tuam. Ostendit exemplo, quod promisit in praemio. *Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (Rom. IV, 25).

Sperent membra, quod in capite demonstratum est. Non curabit membra sua, quorum caput levavit in caelum? Ergo redimit de corruptione vitam tuam [1].

110.—*Benedic, anima mea, Dominum* (Ps. 102, 1). Dic animae tuae, dic: adhuc in hac vita es, adhuc carnem fragilem portas, adhuc corpus quod corrumpitur aggravat animam (Sap. IX, 15); adhuc post integritatem re-

---

[1] Enar. in Ps. 102, nn. 5, 6.

missionis accepisti remedium orationis; adhuc utique dicis, donec sanentur languores tui, dimitte nobis debita nostra [1].

Consideravi languores peccatorum meorum in cupiditate triplici, et dexteram tuam invocavi ad salutem meam. Vidi enim splendorem tuum corde saucio, et repercussus dixi: Tu es Veritas super omnia praesidens; at ego per avaritiam meam non amittere te volui, sed volui tecum possidere mendacium; sicut nemo vult ita falsum dicere, ut nesciat ipse quid verum sit. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possidere [2].

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus (Rom. VI, 12). Sunt itaque desideria peccati, quibus nos prohibuit obedire.

Sed adhuc quaerendum est, quae petamus dimitti nobis, quando dicimus Deo: *dimitte nobis debita nostra,* utrum quae nos operamur, quando peccati desideriis non obedimus, an ipsa desideria nobis dimitti volumus, quae nos non operamur, sed quod habitat in nobis peccatum.

Quantum quidem ego sapere possum, languoris illius et infirmitatis, unde illicita desideria commoventur, quod peccatum appellat Apostolus (Rom. VII, 7-25), universus reatus sacramento baptismatis est solutus, cum omnibus quae illi obedientes fecimus, diximus, cogitavimus; nec nobis deinceps languor iste obesset, quamvis inesset, si desideriis ejus illicitis nullis unquam obedientiam praeberemus, sive operatione, sive locutione, sive tacita assensione, donec etiam ipse sanaretur, cum id quod poscimus esset impletum, dicentes libera nos a malo; sed quoniam *tentatio est vita humana super terram*

---

[1] Serm. 131 de verb. Jo. V, n. 7.
[2] Confess. lib. X, cp. 41, n. 66.

(Job, VII, 1), etiamsi a criminibus longe simus, non tamen deest ubi desideriis peccati, vel facto vel dicto, vel cogitatu obediamus; quando adversus majora vigilantibus, quaedam incautis minuta subrepunt, quae si adversus nos colligantur, et si non singula suis molibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt.

Et propter haec, etiam hi qui ambulant in viis Domini, dicunt, *dimitte nobis debita nostra;* quoniam ad vias Domini et ipsa oratio pertinet, et ipsa confessio, quamvis non ad eas peccata pertineant [1].

111.—Ad vitanda peccata. Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: quod utique non de illis peccatis dicitur, quae in baptismi regeneratione dimissa sunt, sed de iis quae cotidie de saeculi amarissimis fructibus humanae vitae infirmitas contrahit, quibus curandis adhibentur medicamenta eleemosynarum, jejuniorum et orationum, ut in oratione dicatur, quod in eleemosynis agitur.

Nam et peccatum quod in te alter admisit, dimittere, ut et tibi Deus dimittat, magnum opus misericordiae est. Quod si hoc in oratione ficte et non veraciter dicunt, putantes se non habere quod eis dimittat Deus, idipsum est inexpiabile sacrilegium, ea ipsa impia est et vesana superbia, quod est certe immane peccatum [2].

Pro hac oravit ad te omnis sanctus in tempore opportuno (Ps. 31, 7). Pro hac, pro qua hac? Pro impietate, pro ipsa venia peccatorum. Inde oravit ad te omnis sanctus, quia dimisisti peccata. Nam si non dimitteres peccata, non esset sanctus qui ad te oraret: pro hac orabit ad te

---

[1] Enar. in Ps. 118, serm. 3, n. 2.
[2] Contr. epist. Parmen. lib. II, n. 20.

omnis sanctus, in tempore opportuno, quando manifestabitur gratia Christi, quod est tempus opportunum [1].

112.—*Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (Jo. VII, 36). Quod non solum propter peccata praeterita dictum esse, quorum remissione liberamur, verum etiam propter adjutorium gratiae, quod ne peccemus accipimus, id est, ita liberi efficimur, Deo nostra itinera dirigente, ut non nobis dominetur omnis iniquitas (Psalmus 118, 132); Dominica testatur oratio, ubi non solum dicimus, dimitte nobis debita nostra, propter mala quae fecimus; verum etiam, ne nos inferas in tentationem, propter hoc utique ne mala faciamus: unde et Apostolus dicit, *oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali* (2 Cor. XIII, 7).

Quod si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum priusquam esset natura humana vitiata, non utique posceretur orando, sed agendo potius teneretur.

Verum quoniam post pristinam ruinam tam gravem, ut in hujus mortalitatis miseriam caderemus, prius Deus certare nos voluit, donans nobis ut ejus agamur Spiritu, et mortificemus opera carnis, atque ipso dante victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, in aeterna cum illo postea pace regnemus; profecto nisi Deus adsit, nemo est idoneus certare cum vitiis: ne sine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in ipsa eorum conflictatione vincatur.

Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare, quam viribus; quia et ipsas vires, quantas hic habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus.

---

[1] Enar. 2 in Ps. 31, n. 17.

Si ergo hi, quorum contra carnem jam spiritus concupiscit, ad actus singulos indigent Dei gratia, ne vincantur: qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare coeperunt; aut si certare voluerunt, nondum liberatae voluntatis servitute vincuntur? [1].

113.—Si quaeris utrum in hac vita quisquam ita justitiae perfectione proficiat ut hic sine ullo vivat omnino peccato, attende quid dixerit Joannes apostolus, quem Dominus inter discipulos suos praecipue diligebat: *si dixerimus,* inquit, *quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (I Jo. I, 8).

Si ergo illi, de quibus mihi scripsisti, se dicunt esse sine peccato, vides quia se ipsos decipiunt, et veritas in eis non est. Si autem se esse peccatores fatentur, ut Dei misericordiam possint mereri, compescant se ab aliis etiam decipiendis, quibus hanc superbiam persuadere conantur.

Omnibus enim necessaria est oratio Dominica, quam etiam ipsis apostolis suis Dominus dedit, ut unusquisque Deo dicat: *dimitte nobis debita nostra.* Cui enim haec in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato vivere pronuntiandus est. Quales si aliquos futuros Dominus praevideret, meliores utique quam extiterunt ejus apostoli aliam orationem illos doceret, qua non peterent dimitti sibi peccata, quibus in baptismo fuerant omnia jam dimissa.

Nam si Daniel sanctus non coram hominibus quasi humilitate fallaci, sed coram Deo, id est, in oratione qua Deum precabatur, non solum peccata populi sui, sed

---

[1] Operis imperf. contr. Julian. lib. VI, n. 15.

etiam sua confitebatur, sicut ejus ore veridico expressum est (Dan. IX, 20); nihil aliud mihi videtur dicendum istis, nisi quod per prophetam Ezechielem cuidam superbo Dominus mandat: *Nunquid sapientior es tu quam Daniel* (Ezech. XXVIII, 3)?

Sed plane qui misericordia Dei adjutus et gratia se ab eis peccatis abstinuerit, quae etiam crimina vocantur atque illa peccata sine quibus hic non vivitur, mundare operibus misericordiae et piis orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato, quamvis cum hic viveret, habuerit nonnulla peccata; quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur, affuerunt.

Quisquis hac velut occassione comperta, cum audierit neminem hic arbitrio suo sine peccato vivere, dederit se libidinibus et criminibus nefariis obligaverit, atque in his criminosis consceleratisque moribus usque in diem suum ultimum perduraverit, quaslibet inter haec eleemosynas faciat, et infeliciter ducit vitam, et infelicius vivit [1].

Acute videtur interrogare Pelagius, cum dicit: «Quomodo sanctos de hac vita abiisse credendum sit, cum peccato an sine peccato?»

Ut si responsum fuerit, cum peccato, putetur eos secuta damnatio, quod nefas est credere; si autem sine peccato dictum fuerit eos exiisse de hac vita, probet hominem saltem propinquante morte fuisse sine peccato in hac vita.

Ubi parum attendit, cum sit acutissimus, non frustra etiam justos in oratione dicere: dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; Do-

---

[1] Epist. 157 ad Hilar. nn. 2, 3.

minumque Christum, cum eamdem orationem docendo explicuisset, veracissime subdidisse: *si* enim *dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater vester peccata vestra.*

Per hoc enim cotidianum spiritale quodam modo incensum, quod ante Deum in altare cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiamsi non hic vivatur sine peccato, dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur.

Deinde commemorat eos, «qui non modo non peccasse, verum etiam juste vixisse referuntur, Abel, Abraham, Simeon, Joseph, cui desponsata est Virgo Maria». Adjungit etiam foeminas, Debboram, Annam Samuelis matrem, Elisabeht, ipsam etiam Domini ac Salvatoris nostri matrem, quam dicit sine peccato confiteri necesse esse pietati.

Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod iste dicit, an quod Joannes apostolus?

Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et veritas in nobis non est* (I Jo. I, 8)? An illud humilius responderent fortasse quam verius? Sed huic jam placet, et recte placet: «Laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis».

Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum; quod humiliter quia faterentur, veritas in eis esset: si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset [1].

114.—Fateamur gratiam necessariam, clamemus: *miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et respondeatur nobis: *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. VII, 24).

Quando enim pelagianis rectissime dicitur, quare sine adjutorio gratiae Dei dicitis hominem posse esse sine peccato, non tunc de illa gratia quaestio est, qua est homo conditus; sed de ista, qua fit salvus per Jesum Christum Dominum nostrum.

Fideles enim orantes dicunt, *ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo.* Si adest possibilitas, ut quid orant? Aut a quo malo se liberari orant, nisi maxime de corpore mortis hujus, unde non liberat nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum?

Non utique de substantia corporis, quae bona est; sed de vitiis carnalibus, unde non liberatur homo sine gratia Salvatoris, nec quando per mortem corporis discedit a corpore.

Et hoc ut diceret Apostolus. quid supra dixerat? *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me ducentem in lege peccati quae est in membris meis* (Rom. VII, 23).

Ecce quod vitium naturae humanae inobedientia voluntatis inflixit. Orare sinatur, ut sanetur .Quid tantum de naturae possibilitate praesumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est: vera confessione, non falsa de-

---

[1] De nat. et grat. nn. 41, 42.

fensione opus habet. Gratia ergo Dei, non qua instituatur, sed qua restituatur, quaeratur; quae ab isto sola clamatur non esse necessaria, cum tacetur [1].

Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Dimitte hominem, clamet quod clamabat. Non enim tantum desiderat, ut per indulgentiam sit de praeteritis peccatis impunitus, sed etiam ut sit de cetero ad non peccandum fortis et validus.

Condelectatur enim legi Dei secundum interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suae: videt esse, non recolit fuisse; praesentibus urgetur, non praeterita reminiscitur.

Nec tantum repugnantem videt, verum etiam captivantem se in lege peccati, et quae est in membris ejus, non quae fuit.

Hinc est quod clamat: infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. Sinatur orare, sinatur adjutorium medici potentissimi flagitare. Quid contradicitur, quid obstrepitur, quid miser misericordiam Christi petere prohibetur, et hoc a christianis? Nam et illi cum Christo ambulabant, qui caecum lumen clamando petere prohibebant (Mc. X, 46); sed etiam inter tumultum contradicentium audit ille clamantem; unde huic responsum est, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum [2].

Utrum in hoc saeculo fuerit, vel sit, vel possit esse aliquis ita juste vivens, ut nullum habeat omnino peccatum, potest esse aliqua quaestio inter veros piosque christianos: posse tamen esse certe post hanc vitam quisquis abigit, desipit. Sed ego nec de ista vita volo contendere.

---

[1] De nat. et grat. n. 62.
[2] De nat. et grat. n. 65.

Quamquam enim mihi non videatur aliter intelligendum quod scriptum est: *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (Ps. 142, 2), et si qua similia: utinam tamen possit ostendi, vel haec testimonia melius aliter intelligi posse, vel perfectam plenamque justitiam, cui prorsus nihil addendum sit, et heri fuisse in aliquo, dum in isto corpore viveret, et hodie esse, et cras futuram; dum tamen longe plures sint, qui cum sibi usque ad ultimum vitae hujus diem necessarium esse non dubitent, ut veraciter dicant: dimitte nobis debita nostra: spem suam tamen in Christo atque in ejus promissionibus veram, certam, firmam esse confidant.

Nullo tamen modo nisi adjuvante gratia Salvatoris Christi crucifixi, et dono Spiritus ejus, et quoslibet ad plenissimam perfectionem, vel quemquam ad qualemcumque provectum verae piaeque justitiae pervenire, qui negaverint, nescio utrum recte possint in qualiumcumque christianorum numero deputari [1].

115.—Sed objicit Pelagius etiam verba mea contra me. Veniamus ad nos: Item, inquit, Augustinus episcopus in libris de Libero arbitrio, quaecumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem, caveri igitur potest [2]. Agnosco, verba mea sunt; sed etiam ipse dignetur agnoscere superius cuncta quae dicta sunt.

---

[1] De nat. et grat. n. 70.
[2] De libero arbit. lib. 3, cp. 18.

De gratia quippe Dei agitur, quae nobis per Mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilate justitiae. Potest ergo ei causae, quaecumque illa est, resisti, potest plane.

Nam in hoc adjutorium postulamus, dicentes, ne nos inferas in tentationem, quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri, sed opitulante illo, qui non potest falli.

Nam et hoc ipsum ad cavendum peccatum pertinet, si veraciter dicimus, dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum, et ut non accidat, et ut si acciderit, cito sanetur. Ut non accidat, caveamus dicendo: dimitte nobis debita nostra. Sive ergo immineat, sive insit, caveri potest [1].

116.—Ad domandam linguam. Quod apostolus Jacobus ait, *linguam autem nullus hominum domare potest* (Jac. III, 8): non mihi videtur intelligendum, ut exponere voluit Pelagius: «Quasi per exprobrationem dictum, tamquam diceretur, ergone linguam nullus hominum domare potest? Tamquam objurgans et dicens: domare feras potestis, linguam non potestis? Quasi facilius sit linguam domare, quam feras».

Non puto quod iste sit sensus hoc loco. Si enim hoc sentire vellet de facilitate domandae linguae, cetera sequerentur in bestiarum comparatione: nunc vero sequitur: inquietum malum, plena veneno mortifero, utique nocentiore, quam bestiarum est atque serpentum; nam illud carnem interficit, hoc vero animam. *Os enim quod mentitur, occidit animam* (Sap.I, 11). Non ergo qua-

---

[1] De nat. et grat. n. 80. Cf. etiam de Perfect. just. homin.nn. 1-16.

si id esset facilius, quam mansuefactio bestiarum, sanctus Jacobus illam sententiam pronuntiavit, aut ea voce voluit pronuntiari; sed potius ostendens quantum sit in homine linguae malum, ut a nullo homine domari possit, cum ab hominibus domentur et bestiae.

Neque hoc ideo dixit, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur; sed ut ad domandam linguam divinae gratiae poscamus auxilium. Non enim ait, linguam nullus domare potest, sed nullus hominum; ut cum domatur, Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fateamur.

Conetur ergo anima domare linguam, et dum conatur, poscat auxilium, et oret lingua, ut dometur lingua, domante illo qui dixit ad suos: *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Mt. X, 20). Itaque praecepto facere commonemur, quod conantes et nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.

Proinde et ipse cum exaggerasset linguae malum, inter haec dicens: non oportet, fratres mei, haec ita fieri, continuo monuit, consummatis his quae hinc dicebat, quo adjutorio ista non fierent, quae dixit fieri non oportere.

Quis enim sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae. Quod si zelum amarum habetis et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia et fructibus bonis, inaestimabilis, sine simulatione (Jac. 10-13).

Haec est sapientia quae linguam domat, desursum descendens, non ab humano corde prosiliens.

An et istam quisquam abrogare audet gratiae Dei, et eam superbissima vanitate ponit in hominis potestate? Cur ergo oratur ut accipiatur, si ab homine est ut habeatur?

An et huic orationi contradicitur, ne fiat injuria libero arbitrio, quod sibi sufficit possibilitate naturae ad implenda omnia praecepta justitiae?

Contradicatur ergo eidem ipsi apostolo Jacobo admonenti et dicenti: *si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei; postulet autem in fide nihil haesitans* (Id. I, 5). Haec est fides ad quam praecepta compellunt, ut lex imperet et fides impetret. Per linguam enim, quam nullus hominum domare potest, sed sapientia desursum descendens, in multis offendimus omnes. Non enim et hoc iste Apostolus alio modo pronuntiavit, sicut illud quod ait: linguam nullus hominum domare potest [1].

Intelligamus, carissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es: linguam nullus hominum domare potest.

Attendite similitudinem ab ipsis bestiis quas domamus. Equus non se domat, elephantus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat; sic et homo non se domat. Sed ut dometur equus, bos, camelus, leo, aspis, quaeritur homo. Ergo Deus quaeratur, ut dometur homo [2].

---

[1] De nat. et grat. nn. 16, 17.
[2] Serm. 55 de verb. Mt. V, n. 2.

117.—*Ante omnia nolite jurare* (Jac. v). Isto verbo quod ait, *ante omnia,* cautos nos fecit adversus linguam nostram.

Nolles ut diceret tibi ante omnia, ut te adversus consuetudinem intentissimum redderet, ut omnia tua inspiceres, omnes motus linguae tuae diligentissime custodires, esses custos malae consuetudinis tuae, ad eam constringendam.

Tene ergo linguam et consuetudinem quantum potes. Prae ceteris cautus esto, plus ad hoc intentus esto, quam ad alia.

Major consuetudo majorem intentionem flagitat, non rei levis consuetudo. Si de manu aliquid faceres, facilius manui tuae imperares ne faceret; si pedibus aliquo eundum esset, pigritia retardante excitares te, ut surgeres et ires. Lingua facilitatem habet motus, in udo posita est, facile in lubrico labitur.

Quanto illa citius et facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis: timebis, si christianum te esse cogitaveris [1].

Ego aliquando memoror de libellis miraculorum, quae in conspectu vestro leguntur. Ante dies lectus est quidam libellus, ubi cuidam aegrotae, quae doloribus acerrimis torquebatur, cum dixisset: ferre non possum, ait illi ipse martyr qui sanare venerat. Quid si martyrium duceres. Multi ergo ducunt martyrium in lecto: prorsus multi. Est quaedam persecutio Satanae, occultior et astutior quam tunc fuit.

Jacet fidelis in lecto, torquetur doloribus, orat, non exauditur; imo exauditur, sed probatur, sed exercetur, sed ut recipiatur filius, flagellatur.

---

[1] Serm. 180 de verb. Jac. V, nn. 9-12.

Ergo cum torquetur doloribus, venit linguae tentatio, accedit ad lectum muliercula aliqua, et dicit aegroto: fac illam ligaturam, et sanus eris: adhibeatur illa praecantatio, et sanus eris. Ille et ille, interrroga, sani inde facti sunt.

Non cedit, non obtemperat, non cor inclinat; certat tamen. Vires non habet, et diabolum vincit. Fit martyr in lecto, coronante illo qui pro illo pependit in ligno [1].

Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea (Ps. 38, 2). Credas quod legendo, disserendo, praedicando, monendo, objurgando, hortando, cum versaretur in opere, cum exerceretur in difficultatibus quibusdam humanis, homo agens inter homines, quia difficile est ut quisque lingua non labatur et peccet, et *qui lingua non peccavit,* ut scriptum est, *hic perfectus est vir* (Jac. III, 2); aliqua forte poenitenda dixerat, et lapsa erant ab ore quae vellet revocare, nec posset.

Non enim lingua frustra in udo est, nisi quia facile labitur. Videns ergo quam esset difficile, ut necessitatem loquendi haberet homo, et in loquendo non aliquid diceret, quod se dixisse nollet; et taedio affectus ex his peccatis, quaesivit evitare talia.

Cum ergo haec ei contigissent, statuerat non loqui, ne aliquid diceret, quod locutum se esse poeniteret. Hoc indicant prima verba ejus, dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Custodi ergo vias tuas, et noli delinquere in lingua tua: perpende quod dicturus es, examina, consule interiorem veritatem, et sic profer ad exteriorem auditorem.

Quaeris ista plerumque in perturbatione rerum, in occupatione animorum, dum ipsa infirmitas animae, quam

[1] Serm. 286 in Natal. s. Protas. n. 7.

aggravat corpus quod corrumpitur, et audire vult et dicere, audire intus et dicere foris, aliquando perturbata studio dicendi, deficit in diligentia agnoscendi; et in his dicit aliquid quod forte non esset dicendum. Contra haec remedium melius est silentium [1].

118.—Ad solatium et juvamen in tribulationibus et tristitiis. *Invoca me in die tribulationis tuae, et eximam te, et glorificabis me* (Ps. 49, 15). Non enim praesumere debes de viribus tuis, omnia auxilia tua mendacia sunt.

Me invoca in die tribulationis. Ad hoc enim permisi diem tribulationis tibi fieri; quia forte si non tribulareris, non invocares me; cum tribularis autem, invocas me: cum invocas me, eximam te: cum eximam te, glorificabis me, ut jam non discedas a me.

Obtorpuerat quidam et friguerat a fervore orationis, et dixit: *tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (Ps. 114). Invenit tribulationem tamquam aliquid utile, putruerat tabe peccatorum suorum, jam sine sensu remanserat, invenit tribulationem tamquam ustionem et sectionem. Inveni, inquit, tribulationem et dolorem, et nomen Domini invocavi.

Et quidem, fratres, sunt tribulationes omnibus notae. Ecce istae quae abundant in genere humano: alius damno affectus plangit, alius orbitate percussus luget, alius patria exulatus maeret, alteri vinea grandinata est, attendit ad labores suos, et consumptam omnem operam incassum.

Quando homo potest non contristari? Inimicum patitur ex amico. Quae major miseria in genere humano? Plangunt haec omnes, et dolent, et tribulationes sunt

---

[1] Enar. I in Ps. 38, serm. I, n. 3.

istae: et in his omnibus invocant Dominum, et recte faciunt. Invocent Deum, potens est vel docere tolerandum, vel sanare toleratum.

Novit ille non sinere tentari nos supra quam possumus ferre (I Cor. X, 13). Invocemus Deum etiam in istis tribulationibus; sed hae tribulationes inveniunt nos, sicut in alio psalmo scriptum est: *adjutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis* (Ps. 45, 2): est quaedam quam nos debemus invenire.

Inveniant nos istae tribulationes: est quaedam tribulatio quam nos debemus quaerere, et invenire. Quae est ista? Ea ipsa in hoc mundo felicitas, affluentia rerum temporalium; non quidem ipsa tribulatio est, solatia sunt nostrae tribulationis. Cujus tribulationis? Nostrae peregrinationis.

Hoc enim ipso quod cum Deo nondum sumus, hoc ipsum quod inter tentationes molestiasque versamur, quod sine timore esse non possumus, tribulatio est: non enim est illa securitas quae nobis promissa est.

Hanc tribulationem peregrinationis suae qui non invenerit, ad patriam redire non cogitat. Tribulatio illa est, fratres. Certe modo facimus bona opera, quando porrigimus panem esurienti, domum peregrino, et cetera: tribulatio est et haec. Invenimus enim miseros super quos misericordiam facimus; et miserorum miseria facit nos compatientes.

Quanto melius ibi jam esses, ubi non invenis esurientem quem pascas, ubi non invenis peregrinum quem suscipias, non nudum quem vestias, non aegrum quem visites, non litigantem quem concordes? Omnia enim ibi summa sunt, vera sunt, sancta sunt, aeterna sunt. Panis noster ibi justitia est, potus noster ibi sapientia

est, vestis nostra ibi immortalitas est, domus nostra aeterna in caelis, firmitas nostra immortalitas.

Nunquid aegritudo subrepit? Nunquid lassitudo ad somnum trahit? Nulla mors, nulla lis: ibi pax, quies, gaudium, justitia. Nullus intrat inimicus, nullus labitur amicus. Quae ibi quies? Si cogitemus et attendamus ubi simus, et ubi nos futuros esse promisit qui mentiri nescit, ex ipsa ejus promissione invenimus in qua sumus tribulatione.

Hanc tribulationem nemo invenit, nisi qui quaesierit. Sanus es, vide si miser es, nam facile est ut qui aegrotat, sentiat se miserum: quando sanus es, vide si miser es, quia cum Deo nondum es.

Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi.

Immola ergo Deo sacrificium laudis. Lauda promittentem, lauda vocantem, lauda exhortantem, lauda adjuvantem; et intellige in qua tribulatione positus es. Invoca, erueris, glorificabis, permanebis [1].

In die tribulationis clamavi ad te, quoniam exaudisti me (Ps. 85, 7). Causa ut exaudires me, quia in die tribulationis meae clamavi ad te.

Paulo ante dixerat, tota die clamavi ad te, tota die tribulatus sum. Nullus ergo christianus dicat esse diem in quo non sit tribulatus. Totam diem, totum tempus intelliximus. Quid ergo, tribulatio est, et quando bene est? Utique tribulatio. Unde tribulatio? *Quia quandiu in corpore sumus peregrinamur a Domino* (II Cor. V, 6).

Quodlibet hic abundet, nondum sumus in illa patria, quo redire festinamus. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam: si dulcis est patria, amara est peregrina-

[1] Enar. in Ps. 48, n. 22.

tio: si amara peregrinatio, tota die tribulatio. Quando non est tribulatio? Quando in patria delectatio. Delectationes in dextera tua usque in finem. *Implebis me laetitia,* ait, *cum vultu tuo* (Ps. XV, 11): *ut contempler delectationem Domini* (Ps. XXVI, 4).

Ibi transiet labor et gemitus, ibi non oratio, sed laudatio: ibi alleluja, amen ibi, vox consona cum angelis: ibi visio sine fastidio. Quandiu ergo non ibi, videtis quia non in bono.

Sed abundant omnia? Abundent omnia, vide si securus es quia non pereunt omnia. Sed forte habeo quae non habebam, accessit pecunia quae non erat. Forte accessit et timor qui non erat: forte tanto securior eras quanto pauperior.

Quidquid nobis adest praeter Deum nostrum, non est dulce. Nolumus omnia quae dedit, si non dat se ipsum, qui omnia dedit [1].

119.—*Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam; et oratio mea in sinum meum convertetur* (Ps. 34, 13).

Docemur quidem, fratres, quia pertinemus ad corpus Christi, quia sumus membra Christi (I Cor. XII, 27): et admonemur in omni tribulatione nostra, non cogitare quemadmodum respondeamus inimicis, sed quemadmodum orando Deum propitiemus, et maxime ne tentatione vincamur; deinde ut etiam illi qui nos persequuntur, ad sanitatem justitiae convertantur.

Nullum majus, nullum melius negotium est in tribulatione, quam recedere ab eo strepitu qui foris est, et ire in interiora mentis secretaria (Mt. VI, 6); ibi Deum in-

---

[1] Enar. in Ps. 85, n. 11.

vocare, ubi nemo videt gementem et subvenientem; illius cubiculi adversus omnem extrinsecus illatam molestiam ostium claudere, humiliare seipsum in confessione peccati, magnificare et laudare Deum, et corripientem et consolantem: prorsus hoc omni modo tenendum est [1].

Verba mea exaudi, Domine (Ps. V, 2). Titulus psalmi est pro ea quae hereditatem accipit: quibus verbis intelligitur Ecclesia, quae accipit hereditatem vitam aeternam per Dominum nostrum Jesum Christum, cui adhaerens beata sit, secundum illud: *beati mites, quia ipsi hereditate possidebunt terram* (Mt. V, 4).

Hereditas nostra Deus dicitur, quia ipse nos pascit et continet; hereditas Dei dicimur, quia ipse nos administrat et regit. Quapropter vox Ecclesiae est in hoc psalmo vocatae ad hereditatem, ut et ipsa fiat hereditas Domini.

Verba mea exaudi, Domine. Vocata invocat Dominum, ut eodem opitulante pertranseat nequitias hujus saeculi, et ad eum perveniat.

Intellige clamorem meum. Bene ostendit quis iste sit clamor, quam interior de cordis cubili sine strepitu corporis perveniat ad Deum; quandoquidem vox corporalis auditur, spiritalis autem intelligitur. Quamquam hoc sit etiam exaudire Dei, non aure carnali, sed majestatis praesentia [2].

Ego dixi in extasi mea; projectus sum a facie oculorum tuorum (Ps. 30). In pavore meo dixi, hoc est in extasi mea. Vidit se paventem intus nescio qua tribulatione magna, sicut non desunt; attendit cor suum pavidum et trepidum et ait: projectus sum a facie oculorum tuorum.

---

[1] Enar. II in Ps. 34, serm. 2, n. 3.

[2] Enar. in Ps. 5, n. 2.

Si in facie tua essem, non sic timerem; si me attenderes, non sic trepidarem. Sed quoniam dicit in alio psalmo, *si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me* (Ps. 93, 18); continuo et hic ait, ideo exaudisti vocem orationis meae. Quia confessus sum, quia dixi, projectus sum a facie oculorum tuorum, quia non superbus extiti, sed cor meum accusavi, et in tribulatione mea titubans ad te exclamavi; exaudisti orationem meam. Impletum est ergo quod commendavi de illo psalmo.

Attende illud in Petro: videt Dominum ambulantem in aquis, putat phantasma. Exclamat Dominus, ego sum, noli timere. Confidit Petrus, et dicit: *si tu es, jube me venire ad te super aquas* (Mt. XIV, 26-28). Hinc probo si tu es, si inverbo tuo potuero quod tu potes. Ait ille, veni. Et verbum jubentis facta est potestas audientis. Et descendit: coepit ire, ibat intrepidus, tamquam in illo sperans; videns autem ventum validum, timuit. Ego dixi in extasi mea: projectus sum a facie oculorum tuorum.

Et cum coepisset mergi, clamavit: *Domine, pereo.* Et Jesus porrigens ei manum, levavit eum dicens: *modicae fidei, quare dubitasti?* Dixi ergo in pavore meo, projectus sum a facie oculorum tuorum, et tamquam jam perire incipientis in mari, exaudisti, Domine, vocem orationis meae. Exaudisti autem cum clamarem ad te.

Clamor ad Deum non est voce, sed corde. Multi silentes labiis, corde clamaverunt: multi ore strepentes, corde averso nihil impetrare potuerunt. Si ergo clamas, clama intus, ubi audit Deus. Cum clamarem, inquit, ad te, exaudisti vocem orationis meae.

Jam ergo expertus quid nos hortatur? *Diligite Domi-*

num omnes sancti ejus. Tamquam diceret, credite mihi, ego sum expertus; habui tribulationes, invocavi, et non sum deceptus; speravi in Deum, et non sum confusus: cogitationes meas illuminavit, trepidationem meam firmavit.

Diligite Dominum omnes sancti ejus, id est, vos diligite Dominum, qui non diligitis mundum. Nam cui dico ut diligat Dominum, qui adhuc diligit amphitheatrum? Cui dico ut diligat Dominum, qui adhuc diligit mimum, qui adhuc diligit pantomimum, qui adhuc diligit vinolentiam, qui adhuc diligit pompas saeculi, et vanitates omnes, et insanias mendaces? Cui dico: disce non diligere, ut discas diligere; avertere, ut convertaris; funde, ut implearis. Diligite Dominum omnes sancti ejus [1].

Deus noster refugium et virtus (Ps. 45, 2). Sunt quaedam refugia ubi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur, quam confirmetur. Confugis, verbi gratia, ad aliquem in saeculo magnum, ut facias tibi potentem amicum; refugium tibi videtur. Tanta tamen hujus saeculi incerta sunt, et ita potentum ruinae cotidianae crebrescunt, ut cum ad tale refugium perveneris, plus tibi timere incipias.

Antea enim causae tuae tantum timebas; cum vero ad talem refugeris, et de illo tibi timebis. Multi enim cum ad talia refugia confugissent, cadentibus illis ad quos confugerant, et ipsi quaesiti sunt, quos nemo quaereret, si non ad talia confugissent. Non est refugium nostrum tale, sed refugium nostrum virtus est. Cum illuc confugerimus, firmi erimus.

Adjutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis. Multae sunt tribulationes, et in omni tribulatione ad

---

[1] Enar. II in Ps. 30, serm. 3, nn. 10, 11.

Deum confugiendum est, sive sit tribulatio in re familiari, sive sit in salute corporis, sive de periculo carissimorum, sive de aliqua re ad hujus vitae sustentaculum necessaria, omnino aliud refugium non debet esse homini christiano quam Salvator ejus, quam Deus ejus, quo cum confugerit, fortis sit.

Non enim ipse in se fortis erit, aut sibi ipse fortitudo erit; sed ille illi fortitudo erit, qui refugium ejus factus est. Verumtamen inter omnes tribulationes animae humanae, nulla est major tribulatio quam conscientia delictorum. Nam si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis quod conscientia vocatur; ubicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, et ibi inveniet Deum.

Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam et ibi Deus non est; quid facturus est homo, quo confugiet, cum coeperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, a publico ad domum, a domo in cubiculum et sequitur tribulatio. A cubiculo jam quo fugiat non habet, nisi in interius cubile suum.

Porro si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere, pellitur inde, et cum inde pellitur, a se ipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quo confugerat: se ipsum quo fugiturus est? Quocumque fugerit, se trahit post se, et quocumque talem traxerit se, cruciat se de se. Ipsae sunt tribulationes quae inveniunt hominem nimis, acerbiores enim non sunt; tanto non sunt acerbiores, quanto non sunt interiores.

Videte, carissimi, cum ligna dejiciuntur et probantur a fabris, aliquando in superficie videntur quasi laesa et putria; faber autem inspicit tamquam medullam inte-

riorem ligni, et si sana interius ligna cognoverit, promittit ea in aedificio duratura; nec valde erit de superficie laesa sollicitus, quando id quod interius est, sanum renuntiat.

Porro homini interius conscientia non invenitur; quid igitur prodest, si quod est exterius sanum est, et putrefacta est medulla conscientiae? Arctae istae, et vehementes omnino, et sicut psalmus ipse ait, nimiae tribulationes sunt: tamen et in his adjutor factus est Dominus dimittendo peccata. Iniquorum enim conscientias non sanat nisi indulgentia.

Si enim magnas tribulationes habere se dicit fisci confessus, et intuens angustias rei familiaris suae, cum se videt non posse esse solvendo, propter imminentes omni anno compulsores, tribulationes magnas se pati dicit, nec usquam respirat nisi in spe indulgentiae rerum terrenarum; quanto magis debitor poenarum de abundantia delictorum, quando reddet quod debet de mala conscientia, quando si reddiderit ipse perit? Hoc enim debitum reddere, poenas luere est.

Restat ergo ut de ipsius indulgentia securi esse possimus; si tamen accepta indulgentia non rursus ad debita contrahenda redeamus.

Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi (Ps. 94, 3). Alia est tribulatio quam tu invenis, alia quae te invenit. In utraque tamen sive quae te invenit, sive quam tu invenis, ut utramque depellat, ille rogandus est, qui est adjutor in tribulationibus. Nam et ille cum inveniret, hoc dixit, et nomen Domini invocavi: et hi in tribulationibus, a quibus se inventos esse dixerunt, hoc dixerunt, Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quae invenerunt nos nimis.

Sed accepta tanta securitate, quid dicunt? Propterea non timebimus, cum conturbabitur terra. Paulo ante solliciti, subito securi, ex tribulationibus nimiis in magna tranquillitate positi. Dormiebat enim illis Christus, ideo turbabantur; excitatus est Christus, sicut dicitur in Evangelio, imperavit ventis, et quieverunt (Mt. VIII, 24).

Quoniam Christus in cujus corde per fidem est, significatum est nobis, quia ejus cor tamquam navis in hujus saeculi tempestate turbatur, qui fidem suam obliviscitur; tamquam Christo dormiente turbatur, excitato autem Christo, fit tranquillitas.

Denique et ipse Dominus quid ait? Ubi est fides vestra (Lc. VIII, 25)? Excitatus Christus excitavit fidem, ut quod in navi factum erat, fieret in cordibus eorum. Adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis: id egit ut ibi esset tranquillitas magna [1].

Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sed in his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos (Rom. VIII, 35 sq.). Caritate igitur Christo, non poenae timore cohaeremus.

Deinde commemoratis eis, quae videntur habere violentiam, nec tamen habent valentiam separandi, ita conclusit, ut eamdem diceret caritatem Dei quam dixerat Christi. Et quid est a caritate Christi, nisi a caritate justitiae? De illo quippe dictum est: *qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio, ut quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur* (I Cor. I, 30).

Sicut ergo ille est nequissimus, quem nec poenae corporales deterrent ab immundis operibus sordidae volup-

[1] Enar. in Ps. 45, nn. 2-5.

tatis; ita ille justissimus, qui nec poenarum corporalium terrore revocatur a sanctis operibus luminosissimae caritatis.

Quae caritas Dei, quod perpetua cogitatione tenendum est, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.

Cum ergo nos hujus caritatis, qua Lex verissime impletur, pauperes egentesque sentimus; non de inopia nostra divitias ejus exigere, sed orando petere, quaerere, pulsare debemus, ut ille, apud quem est fons vitae, det nobis inebriari ab ubertate domus suae, et voluptatis suae potari torrente (Ps. 35, 9): quo inundati atque vegetati, non solum tristitia non absorbeamur, verum etiam gloriemur in tribulationibus, *scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes vero non confundit* (Rom. V, 4): non quia per nos ipsos hoc possumus, sed quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis [1].

120.—Ad quaecumque mala procul avertenda. Cohortari, fratres, debemus ad orationem, et nos et vos. Alia enim spes in nobis non est in multis malis praesentis saeculi, nisi pulsare in ipsa oratione, credere fixumque corde retinere, quia hoc tibi non dat Pater tuus, quod scit tibi non expedire.

Quid enim desideres, tu nosti; quid tibi prosit, ille novit. Puta te esse sub medico, et esse infirmum, sicut et verum est: omnis enim vita nostra, infirmitas; et longa vita nihil aliud quam longa infirmitas. Puta ergo

[1] Epist. 145 ad Anastas. nn. 6, 7.

te sub medico aegrotare. Delectavit recentem, delectavit potum vini usurpare, petere a medico. Non prohiberis petere, ne forte non tibi noceat, et expediat tibi accipere. Noli dubitare petere: pete, noli cunctari; sed si non acceperis noli contristari. Si hoc sub homine medico carnis tuae, quanto magis sub Deo medico, creatore, reparatore et carnis et animae tuae? [1].

Ideo dicimus, fratres, orare quantum potestis. Abundant mala, et Deus voluit ut abundarent mala. Utinam non abundarent mali, et non abundarent mala. Mala tempora, laboriosa tempora, hoc dicunt homines. Bene vivamus et bona sunt tempora. Nos sumus tempora, quales sumus, talia sunt tempora.

Sed quid facimus? Non possumus ad bonam vitam convertere multitudinem hominum? Pauci qui audiunt bene vivant: pauci bene viventes multos male viventes ferant. Grana sunt, in area sunt, paleas secum in area habere possunt, in horreo non habebunt. Ferant quod nolunt, ut veniant ad quod volunt.

Quare contristamur et causamur Deum? Abundant mala in mundo, ut non ametur mundus. Magni viri, fideles sancti, qui contempserunt mundum speciosum: nos non possumus contemnere nec foedum. Malus est mundus, ecce malus est, et sic amatur quasi bonus esset. Quid est autem malus mundus? Non enim malum est caelum et terra, et ea quae sunt in eis, pisces, volatilia, arbores. Omnia ista bona sunt; sed malum mundum mali homines faciunt.

Sed quoniam carere non possumus malis hominibus, quandiu vivimus, ad Dominum nostrum gemamus, et mala feramus, ut ad bona perveniamus. Patremfamilias

---

1 Serm. 80 in Mt. cp. 17, n. 2.

non reprehendamus, carus est enim. Ipse nos portat, non nos illum. Novit quemadmodum gubernet quod fecit: fac quod jussit, et spera quod promisit [1].

APPENDIX AD CAPUT VI

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 121. *Oratio magnum telum adversus tentationes.*—122-123. *Invocandus Deus in tribulationibus.*—124. *Ad daemonem vincendum.*—125. *Utilitas orationis ad omnia.*

121.—Oratio magnum telum adversus tentationes. *Et hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione* (Act. I, 14). Recte: magnum enim oratio telum est in tentationibus, et ad hoc a Magistro suo satis fuerant instituti. Alioquin vero praesens tentatio ad hoc illos ducebat. Itaque ascendunt in caenaculum [2].

Opportune omnes hodie simul concinuimus: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus* (Ps. 71, 18). Etenim miranda et opinionem excedentia facta sunt negotia: urbem totam et populum tantum jam submergendum et sub undas agendum et perdendum funditus statim, uno temporis momento ab omni naufragio liberavit.

Gratias igitur agamus, non tantum quoniam tempestatem sedavit, sed etiam quoniam ipsam fieri permisit: non tantum quoniam naufragio nos liberavit, sed etiam quod in tantam nos angustiam cadere permisit, et extremum periculum nobis imminere.

Sic et Paulus in omnibus jussit gratias agere. Cum vere dicit, *in omnibus gratias agite* (I Thess. V, 18), hoc significat, non tantum in gravium tentationum solutione, verum et in gravium tentationum tempore; *nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. VIII, 28). Gratias ipsi

---

[1] Serm. 80 in Mt. cp. 17, n. 8.
[2] In Act. Apost. homil. III, n. 1.

agamus propter tentationum absolutionem, et harum numquam obliviscamur: orationibus vacemus, supplicationibus continuis, pietati multae.

Cum a principio gravis horum malorum pyra fuerit accensa, dicebam non esse doctrinae tempus, sed orationum: hoc profecto et nunc postquam exstincta est, dico nunc magis tempus orationum esse, quam prius, nunc maxime lacrimarum tempus et compunctionis et animae anxiae multique studii et cautelae.

Tunc nempe ipsa tribulationum natura vel invitos nos corripiebat et modestos faciebat, et ad majorem agebat reverentiam; nunc autem ablato freno et nube praeterita, timendum ne ad torporem declinemus, ne segniores reddamur rursum ex remissione, ne de nobis quoque quispiam dicat: *Cum occideret eos, tunc quaerebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad Deum* (Ps. 77, 3). Ideo Moyses judaeos admonebat dicens: *postquam comederis et biberis, et fueris repletus, recordare Domini Dei tui* (Deut. VI, 12).

Nunc sincerum propositum vestrum videbitur, si in eadem manseritis pietate; tunc quippe multi timori et malorum illationi studium vestrum attribuebant; nunc vero purum erit meritum vestrum, si in eodem studio permaneatis.

Quoniam et puerulus si dum ab aliquo agitur paedagogo terribili, cum modestia vivit et mansuetudine, nihil est mirandum, sed paedagogi timori pueri modestiam attribuunt omnes; cum vero deposita necessitate ille in eadem manserit honestate, tunc et quam habuit in priore aetate modestiam, ipsi omnes adscribunt. Hoc et nos utique faciamus in eadem manentes reverentia, ut et prioris studii laudem multam a Deo capiamus [1].

122.—Invocandus Deus in tribulationibus. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me* (Ps. 119, 1). Vidisti lucrum afflictionis? Vidisti celeritatem clementiae? Lucrum afflictionis, quod eos ad puras preces fundendas adduxerit: clementiae celeritatem, quod vocantibus eis statim annuerit: quod etiam prius fecit iis qui erant in Aegypto. Et ideo dicit,

[1] Homil. XVII ad pop. antioch. n. 1.

videns vidi afflictionem populi mei, et gemitum eorum audivi, et descendi ut eos eriperem (Ex. III, 7).

Et tu ergo, o dilecte, quando es in afflictione, ne desperes, nec labores indiligentia, sed tunc temporis maxime excitare; sunt enim tunc preces puriores, et major est Dei in te benevolentia: et perpetuo ita vivas, ut sit tibi vita laboriosa, sciens *omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem passuros, et per multas afflictiones oportere nos intrare in regnum Dei* (II Tim. III, 12).

Ne mollem ergo vitam et dissolutam dilexeris, nec via lata velis ingredi, ea enim non ducit in caelum, sed arcta et angusta. Si autem pervenire ad supernas mansiones velis, fuge voluptates, externam saeculi pompam ac speciem conculca; opes, gloriam et potentiam neglige; paupertatem autem, mentis contritionem, confessionemque et lacrimarum fontem tene, et omnia quae possunt conciliare salutem, persequere. Ea enim et tutiorem reddunt eum qui possidet, et preces reddunt sublimiores. Si teipsum ita comparaveris, et Deum cum hac mente vocaveris, te omnino exaudiet.

Et ideo dixit propheta, cum tribularer clamavi, et exaudivit me, ut discas paulatim conscendere, et ut ita dicam, alatas precationes facere, ne angaris, ne aegre feras in afflictionibus, sed utilitatem ex eis percipias.

Si enim Eliseus propheta cum esset homo, non permisit ut discipulus venientem ad se mulierem extruderet, dicens: *dimitte eam, quia maerore est affecta anima ejus* (IV Reg. IV, 27); nihil aliud volens ex eo ostendere, nisi quod excusationem et defensionem maximam haberet, nempe afflictionem: multo minus Deus te repellet, si cum tristi et anxia anima ad eum accedas.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Vide hic quoque lucere praeceptum illud evangelicum, *orate, ne intretis in tentationem* (Lc. XXII, 46). Nulla enim est, o dilecte, gravior tentatio, quam in dolosum hominem incidere; is quippe est vel quavis fera truculentior.

Ea enim id quod est, esse cernitur: hic autem obtento velo mansuetudinis et probitatis saepe virus occultat, ut nec facile possint deprehendi insidiae, et in barathrum nulla ad-

hibita cautione incidatur. Quapropter ubique a Deo hoc assidue postulat, ut liberetur a talibus insidiatoribus.

Si autem fugiendi sunt fraudulenti et malitiosi, multo magis deceptores, et qui mala dogmata proferunt.

Maxime autem iniqua ea labia esse dixeris, quae in virtute laedunt, et ad vitium adducunt. Et ideo hic propheta rogat ut liberetur illius anima: eo enim tela dirigit [1].

123.—*Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (Ps. 120, 1). Vide animam, quae malis implicata nequit se expedire et invenire exitum, et vult assequi solatium ad Deum respiciens.

Haec rursus tentationum sunt bona, quae illam erigunt et excitant, et ad supernum auxilium invocandum movent, atque ab omnibus, quae ad hanc vitam pertinent, abducunt. Si enim judaei, qui crassi erant et terrae affixi, ab afflictione captivitatis adeo boni evadebant, et ad caelum ita respiciebant; multo justius est, ut nos hoc faciamus in nostris calamitatibus, et ad Deum confugiamus, a quibus longe major quam ab illis perfectio requiritur.

Quia enim illi tunc erant in mediis hostibus, et neque civitatem habebant, nec arcem, nec humanum auxilium, nec pecuniam, neque aliquid aliud ejusmodi, sed captivi et servi versabantur simul inter dominos et hostes: calamitatum autem magnitudine oppressi, ad invictam manum confugiebant, et ab humanis deserti praesidiis, ex ea ipsa desertione conferebant se ad religionem et pietatem. Et ideo dicebant: levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium meum.

Quae ab hominibus conferri possunt, omnia defecerunt, omnia perierunt, omnia procul recesserunt: una, inquit, salus deinceps relicta est, quae scilicet affertur a Deo.

Auxilium meum a Domino qui fecit caelum et terram. Vidisti eos Deum ubique quaerere, ex terra, ex caelo, ex montibus, ex solitudinibus eum ubique sibi ob oculos ponere? Vidisti eorum mentem fieri excelsiorem, et summam Dei providentiam ab eis ubique praedicari? Neque enim nequicquam hoc adjecit, qui fecit caelum et terram; sed hoc obscure ratio-

---

[1] Exposit. in Ps. 119, nn. 1, 2.

cinans et dicens: si fecit caelum et terram, potest etiam in aliena regione opem ferre, et ubique etiam in barbara terra, manum adjutricem praebere, et eos qui e patria expulsi sunt, conservare.

Si enim haec elementa verbo solum produxit, multo magis nos poterit liberare a barbaris. Vides quomodo philosophantur qui minori sensu erant praediti quam lapides, dum in aliena regione versantur. Non amplius enim templi, sed caeli et terrae meminerunt. Vide quomodo mundi creationem Deique sapientiam et providentiam praedicant. Qui enim antea ligno dicebant, deus meus es tu, et lapidi, tu me genuisti (Je. II, 27), nunc universi orbis terrae Opificem agnoscunt.

Auxilium meum a Domino, non ab hominibus, nec ab equis, non a pecuniis, nec a sociis, nec a propugnaculis. Auxilium nostrum a Domino; hoc auxilium est invictum et inexpugnabile: non solum autem inexpugnabile, sed etiam expeditum et facile.

Neque enim longe est proficiscendum, non est blandiendum janitoribus, non sunt consumendae pecuniae, non legationes mittendae, sed potest quis domi manens hoc ad se auxilium attrahere, si tantum se ipsum sejungens a rebus humanis, illi spei adhaereat, acresque et perspicaces oculos habeat et alta respiciat [1].

Tribulationem et dolorem inveni et nomen Domini invocavi (Ps. 114, 4). Quod autem dicit, est ejusmodi. Sufficit mihi ad hoc ut liberer a malis, quae me circumstant, Deum invocare.

Quidnam est ergo in causa, quod cum Deum saepe invocemus, minime tamen a malis liberemur? Quoniam non invocamus ut oportet invocare.

Nam ut scias eum paratum esse semper praebere, audi quid dicat in Evangelio: *Si autem vos, cum sitis mali, scitis bona dona dare filiis vestris, multo magis Pater vester qui est in caelis, dabit bona petentibus se* (Mt. VII, 9-11).

Vides quanta sit ejus bonitas, cum nostra cum illa collata videatur improbitas? Quoniam ergo talis est noster Domi-

---

[1] Exposit. in Ps. 120, n. 1.

nus, ad eum semper confugiamus, eum adjutorem solum invocemus, et eum paratum inveniemus ad nos servandos.

Si enim qui naufragium fecerunt, et in tabula vehuntur, eos qui procul sunt statim vocantes, persuadent ut humanitate utantur, etsi nihil inter eos commune intercedat, sed sola calamitate noti sint; quanto magis qui est benignus et clemens, et naturali bonitate utitur, eos eripiet qui gravibus opprimuntur calamitatibus, si modo ad eum confugere voluerint, et eum vere ac sincere invocare, humana spe relicta?

Quando ergo in inopinatum aliquod malum incideris, ne animum abjicias, sed tuum statim spiritum erigas, et confugias ad tranquillum portum, qui nullis agitatur fluctibus, et ad turrim numquam expugnabilem, nempe Dei auxilium. Ideo permisit ut caderes, ut tu eum invocares.

Sed plerique tuc maxime dejiciuntur, et eam qua praediti erant, pietatem abjiciunt, cum contra sit faciendum.

Quoniam nos valde amat, ideo permittit ut affligamur, ut ei perfectius conjungamur. Volens Deus semper nos sibi conjungere, permittit ut ad talem redigaris necessitatem, ut perpetuo vaces orationi, et eum assidue invoces, et aliis relictis sis de eo sollicitus [1].

Factus est Dominus refugium pauperi. Ipse me in tuto collocavit; nihil enim conferri potest cum hoc refugio, quod et ad facilitatis et securitatis rationem attinet. Aliis enim refugiis possunt afferri insidiae, nec possunt ea in promptu inveniri, sed et tempore et loco et innumerabilibus arcentur circumstantiis: hoc autem utpote quod prope sit, invenies, si id diligenter quaesieris.

Te enim adhuc loquente dicam; ecce adsum (Is. LVIII, 9). Et *Deus appropinquans ego sum, et non Deus procul* (Jer. XXIII, 23).

Nec cursu ergo, nec peregrinatione nobis opus est, sed vel domi sedentes hoc possumus evocare auxilium. Et aliquando quidem liberat a periculis; aliquando autem eos ipsos reddit praeclaros, et potentiores adversariis; et utrumque in tempore convenienti.

Quando enim se modeste gerunt qui id assequuntur, dat

---

[1] Exposit. in Ps. 114, n. 1.

utrumque, sin autem in eo non se recte gesserint, intra unum subsistit, ne alterius additamento nimis fiant arrogantes.

Ut autem scias id saepe in causa esse, ut in insolentiam efferantur homines, Ezechias ea de causa elatus est; sed nec sic quidem eum contempsit, sed quoniam victoriae successus mentem ejus extulerat, immisit infirmitatem, quae eum corrigeret (Is. 39, 2).

Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. Quid est in opportunitatibus? In tempore, inquit, opportuno. Duplicem dicit opportunitatem, quod et ferat auxilium, et quod in tempore. Opportunitatem enim hic dicit afflictionem. Qua de re? Quod sit mater pietatis et orationis, et a morte liberabit hominem, ac divinum maxime attrahat auxilium. Tunc sublata est socordia, et dissolutio; tunc supplicationibus vacamus diligentius. Et sicut hyems est tempus opportunum ad terrae agriculturam, ita etiam afflictio ad curam animae. Ejus enim semper opus habeamus auxilio, etsi sint nobis res secundae; tunc autem maxime sentimus auxilium, quando versamur in afflictionibus.

Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis. Vide eum perpetuo orationi affixum. A malis enim liberatus, et in tuto collocatus, non cessat rursus orare, dicens, miserere mei, et rogare eum pro futuris. Semper enim egemus Dei providentia, maxime autem dum liberamur a malis.

Aliud enim bellum excipit priori difficilius, socordiae et arrogantiae; tunc enim spirat vehementius diabolus. Quare maxime postquam liberati sumus a malis, illo opus habemus auxilio, ut facile res secundas feramus [1].

124.—Ad daemones vincendos. Cuilibet creaturae substantia Dei incomprehensibilis est. Filius autem atque Spiritus sanctus illum accuratissime cognoscunt. Verum ea re ad aliam disputationem remissa, ne dictorum copia memoriam confundamus, ad solitam exhortationem sermonem convertamus. Quaenam illa solita exhortatio? Ut assidue orationi mente sobria vigilique animo incumbamus.

---

[1] Exposit. in Ps. 9, nn. 5, 6.

Etenim nuper hac de re vos alloquutus, omnes vidi prompto animo morem gerere. Absurdum sane esset, si cum segniores vos video, objurgem, cum vero recte agitis, non laudem.

Laudare igitur vos hodie volo, gratiasque vobis illius obsequentiae reddere; gratias autem ita reddemus, si vos docuerimus, qua de causa haec oratio cetera praecedat, et cur daemoniacos, ac mente captos tunc Diaconus induci, et capita inclinare jubeat.

Cur ergo sic agit? Mala gravisque catena est agitatio daemonum; catena, inquam, ferro validior. Quemadmodum igitur judice prodituro, ut in excelso tribunali sedeat, carceris custodes detentos omnes eductos domicilio ante cancellos et tribunalis vela collocant, squalidos, sordentes, passis capillis, scissisque pannis indutos; ita Patres faciendum statuerunt, quando futurum est ut Christus ceu in excelso tribunali sedeat, in ipsisque mysteriis appareat, ut scilicet daemoniaci, quasi vincti quidam inducantur, non ut poena supplicioque afficiantur, sed ut populo urbeque tota intus praesente communes supplicationes fierent, omnibus animo uno communem Dominum illorum gratia precantibus, magnaque voce misericordiam poscentibus.

Talem igitur orationem deserentes increpabam, qui illo tempore foris versabantur. Nunc eos qui intus manent incusare volo; non quod maneant, sed quod intus positi nihilo melius, quam ii qui absunt, se habeant, dum horrendo illo tempore mutuo confabulantur.

Quid agis, o homo? Tot ex fratrum tuorum numero vinctos prope cernis, et tu de rebus nihil ad te pertinentibus fabularis? An vel ipse solus rei aspectus non te potest deterrere et ad misericordiam pertrahere? Frater tuus in vinculis, et tu in segnitie versaris? Qua, quaeso, venia dignus eris, sic inhumanus, immisericors, durus? Annon times ne te confabulantem, segniter agentem, negligentem, daemon quispiam inde exsiliens, vacantem scopisque mundatam animam tuam facile invadat, reserata domo reperta? Annon oporteret omnes illo tempore lacrimas effundere, madentibus esse oculis, fletus gemitusque per ecclesiam audiri?

Post mysteriorum communionem, post lavacri fructum,

post initam cum Christo societatem, lupus ille potuit ex ovili agnos rapere, et penes se retinere; tu vero tantam cernens calamitatem non lacrimaris? Quo pacto haec possint excusari? Non vis fratris vicem dolere?

Saltem pro te metue et expergiscere. Si vicini tui domum conflagrare videres, etiamsi is omnium tibi inimicissimus esset, annon accurreres, ut incendium restingueres veritus ne incendium paulatim serpens fores tuas invaderet? Idipsum in daemoniacis cogita, nam daemonum agitatio ceu incendium quoddam exitiosum est. Cave ergo ne daemon ultra progressus animam invadat tuam, ac cum praesentem videris, diligenter ad Dominum confugias ut cum daemon te animo ferventi excitatoque viderit, nullum sibi apud te aditum esse intelligat. Si enim te oscitantem et segnem viderit, ut desertum diversorium invadet; sin vigilantem et intentum, caelisque haerentem, ne intueri quidem audebit.

Itaque si fratrem non curas, saltem tibi consule, animaeque tuae aditum maligno daemoni occlude. Nihil autem perinde ipsi ingressum ad nos occludere solet, atque oratio et supplicatio assidua. Nam quod Diaconus omnibus praecipiat his verbis: *Erecti stemus probe* (Liturgiae verba), non frustra temereque statum est; sed ut humi repentes cogitationes erigamus, utque segnitiem saecularibus curis partam ejicientes, rectam coram Deo animam nostram statuere possimus.

Quod autem hoc verum sit, quodque non corpus haec verba respiciant, sed animam quam erigere jubemur, audiamus Paulum, eodem modo illa loquendi formula usum. Cum enim lapsis et aerumnarum mole pene desperantibus scriberet, dicebat: *solutas manus et soluta genua erigite* (Hebr. XII, 12). An dixerimus illum de manibus et genibus corporeis loqui? Minime: neque enim homines cursui et certaminibus deditos alloquitur, sed vires cogitationum a tentationibus prostratas his verbis excitare jubet.

Cogita cui proxime adstes, ac quibuscum Deum invocaturus sis, scilicet cum cherubim. Animadverte quos habeas socios, idque tibi ad vigilantiam satis erit, cum tecum reputaveris te carne indutum et corpore cum incorporeis virtutibus ad communem Dominum celebrandum adscribi dignari.

Nemo igitur animo resoluto sacras illas et mysticas laudes adeat; nemo saeculares tunc temporis cogitationes in mente verset; sed terrenis omnibus expulsis, in caelum se totum transferat, ac quasi ad thronum gloriae admotus, cum Seraphim volaret, sic sanctissimum hymnum magnifico gloriosissimoque Deo emittet. Ideo tunc temporis probe stare jubemur. Probe namque stare nihil aliud est, quam ita stare, ut decet hominem adstare Deo: nempe cum horrore et tremore, cum animo vigili et diligenti. Nam hoc quoque dictum ad animam pertinere Paulus rursus significavit his verbis, *sic state in Domino carissimi* (Philip. IV, 1).

Quemadmodum enim sagittarius si recte tela fundere velit, primo gradum stationemque componat oportet, deinde e regione scopi diligenter positus tela jacere nititur; sic et tu infestum diaboli caput telis impetiturus, cogitationum statum primo cures, ut rectum sine obice gradum statuens, probe contra illum tela emittas. Et haec quidem de oratione [1].

125.—Utilitas orationis ad omnia. Nihil aeque ad virtutem promovet, atque cum Deo assidue versari et colloqui, eique perpetuo gratias agere et psallere [2].

Quidam ex contentione Christum annuntiant non sincere. Quid enim? *Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur*; *et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (Philip. I, 17, 18). Qui ita praedicabant, non corruptam doctrinam annuntiabant, sed fidem sanam et rectam; verum causa propter quam praedicabant, vitiosa erat.

Aliud quippe est praedicationis causam dicere, et aliud dicere praedicationem non sanam esse. Tunc enim doctrina non est sana, cum dogmata errore plena sunt; occasio autem non est sana, cum doctrina quidem sana est, qui vero praedicant, non propter Deum praedicant, sed aut propter inimicitiam, vel ad aliorum gratiam.

Si error fuisset in dogmatibus, et illi haereses induxisent, non potuisset gaudere Paulus. Quia vero sanum et non adulteratum dogma erat, ideo dicit, gaudeo et gaudebo.

[1] Homil. IV de Incomprehens. nn. 4, 5.
[2] Exposit. in Ps. 7, n. 15.

Horum itaque diligenter recordamini; ut eos qui temere et perfunctorie Scripturis utuntur in perniciem proximi, cum omni sapientia emendare valeatis.

Poterimus autem et dictorum meminisse, et alios emendare, si ad orationes semper confugiamus, et Deum obsecremus, qui dat verbum sapientiae, ut det auditus intelligentiam, atque accuratam et invictam spiritualis hujus depositi custodiam.

Nam quae non possumus saepe proprio studio perficere, ea precum auxilio facile poterimus exsequi, de precibus loquor assiduis. Semper enim et sine intermissione precandum est, sive quis in aerumis, sive in tranquillitate, sive in calamitatibus, sive in bonis versetur.

Is qui in tranquillitate et bonis multis, ut haec immota firmaque maneant, et nunquam excidant: qui in aerumnis et multis calamitatibus, ut benignam quamdum vicissitudinem videat, et in solatium tranquillitatis transferatur.

In tranquillitate es? Roga igitur Deum, ut firma tibi maneat haec tranquillitas. Tempestatem vides ingruentem? Deum obnixe precare, ut procellam avertat, et tranquillitatem ex tempestate faciat. Exauditus es? Gratias age quod exauditus sis. Non exauditus es? Persevera ut exaudiaris.

Licet enim Deus donum aliquando differat, non ideo id facit quod odio habeat aut aversetur, sed ut procrastinando te diutius apud se detineat, quemadmodum patres prolis amantes, qui dona differendo segniores filios solerter cogunt assidue penes se stare.

Non tibi apud Deum patronis est opus, neque multa circumcursatione, ut aduleris aliis; sed etiamsi desertus patronoque destitutus sis, tute Deum precatus postulatum assequeris. Non ita solet annuere aliis pro nobis orantibus, ut nobis ipsis precantibus, etiamsi innumeris simus malis onusti. Nam si homines, quos innumeris laesimus offensis, cum matutino tempore, meridie, vespere adimus ipsos indignabundos, conspectus frequentia et assiduitate tandem facile placamus, multo magis id apud Deum contingat.

Sed indignus es? Assiduitate dignus evadas. Quod enim indignus possit assiduitate dignus evadere, et quod per nos magis quam per alios rogatus Deus annuat; quodque donum

sepe differat, non ut dubios animi reddat, et vacuis manibus remittat; sed ut majorum nobis bonorum auctor sit, haec inquam tria per parabolam Cannanaeae hodie vobis lectam demonstrare satagam.

Accessit ad Christum Cannanaea rogans pro filia daemonium habente, vehementer clamans: *miserere mei, Domine, filia mea male a daemonio vexatur* (Mt. XV, 22). En alienigena mulier et barbara, judaeorum reipublicae extranea. Et quid aliud erat quam canis et indigna quae optatum assequeretur? *Non est enim,* inquit, *bonum accipere panem filiorum et dare catellis* (ib. 26). Attamen assiduitate digna evasit.

Neque enim tantum illam in filiorum nobilitatem evexit, quae canis erat, sed etiam multis cum laudibus dimisit, dicens: *o mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* (ib. 28). Cum autem Christus dicat, magna est fides tua, nullum aliud quaeras circa magnanimitatem hujusce mulieris argumentum. Vidisti quomodo ex assiduitate digna facta sit mulier, quae indigna prius erat?

Vis discere nos in precando per nos metipsos plus perficere quam per alios? Clamavit haec, et accedentes discipuli dixerunt: *dimitte illam, quia clamat post nos* (ib. 23): et ad illos quidem respondit, *non sum missus nisi ad oves, quae perierant, domus Israel* (ib. 24): cum autem illa per seipsam accedit, et clamando perseveravit dicens, etiam, Domine, *nam et catelli edunt de mensa dominorum suorum,* tunc gratiam contulit, et dixit, *fiat tibi sicut vis.*

Vidisti ne quomodo, cum illi precarentur, repulit, cum autem illa munus clamando postulavit, annuit? Illis quippe dicit, non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel; huic vero, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis.

Et quidem initio petitionis nihil respondit: ubi autem semel iterum et tertio accessit, tunc gratiam contulit; ex fine docens nos, se munus distulisse, non ut illam repelleret, sed ut nobis omnibus patientiam mulieris exhiberet.

Nam si ut illam repelleret distulisset, neque in fine postulatum dedisset; quia vero ut pietatem ejus omnibus exhiberet exspectabat, ideo tacebat. Nam si statim a principio beneficium contulisset, mulieris virtutem fortitudinemque non nossemus.

Quid vero Christus? Vos auditis vocem, ego mentem video: scio quid dictura sit. Nolo thesaurum in mente ejus reconditum latere; sed exspecto et taceo, ut ipsum detectum in medium proferam, et omnibus manifestum faciam.

Haec igitur omnia cum didicerimus, etiamsi in peccatis simus, et beneficiis indigni, ne desperemus, scientes nos ex animi assiduitate posse dignos postulatis evadere.

Licet sine patrocinio ac deserti simus, ne animo despondeamus, gnari magnum illud esse patrocinium, si quis magno cum studio per seipsum ad Deum accedat. Si munus conferre differat et procrastinet, ne concidamus, scientes illam procrastinationem curae atque benignitatis esse argumentum.

Si id persuasum habeamus, et cum animo dolente et fervido, atque excitata voluntate, tali scilicet, qualem habuit accedens Cannanaea, et nos ipsum adierimus, etiamsi canes simus, etiamsi quidvis grave perpetraverimus, et nostra mala amoliemur, tantumque fiduciae accipiemus, ut aliis quoque patrocinari valeamus: quemadmodum et Cannanaea non solum ipsa fiduciam et multas laudes consequuta est, sed etiam filiam intolerabilibus molestiis eripere potuit.

Nihil enim, nihil utique potentius est oratione ferventi atque sincera. Haec et praesentia mala solvit, et a futuris illo tempore suppliciis eripit. Ut itaque et praesentem vitam facilius transigamus, et illuc cum fiducia abeamus, multo studio et alacritate precibus vacemus.

Sic enim poterimus et praesentia consequi bona et optima spe frui: quae nos omnes assequi contingat, gratia, benignitate et commiseratione Domini nostri Jesu Christi, quicum Patri, unaque Spiritui sancto gloria, honor, imperium in saecula saeculorum. Amen [1].

---

[1] De profectu Evangelii Hom. nn. 9-13.

CAPUT VII. De orationis seu petitionis objecto.

Summa: 126. *Duplicis generis bona: aeterna et temporalia.*—127-134. *Praecipuum petitionis objectum Deus et vita aeterna.*—135. *Petenda etiam bona interiora.*—136. *Bona temporalia dantur et bonis et malis.*

126.—Duplicis generis bona, temporalia et aeterna. Duo genera beneficiorum sunt, temporalia et aeterna: temporalia sunt salus, substantia, honor, amici, domus, filii, uxor, et cetera vitae hujus, ubi peregrinamur.

Aeterna vero beneficia sunt, primum ipsa vita aeterna, incorruptio et immortalitas carnis et animae, societas angelorum, civitas caelestis, dignitas indeficiens: Pater et patria, ille sine morte, illa sine hoste.

Haec beneficia toto ardore desidera, omni perseverantia pete, non sermone longo sed teste gemitu.

Desiderium semper orat, etsi lingua taceat: si semper desideras, semper oras.

Quando dormitat oratio? quando friguerit desiderium.

Illa beneficia sempiterna tota aviditate postula, illa bona tota intentione quaere, illa bona securus pete. Habenti enim illa bona prosunt, obesse non possunt.

Temporalia vero ista, aliquando prosunt, aliquando obsunt. Multis profuit paupertas et nocuerunt divitiae; multis profuit privata vita, et nocuit altus honor.

Et iterum aliquibus profuit pecunia, profuit dignitas; bene utentibus profuit, male autem utentibus non ablata plus nocuit.

Ac per hoc petamus et ista temporalia moderate, securi quia si accipimus, ille dat qui novit quid nobis expediat.

Petisti, non est tibi datum quod petebas? Crede Patri, qui, si tibi expediret, daret tibi.

Ecce de te ipso fac tibi conjecturam. Qualis est enim apud te filius tuus nesciens res humanas, talis es et tu apud Dominum nesciens res divinas.

Ecce ante te flius tota die plorans, ut des illi cultrum, id est, gladium: negas te dare, non das, contemnis flentem, ne plangas morientem.

Ploret, affligat se, collidat se, ut leves eum in equum; non facis, quia non potest eum regere, elidet et occidet illum.

Cui negas partem, totum illi servas; sed ut crescat et totum possideat secure, non das illi modicum periculosum [1].

---

[1] Serm. 80 in Mt. n. 7. **Doctrina divi Thomae.**

Objectum petitionis. Duplicis generis sunt bona: quaedam quae possunt malum eventum habere, quibus etiam homo potest male et bene uti; sunt *divitiae*, quae multis exitio fuere: *honores*, qui complures pessumdederunt: *regna*, quorum exitus saepe miserabiles cernuntur: *splendida conjugia*, quae nonnunquam funditus domos evertunt. Haec sunt *condicionate* et indeterminate petenda.

Sunt tamen alia bona quibus homo male uti non potest, quae scilicet malum eventum habere non possunt: haec autem sunt quibus beatificamur et quibus beatitudinem meremur; quae quidem sancti *absolute* petunt (2. 2. q. 83, a. 5). Hoc praecipue est in oratione petendum, ut Deo uniamur (q. 83, a. 1, ad 2).

Licet temporalia petere non ut bona principalia, sed sicut quaedam adminicula tum vitae corporalis, tum virtutum, quibus adjuvamur ad vitam aeternam consequendam (2. 2. q. 83, a. 6).

Bona temporalia cum quadam mensura sunt desideranda, secun-

127.—Praecipuum petitionis objectum Deus et vita aeterna. *Anima autem mea exultabit in Domino,* tamquam in eo a quo audierit, *salus tua ego sum* (Ps. 39): tamquam non quaerens alias extrinsecus divitias, tamquam non quaerens circumfluere voluptatibus bonisque terrenis; sed conjugem verum gratis amans, non ab illo volens accipere quod delectet, sed ipsum solum sibi proponens a quo delectetur.

Quid enim melius Deo dabitur mihi? Amat me Deus, amat te Deus. Ecce proposuit, pete quod vis (Mt. VII, 2). Si tibi imperator diceret: pete quod vis, quos tribunatus comitivasque ructares! Quanta tibi proponeres et accipienda et aliis largienda! Deo tibi dicente, pete quod vis, quid petiturus es?

Excute mentem tuam, exere avaritiam tuam, protende quantum potes, et dilata cupiditatem tuam: non quicumque, sed omnipotens Deus dixit: pete quod vis.

---

dum quod sunt necessaria ad vitam praesentem agendam et hoc modo orari pro eis potest (IV, D. XV, q. IV, a. q. 2).

Licet petere temporalia, non ut principalia bona (2. 2. q. 83, a. 6 et ad I); nec hujusmodi sollicitudo est prohibita, sed superflua et inordinata (ib. ad 2): neque hoc pacto anima deprimitur, sed magis elevatur sursum (ib. ad 3); imo talis petitio ordinatur ad salutem (ib. ad 4).

Aliquando quaedam etiam utilitates proveniunt ex petitione alicujus boni particularis. Nam determinatio ejus, quod in oratione petendum est, ad tria valet: *a)* ut orantis attentio determinetur ad aliquid, quod plurimum est in oratione necessarium: *b)* ut nobis innotescat desiderium nostrum et quantum in ipso profecerimus: *c)* ut ferventius petamus; quia bona quanto particularius inspiciuntur, tanto ferventius concupiscuntur (IV, D. XV, q. IV, a. 4, q. I).

Merito igitur damnata fuit haec propositio Ekkardi: Eum qui orando singularem aliquid ac determinatum petit, malum petere et male, quia negationem boni et negationem Dei petit, et orat Deum sibi negari (Denz.-Nebr. n. 390).

In dubiis debet homo curam suam jactare in Deum, ut si aliter expediat quam petatur, divino arbitrio relinquatur; quam formam orandi Dominus suo exemplo tradidit, cum dixit (Mt. XXVI, 39) *non sicut ego volo, sed sicut tu* (IV, D. XV, q. IV, a. 4, q. 1 ad 2).

Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes qui nascuntur, coloni tui aut servi tui sint. Et quid cum totam terram possederis? Mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris. In hac avaritia te pisces superabunt. Sed forte insulas possidebis.

Transcende et haec, pete et aërem quamvis volare non possis; porrige cupiditatem tuam usque ad caelum, dic tuum esse solem, lunam, stellas, quia ille qui fecit omnia, dixit, pete quod vis; tamen nihil invenies carius, nihil invenies melius, quam ipsum qui fecit omnia.

Ipsum pete qui fecit, et in illo et ab illo habebis omnia quae fecit. Omnia cara sunt, quia omnia pulchra sunt; sed quid illo pulchrius? Fortia sunt: sed quid illo fortius?

Et nihil magis vult dare quam se. Si aliquid inveneris melius, pete. Si aliud petieris, injuriam facies illi, et damnum tibi, praeponendo illi quod fecit, cum velit seipsum tibi dare qui fecit.

In hoc amore dixit illi anima quaedam: *et nunc ipsa est pars mea, Domine,* id est, Tu es pars mea (Ps. 72, 26, et 118, 57). Eligant sibi qui volunt quid possideant, faciant sibi partes de rebus: pars mea Tu es, te mihi elegi. Et iterum: *Dominus pars hereditatis meae* (Ps. 15, 5). Possideat te, ut possideas illum, eris praedium ipsius, eris domus ipsius.

Possidet ut prosit, possidetur ut prosit. Nunquid ut aliquid ei tu prosis? *Nam dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (Ps. 15, 2). Anima autem mea exultabit in Domino. Delectabitur super salutare ejus. Salutare Dei Christus est (Lc. II, 30), quoniam viderunt oculi mei salutare tuum [1].

---

[1] Enar. I in Ps. 34, serm. I, n. 12.

Tyro Christi loquitur, cum accedit ad fidem. *Dominus illuminatio mea et salutaris meus, quem timebo?* Dominus mihi et notitiam sui et salutem dabit, quis me auferet ei?

Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? Dominus repellet omnes impetus et insidias hostis mei, a nullo trepidabo.

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Adversus me autem si contradicentium conspirans multitudo consistat, non timebit cor meum, ut in eorum partes transfugiam. *Si exurgat in me bellum, in hac ego sperabo.* Si exurgat in me persecutio hujus saeculi, in hac quam cogito petitionem, figam spem meam.

Unam petii a Domino, hanc requiram. Unam petitionem petii a Domino, hanc requiram. *Ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitae meae.* Ut quandiu in hac vita sum, nullae adversitates me excludant de numero eorum, qui unitatem et veritatem Dominicae fidei per orbem terrarum tenent.

Ut contempler delectationem Domini. Eo fine, scilicet, ut in fide perseveranti appareat mihi species delectabilis, quam facie ad faciem contempler. *Et protegar templum ejus.* Et absorta morte in victoriam, immortalitate induar, effectus templum ejus.

Exaudi, Domine vocem meam, qua clamavi ad te. Exaudi, Domine, vocem interiorem, quam in aures tuas forti intentione direxi. Misere mei, et exaudi me in oratione mea.

Tibi dixit cor meum, quaesivi vultum tuum. Non enim hominibus me ostentavi; sed in secreto ubi solus audis, tibi dixit cor meum: quaesivi non a te aliquod extra te praemium, sed vultum tuum. Huic inquisitioni perseve-

ranter instabo; non enim vile aliquid, sed vultum tuum, Domine, requiram, ut gratis te diligam, quia pretiosius aliquid non invenio.

Ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Neque contemnas quod mortalis aeternum audet inquirere; tu enim Deus sanas plagam peccati mei [1].

128.—*Dominus illuminatio mea et salutaris meus, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?* Protegitur imperator scutatis et non timet; protegitur a mortalibus mortalis et securus est; protegitur mortalis ab immortali, et timebit et trepidabit?

Quanta autem fiducia debeat esse in eo, qui ista dicit, audite: *si consistant adversus me castra, non timebit cor meum.* Castra munita sunt, sed quid munitius Deo? Si exurgat in me bellum. Quid mihi facit bellum? Potest mihi auferre spem meam? Potest mihi auferre quod dat Omnipotens? Sicut non vincitur qui dat, sic non aufertur quod dat. Si auferri potest datum, vincitur dator. Ergo nec ipsa quae temporaliter accipimus, auferre nobis quisquam potest, fratres mei, nisi solus ille qui dedit.

Spiritalia quae donat, non auferet, nisi tu dimiseris; carnalia vero et temporalia ipse aufert, quia et quisquis alius aufert, ipso donante potestatem aufert.

Si exurgat in me bellum, in hac ego sperabo. In qua? Unam, inquit, petii a Domino; feminino genere appellavit quoddam beneficium, tamquam diceret, unam petitionem.

Et quomodo solemus loquentes dicere, verbi gratia, duas habes, et non dicimus duo; hoc more loquendi usa

---

1 Enar. I in Ps. 26, nn. 3-9.

est Scriptura: unam, inquit, petii a Domino, hanc requiram. Videamus quid petiit, qui nihil timet. Magna securitas cordis. Vultis nihil timere? Hanc unam petite, quam unam petit qui nihil timet, aut quam petit ut nihil timeat. Unam, inquit, petii a Domino, hanc requiram. Hoc hic agitur ab eis, qui bene ambulant.

Quid est hoc, quae est illa una? Ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitae meae. Haec est una; domus enim ea dicitur ubi semper manebimus. In ista peregrinatione dicitur domus, sed proprie tabernaculum appellatur. Tabernaculum peregrinantium, et quodam modo militantium, et adversus hostem pugnantium est. Quando tabernaculum ergo est in hac vita, manifestum est quia est hostis. Nam simul habere tabernacula, hoc est esse contubernales; et nostis hoc nomen esse militantium. Ergo hic tabernaculum, ibi domus.

Quid autem acturi simus in illa domo, habes evidenter expressisse alium psalmum: *beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te* (Ps. 33,5). Hac iste, si dicendum est, cupiditate ardens, et amore isto aestuans, desiderat omnes dies vitae suae in domo Domini habitare: in domo Domini omens dies vitae suae, non quasi finiendos, sed aeternos. Sic enim dicuntur dies, quomodo anni, de quibus dictum est, *et anni tui non deficient* (Ps. 101, 28). Nam dies vitae aeternae unus dies est sine occasu. Hoc ergo dixit ad Dominum: concupivi hanc, unam petii, hanc requiram.

Et quasi diceremus ei: et quid ibi facturus es, quae ibi delectatio tua, quod avocamentum cordis, quae illae deliciae, unde gaudia suppetent? Non enim ibi perdurabis, nisi felix eris. Felicitas autem illa unde succedet?

Habemus enim hic felicitates diversas generis humani,

et miser quisque dicitur quando illi subtrahitur quod amat.

Amant ergo homines diversas res, et quando quisque quod amat habere videtur, felix vocatur.

Vere autem felix est, non si id habeat quod amat; sed si id amet, quod amandum est. Multi enim miseri magis habendo quod amant, quam carendo. Amando enim res noxias miseri, habendo sunt miseriores. Et propitius Deus, cum male amamus, negat quod amamus: iratus autem dat amanti quod male amat.

Habes evidenter dicentem Apostolum: *tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis eorum!* Dedit ergo quod amabant, sed damnando. Habes rursum negantem petitum: *propter quod ter Dominum rogavi,* inquit, *ut auferret eum a me,* stimulum videlicet carnis, *et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (I, Cor. XII, 8, 9). Ecce illos dedit in concupiscentiam cordis eorum; Paulo apostolo negavit quod oravit; illis dedit ad damnationem, huic negavit ad sanitatem.

Cum autem id amamus quod vult Deus ut amemus, procul dubio daturus est nobis. Haec est illa una, quae debet amari, ut habitemus in domo Domini per omnes dies vitae nostrae.

Quid ibi ages, quaeso te, quid est quod desideras? Audi quid, ut contempler delectationem Domini. Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo Domini per omnes dies vitae meae. Habet ibi magnum spectaculum, delectationem ipsius Domini contemplari.

Vult finita nocte sua haerere in luce ipsius. Tunc enim erit mane nostrum nocte transacta; unde alio loco psalmus dicit: *mane astabo tibi et contemplabor.* Contemplabor bonum. Quale bonum? Omnis boni bonum, unde

omne bonum, bonum cui non additur quid sit ipsum bonum.

Dicitur enim bonus homo, et bonus ager, et bona domus, et bona arbor, et bonum corpus, et bona anima: adjunxisti, quoties dixisti, bonum.

Est bonum simplex, ipsum bonum quo cuncta sunt bona, ipsum bonum ex quo cuncta sunt bona; ipsa est delectatio Domini, hanc contemplabimur. Jam videte, fratres, si nos delectant bona ista quae appellantur bona, si nos delectant bona quae non sunt per se bona; omnia enim mutabilia non sunt per se bona: qualis erit contemplatio incommutabilis boni, aeterni, semper eodem modo manentis? Quandoquidem ista quae dicuntur bona nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona, nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent qui simpliciter bonus est [1].

129.—*Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas.* Sic benedicam te in vita mea: jam in vita mea quam mihi donasti, non in illa quam ego elegi secundum mundum cum ceteris inter multas vitas, sed quam dedisti mihi per misericordiam tuam, ut te laudarem. Quid est sic? Ut misericordiae tuae tribuam vitam meam in qua te laudo, non meis meritis.

Et in nomine tuo levabo manus meas. Leva ergo manus in oratione. Levavit pro nobis Dominus noster manus in cruce, et extensae sunt manus ejus pro nobis. Ideo extensae sunt manus ejus in cruce, ut manus nostrae extendantur in bona opera; quia crux ipsius misericordiam nobis praebuit.

Ecce levavit ille manus, et obtulit pro nobis sacrifi-

---

[1] Enar. II in Ps. 26, nn. 3-8.

cium Deo se ipsum, et per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra. Levemus et nos manus nostras ad Deum in prece, et non confundentur manus nostrae levatae ad Deum, si exerceantur in bonis operibus.

Quid enim facit qui levat manus? Unde praeceptum est ut levatis manibus oremus ad Deum? Apostolus enim dicit: *levantes puras manus sine ira et disceptatione* (I, Tim. II, 8). Ut cum levas manus ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua.

Quia enim manus istae levantur ut impetres quod vis, ipsas manus cogitas in bonis operibus exercere, ne erubescant levari ad Deum.

In nomine tuo levabo manus meas. Istae preces nostrae sunt in hac Idumaea, in hoc deserto, in terra sine aqua et sine via, ubi nobis Christus est via (Jo. XIV, 6), sed non via de hac terra.

In nomine tuo lavabo manus meas. Et quid dicam, cum levabo manus meas in nomine tuo, quid petam? Eja fratres, quando levatis manus, quaerite quid petatis, ab Omnipotente enim petitis. Aliquid magnum petite, non qualia petunt qui nondum crediderunt. Videtis qualia dentur et impiis.

Petiturus es a Deo tuo pecuniam? Nunquid non donat eam et sceleratis, qui in illum non credunt? Quid ergo magnum petiturus es, quod donat et malis? Sed non tibi displiceat, quia quae donat et malis, tam frivola sunt ut et malis donari digna sint: ne tibi quasi magna videantur quae possunt donari et malis. Dei quidem sunt et omnia dona terrena; sed videte, quia quae donat et malis, non pro magno habenda sunt.

Est aliud quod nobis servat. Cogitemus autem quae donat et malis, et hinc intelligamus quid servet bonis.

Quae donat malis videte. Donat illis lucem istam; videte quia vident illam boni et mali. Pluviam quae descendit super terram: et hinc quanta bona nascuntur? Et malis inde praestatur et bonis, dicente Evangelio, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (Mt. V, 45). Dona ergo ista quae nascuntur vel de pluvia vel de sole, a Domino quidem nostro petere debemus, cum sint necessaria; sed non ista sola, quia ista dantur et bonis et malis.

Quid ergo debemus petere, quando levamus manus? Quia quomodo potuit, dixit illud psalmus. Quid est quod dixi quomodo potuit? Quomodo potuit os humanum auribus humanis.

Quia per ora humana ista dicta sunt, et per quasdam similitudines dicta sunt, quomodo capere possunt omnes infirmi, omnes parvuli.

Quid dixit, quid petivit? In nomine, inquit, tuo levabo manus meas. Quid accepturus? *Tamquam adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Putatis aliquam pinguedinem carnis desiderasse animam istam, fratres mei? Non enim hoc pro magno desideravit, ut pingues porci illi mactarentur, aut veniret ad aliquam popinam, ubi inveniret obsonia pinguia unde saturaretur. Si hoc crediderimus, digni sumus qui ista audiamus.

Ergo aliquid spiritale debemus intelligere. Habet quamdam pinguedinem anima nostra. Est quaedam saturitas pinguis sapientiae. Sapientia enim ista animae quae carent, marcescunt; et omnino ita exiles fiunt, ut in omnibus bonis operibus cito deficiant. Quare cito deficiant in omnibus bonis operibus? Quia non habent pinguedinem saturitatis suae.

Et unde anima esset pinguis, nisi a Domino saturaretur?

Et tamen quantumlibet hic sit pinguis, quid erit in illo futuro saeculo, quo nos pascet Deus?

Interim in hac peregrinatione, quid erimus tunc, nec dici potest. Et fortasse ipsam saturitatem optamus hic, quando levamus manus nostras, ubi pinguedine sic saturabimur, ut omnino omnis indigentia nostra intereat, et nihil desideremus; quia totum praesto nobis erit, quidquid hic desideramus, quidquid hic pro magno amamus.

Jam patres nostri mortui sunt, Deus autem vivit; non hic potuimus semper habere patres, ibi autem semper habebimus vivum unum Patrem, habentes patriam nostram: quaecumque terrena est, semper ibi esse non possumus; et necesse est ut alii nascantur, et ad hoc nascantur filii civium illorum, ut excludant inde parentes suos. Ad hoc enim nascitur puer, ut dicat majori, quid hic agis? Necesse est ut qui succedunt et qui nascuntur, excludant eos qui se praecesserunt. Ibi omnes pariter vivemus, non ibi erit sucessor, quia nullus decessor.

Qualis illa patria? Sed divitias hic amas? Ipse Deus tibi erit divitiae tuae. Sed amas fontem bonum? Quid praeclarius illa sapientia, quid lucidius? Quidquid hic potest amari, pro omnibus tibi erit qui fecit omnia, tamquam adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labia exultationis laudabunt nomen tuum.

In hac eremo, in nomine tuo levabo manus meas, impleatur anima mea tamquam adipe et pinguedine: et labia exultationis laudabunt nomen tuum. Modo enim oratio, quandiu sitis; cum sitis transierit, transit oratio, et succedit laudatio [1].

---

[1] Enar. in Ps. 62, nn. 13, 14.

130.—*Domine non confundar, quoniam invocavi te* (Ps. XXX). Magnam causam dixit, non confundar... Nisi ergo proprio modo quodam diceret invocavi te, qui non possit communis esse cum multis, nullo modo de hac invocatione tantam mercedem auderet exigere: responderet enim illi Deus quodam modo in cogitatione, et diceret, quid a me petis ut non confundaris? quare? Quia invocasti me?

Nonne cotidie homines, ut impleant forte adulteria, quae concupiscunt, invocant me? nonne cotidie homines, ut moriantur illi a quibus expectant hereditatem, invocant me? nonne cotidie homines, qui fraudem cogitant, ut ea prospero exitu compleant, invocant me? Quid ergo est quod pro magna mercede exigis, ut dicas, non confundar, quoniam invocavi te?

Invocant quidem illi, sed non invocant te. *Invocas Deum, quando in te vocas Deum.* Hoc est enim illum invocare, illum in te vocare, quodam modo eum in domum cordis tui invitare. Non autem auderes tantum patremfamilias invitare, nisi nosses ei habitaculum praeparare.

Si enim tibi dicat Deus: ecce invocasti me, venio ad te, quo intrabo? Tantas sordes conscientiae tuae sustinebo? Si servum meum in domum tuam invitares, nonne prius eam mundare curares? Invocas me in cor tuum et plenum est rapinis. Quo invocatur Deus plenum est blasphemiis, plenum est adulteriis, plenum est fraudibus, plenum est malis concupiscentiis, et invocas me!

De talibus denique quid ait alio loco Psalmus? *Dominum non invocaverunt* (Ps. XIII, 5). Et utique invocaverunt, nec tamen invocaverunt.

Breviter dico, quoniam nata est quaestio, ut tantam

mercedem exigat homo allegans unum meritum, dicendo: quia invocavi te, cum videamus a tam multis malis invocari Deum, nata est quaestio: unde non transeundum est.

Dico ergo breviter homini avaro: Invocas Deum? Quare invocas Deum? Ut det mihi lucrum. Lucrum ergo invocas, non Deum. Quia hoc lucrum quod concupiscis, non potest habere per servum tuum, non potest habere per colonum tuum, per clientem tuum, per amicum tuum, per satellitem tuum: invocas Deum, ministrum lucri tu facis Deum: viluit tibi Deus.

Vis invocare Deum? Gratis invoca. Avare, an parum est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro et argento, non vis illum? Quid ergo tibi de his quae fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit? Merito ergo rogat iste: non confundar, quoniam invocavi te. Invocate Dominum, fratres, si non vultis confundi [1].

131.—*Cantabo et psallam Domino.* Securi erimus, et securi cantabimus, et securi psallemus, cum contemplabimur delectationem Domini, et protegemur templum ejus, in illa corruptione, quando absorbebitur mors in victoriam (I Cor. XV, 54).

Modo quid? Exaudi, Domine, vocem meam. Gemamus modo, oremus modo. Gemitus nos est nisi miserorum, oratio non est nisi indigentium. Transiet oratio, succedet laudatio; transiet fletus, succedet gaudium. Interim modo, quandiu in diebus malorum nostrorum sumus, non cesset oratio nostra ad Deum, a quo unam illam petamus, et ab ipsa petitione non desinamus, do-

---

[1] En. II in Ps. 30, serm. 3, n. 4.

nec ad eam illo donante ac perducente perveniamus. *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei et exaudi me.* Unam illam petit, tam diu rogans, flens, gemens, non petit nisi unam. Finivit omnes cupiditates, remansit illa una quam petit.

Audi quia hanc petit: *Tibi dixt cor meum, quaesivi vultum tuum.* Hoc est ergo quod paulo ante dixit, ut contempler delectationem Domini. Si gaudium nostrum in isto sole esset, non cor nostrum diceret, quaesivi vultum tuum; sed oculi corporis nostri. Cor nostrum, cui dicit quaesivi vultum tuum, nisi ei qui pertinet ad oculum cordis? Lucem istam quaerunt oculi carnis, lucem illam quaerunt oculi cordis. Sed vis illam lucem, quae videtur oculis cordis, videre, quia ipse lux Deus est. *Deus enim lux est,* ait Joannes, *et tenebrae in eo non sunt ullae* (I Jo. I, 5). Vis ergo videre illam lucem? Munda oculum unde videtur: *beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (Mt. V, 8). Tibi dixit cor meum, quaesivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram. Non avertas faciem tuam a me. Quomodo se fixit in ista una petitione? Vis impetrare? Aliud noli petere. Uni suffice, quia una tibi sufficiet. Tibi dixit cor meum: quaesivi vultum tuum. Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo.

Magnifice, nihil dici divinius potest. Sentiunt hoc qui vere amant. Alius vellet beatus et immortalis esse in his quas diligit, terrenarum concupiscentiarum voluptatibus; et forte propterea Deum coleret et oraret, ut diu hic viveret in deliciis suis, et non ab eo aliquid periret quod terrena possidet cupiditas, nec aurum, nec argentum, nec si quid praediorum oblectaret oculos ejus, nec amici morerentur, nec filii, nec conjux, nec clientes; in his deliciis vellet semper vivere.

Sed quia non potest semper, novit enim se mortalem; forte ad hoc colit Deum, et ad hoc orat Deum, et ad hoc gemit Deo, ut ista illi omnia usque in senectutem suppetant. Et si diceret ei Deus: ecce facio te in his immortalem, pro magno bono acciperet, et exultatione gaudiorum gratulatus non se caperet. Non vult hoc iste, qui unam petiit a Domino. Sed quid vult? Contemplari delectationem Domini per omnes dies vitae suae.

Rursusque alius qui hoc modo et hac causa coleret Deum, si illa sibi temporalia adessent, iratum Deum non timeret, nisi ne illud auferret. Iste non propter hoc timet iratum; quandoquidem et de inimicis suis dixit: ut edant carnes meas. Unde timet iratum? Ne auferat quod amvit. Quid amavit? Vultum tuum. Ideo hanc putat iram Domini, si avertat ab illo vultum suum.

Ira Dei non est nisi aversio vultus ejus. Quid si te faciet in deliciis istis et voluptate gaudiorum terrenorum immortalem? Respondet amator talis: nolo, quidquid mihi praeter illum est, dulce non est: quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, et se mihi det. Ne declines in ira a servo tuo. [1].

Auditor meus esto, ne derelinquas me (Ps. 26, 9). Ecce enim in via sum; petivi a te unam, habitare in domo tua per omnes dies vitae meae, contemplari delectationem tuam: hanc petivi unam, sed ut ad illam perveniam, in via sum.

Sine te autem nihil est mihi conatus meus. Adjutor meus esto. Tu enim adjuvas qui condidisti, tu non deseris qui creasti.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me. Fecit se propheta parvulum Deo: ipsum fecit patrem,

[1] Enar. II in Ps. 26, nn. 14-16.

ipsum fecit matrem. Pater est, quia condidit, quia vocat, quia jubet, quia regit: mater autem, quia fovet, quia nutrit, quia lactat, quia continet.

Redit ad illam unam post istius vitae pericula, post labores, post difficultates, inter manus persequentium et tribulantium aestuans, anhelans, laborans, et firmus et certus illo suscipiente, illo juvante, illo ducente, illo regente; tamen post illum circuitum et jubilationem exultans gaudio, et gemens in laboribus, suspiravit ad extremum, et ait: *credo videre bona Domini in terra viventium.*

O bona Dei dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, incommutabilia. Et quando vos videbo, bona Domini? Credo videre, sed non in terra morientium.

Suspirans dixit, laborans dixit, periclitans dixit inter magnam turbam tentationum; sed tamen sperans totum de misericordia ejus, cui dixit: *legem mihi constitue, Domine.* Et quid ille dicit, qui legem illi constituit? Audiamus et vocem Domini desuper exhortantis nos, consolantis nos; illius vocem, quem habemus pro patre et matre, qui nos dereliquerunt, illius vocem audiamus.

Audivit enim gemitus nostros, vidit suspiria nostra, intuitus est desiderium nostrum, et unam petitionem nostram, unam postulationem per advocatum Christum libenter accepit; et donec peragamus istam peregrinationem, qua dilaturus est, non ablaturus quod promisit, dixit nobis: *sustinete Dominum.* Non sustinebis mendacem, non eum qui poterit falli, non eum qui non est inventurus quod det.

Omnipotens promisit, certus promisit, verax promisit: *sustine Dominum, viriliter age.* Noli dissolvi, ne sis inter eos quibus dicitur: *vae his qui perdiderunt sustinen-*

tiam (Gal. III, 28). Sustine Dominum, omnibus nobis dicitur, et uni homini dicitur. Unus sumus in Christo, corpus Christi sumus, qui unam illam desideramus, qui unam illam petimus, qui in illis diebus malorum nostrorum ingemiscimus, qui credimus nos videre bona Domini in terra viventium: nobis omnibus, qui unus in uno sumus, dicitur: *sustine Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* Sustinendo Dominum habebis eum, habebis quem sustinebis.

Aliud desidera, si majus, si melius, si suavius inveneris [1].

Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (Ps. 36, 4). Discerne petitiones cordis tui a petitionibus carnis, discerne quantum potes. Nec frustra dictum est in quodam psalmo: *Deus cordis mei*. Ibi enim sequitur et dicit, et *pars mea Deus meus in saecula* (Ps. 72, 26). Verbi gratia, caecus est corpore, rogat ut illuminetur. Ista roget, quia et ista Deus facit, et ista Deus praestat: sed rogant haec etiam mali. Petitio haec carnis.

Infirmatur, rogat se salvum fieri: salvus fit moriturus. Et ista petitio carnis est: et si qua sunt talia.

Petitio cordis quae est? Sicut petitio carnis est, velle sibi reparari oculos, utique ad videndum istam lucem, quae talibus oculis videri potest: ita petitio cordis ad aliam lucem pertinet. *Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [2].

132.—*Videbunt justi et timebunt, et sperabunt in Dominum.* Eia qui volunt sperare in Dominum, qui vident

---

[1] Enar. II in Ps. 26, nn. 17-23.
[2] Enar. I in Ps. 36, serm. I, n. 5.

et timent, timeant ambulare vias malas, vias latas; eligant viam angustam, ubi jam supra petram quorumdam directi sunt gressus: quid facere debeant, audiant modo.

Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas. Ecce qua volebas ire, ecce turba viae latae, non frustra ipsa ducit ad amphitheatrum, non frustra ipsa ducit ad mortem. Via lata mortifera est: latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus angustus in aeternum.

Sed turbae strepunt, turbae festinant, turbae collaetantur, turbae concurrunt. Noli imitari, noli averti, vanitates sunt, et insaniae mendaces.

Sit Dominus Deus tuus spes tua; non aliud aliquid a Domino Deo tuo speres, sed ipse Dominus Deus tuus sit spes tua. Namque multi de Deo sperant pecuniam, multi de Deo sperant honores caducos et perituros, aliud quodlibet a Deo praeter ipsum Deum; sed tu ipsum Deum tuum pete, imo vero contemptis aliis, perge ad illum: obliviscens alia, memento illius, relinquens retro alia, extendere in illum. Ipse certe aversum correxit, ipse ducit rectum, ipse perducit; ergo sit ipse spes tua, qui ducit et perducit.

Quo ducit et quo perducit terrena avaritia? Fundos quaerebas, terram possidere cupiebas, vicinos excludebas; illis exclusis, aliis vicinis inhiabas, et tandiu tendebas avaritiam, donec ad littora pervenires: perveniens ad littora, insulas concupiscis; possessa terra, caelum forte vis prendere.

Relinque omnes amores, pulchrior est ille qui fecit caelum et terram. Sit spes nostra Deus noster. Qui fecit omnia, melior est omnibus; qui pulchra fecit, pulchrior

est omnibus; qui fortia, fortior est; qui magna, major est: quidquid amaveris, ille tibi erit. Disce amare in creatura Creatorem, et in factura factorem: ne teneat te quod ab illo factum est, et amittas eum a quo et ipse factus es. Ergo, beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mendaces [1].

Voce mea ad Dominum clamavi (Ps. 76). Sed multi clamant ad Dominum pro divitiis adquirendis damnisque devitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suae, pro felicitate temporali, pro dignitate saeculari; postremo pro ipsa etiam *salute corporis, quae patrimonium est pauperis*.

Pro his atque hujusmodi rebus multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Deum. Facile quippe homini est quodlibet desiderare a Domino, et ipsum Dominum non desiderare; quasi vero suavius esse possit quod dat, quam ipse qui dat. Quisquis ergo pro alia re qualibet clamat ad Dominum, nondum est transiliens ista terrena.

Hic vero transiliens quid dicit? Voce mea ad Dominum clamavi. Et ne arbitreris vocem ipsius qua clamavit ad Dominum, propter aliud emissam, quam propter ipsum Dominum, secutus ait: et vox mea ad Deum. Emittitur enim vox qua clamemus ad Deum, et ipsa vox ad aliud est non ad Deum. Ad hoc enim est vox, propter quod editur vox. Iste vero qui Deum gratis amabat, qui voluntarie Deo sacrificabat (Ps. 53, 8), qui transilierat quidquid infra est, nihilque aliud supra se viderat, quo effunderet animam suam, nisi ex quo et per quem et in quo creatus erat, ad quem clamaverat voce sua, ad

---

[1] Enar. in Ps. 39, nn. 7, 8.

illum esse fecerat ipsam vocem suam: vox mea, inquit, ad Deum.

Et nunquid sine causa? Vide quid sequitur: et attendit mihi. Vere tunc tibi attendit, quando ipsum quaeris, non quando per ipsum aliud quaeris.

Dictum est de quibusdam: *clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos* (Ps. 17, 42). Quare? Quia vox eorum non ad Dominum. Exprimit hoc alio loco Scriptura, ubi dicit de talibus: *Dominum non invocaverunt* (Ps. 13, 5). Ad illum clamare non cessaverunt, et tamen Dominum non invocaverunt.

Quid est Dominum non invocaverunt? Dominum in se non vocaverunt, ad cor suum Dominum non invitaverunt, a Domino se habitari noluerunt.

Et ideo quid eis contigit? *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Ideo de rerum praesentium amissione tremuerunt, quoniam non erant pleni illo, quem non invocaverunt. Non gratis amaverunt, ut amissis temporalibus rebus possent dicere: *sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum* (Job. I, 21). Ergo iste, vox mea, inquit, ad Dominum et attendit mihi, docet nos quomodo id fit. [1]

Deum non invocaverunt (Ps. 52, 6). Consolatur gementem, et maxime ex commemoratione, ne imitando malos qui plerumque prosperantur, delectet fieri malum. Servatur tibi quod tibi promissum est: spes illorum praesens est; sed illorum fluxa, tua certa; illorum falsa, tua vera. Illi enim Deum non invocaverunt.

Nonne cotidie tales rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite, si possum hoc dicere adjuvante ipso Deo. Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est,

---

[1] Enar. in Ps. 76, n. 2.

caste amari: non propterea se amari, quia dat aliquid praeter se, sed quia dat se.

Qui ergo invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat: hoc enim invocat quod ad se vult venire. Quid enim est invocare, nisi vocare in se? In se ergo vocare, hoc dicitur invocare. Nam cum dicis, Deus, da mihi divitias, non vis ut ipse Deus ad te veniat, sed vis ut divitiae veniant ad te. Quod vis ut ad te veniat, hoc invocas. Si autem Deum invocares, ipse ad te veniret, ipse esset divitiae tuae. Nunc autem vis habere arcam plenam, et inanen conscientiam: Deus non implet arcam, sed pectus.

Quid tibi prosunt exteriores divitiae, si te interior premit egestas? Ergo isti qui propter saecularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam praesentem et terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum [1].

133.—Audi et quid ores, unde me maxime consulendum putasti, quoniam te permovet quod ait Apostolus: *quid enim oremus sicut oportet nescimus* (Rom. VIII, 26): et timuisti ne magis tibi obsit, non sicut oportet orare, quam non orare.

Quod itaque dici breviter potest. Ora beatam vitam. Hanc enim habere omnes homines volunt. Nam et qui pessime et perdite vivunt, nullo modo ita viverent, nisi eodem modo se esse vel posse fieri beatos putarent. Quid ergo aliud oportet te orare, nisi id quod cupiunt et mali et boni?

Hic fortasse jam quaeras, quid sit ipsa beata vita. In qua quaestione multorum philosophorum ingenia

---

[1] Enar. in Ps. 52, n. 8.

otiaque contrita sunt, qui tamen eam tanto minus invenire potuerunt, quanto minus ejus fontem honoraverunt, eique gratias non egerunt.

Prius itaque attende, utrum acquiescendum sit eis, qui dicunt eum beatum esse, qui secundum suam vivit voluntatem.

Sed absit ut hoc verum esse credamus. Quid si enim nequiter velit vivere? Nonne tanto miserior esse convincitur, quanto felicius mala ejus voluntas impletur? Merito hanc sententiam etiam ipsi, qui sine cultu Dei philosophati sunt, respuerunt. Nam quidam eorum vir eloquentissimus ait: ecce autem alii non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes ajunt esse beatos qui vivant ut ipsi velint. Falsum id quidem. Velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum; nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat (Cic. in Hortens.).

Quid tibi videtur? Haec verba nonne ab ipsa veritate per quemlibet hominem dicta sunt? Possumus ergo hic dicere quod Apostolus ait de quodam propheta cretensi, cum ejus illi sententia placuisset: *testimonium hoc verum est* (Tit. I, 13).

Alii dicunt beatum, qui omnia quae vult habet, nec aliquid vult, quod non decet.

Alii optant sibi ac suis honores et potestates. Sane, si ut per hoc consulant eis, qui vivunt sub eis, non propter haec ipsa, sed propter aliud quod inde fit bonum, decet ea velle; si autem propter inanen fastum elationis pompamque superfluam vel etiam noxiam vanitatis, non decet. Quocirca si optant sibi ac suis etiam sufficientiam rerum necessariarum, de qua sic Apostolus loquitur: *est autem quaestus magnus pietas cum sufficien-*

tia (I Tim. VI, 6, sq.); hanc sufficientiam non indecenter vult, quisquis vult, nec amplius vult; alioquin non ipsam vult, et ideo nec decenter vult.

Hanc optabat et pro hac orabat, qui dicebat, *divitias et paupertatem ne dederis mihi: constitue autem mihi quae necessaria sunt sufficienter, ut ne satiatus mendax efficiar et dicam, quis me videt; aut pauper factus furer, et perjurem nomen Dei mei* (Prov. XXX, 8).

Vides certe et istam sufficientiam non appeti propter se ipsam, sed propter salutem corporis, et congruentem habitum personae hominis, quo habitu non sit inconveniens eis, cum quibus honeste officioseque vivendum est.

In his itaque omnibus incolumitas hominis et amicitia propter se ipsa appetuntur; sufficientia vero rerum necessariarum non propter seipsam, sed propter duo superiora quaeri solet, cum decenter quaeritur. Incolumitas porro in ipsa vita ac salute atque integritate animi et corporis constituta est. Itemque amicitia non angustis finibus terminanda est; omnes enim, quibus amor et dilectio debetur, amplectitur, quamvis in alios propensius, in alios suspensius inclinetur: pervenit autem usque ad inimicos, pro quibus etiam orare praecipimur. Ita nemo est in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua caritate, pro ipsa tamen communis naturae societate debeatur.

Sed ii nos multum justeque delectant, a quibus vicissim sancte casteque diligimur. Ista cum habentur ut teneantur, cum autem non habentur ut habeantur, orandum est.

Hoccine totum, et haec sunt omnia quibus beatae summa vitae colligitur, an aliquid aliud veritas docet

quod his omnibus praeferatur? Nam et illa sufficientia, et ipsa incolumitas vel propria vel amicorum, quandiu temporalis est, pro aeternae vitae adeptione abjicienda est; quamquam fortasse corpus, animus vero nullo modo sanus existimandus est, qui non temporalibus aeterna praeponit. Neque enim in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum quo in aeternitate vivatur.

Ad illam ergo unam vitam, quam cum Deo et de Deo vivitur, cetera quae utiliter et decenter optantur, sine dubio referenda sunt. In eo quippe nos metipsos diligimus, si Deum diligimus; et ex alio praecepto proximos nostros sicut nos metipsos ita vere diligimus, si eos ad Dei similem dilectionem, quantum in nobis est, perducamus. Deum igitur diligimus propter se ipsum, et nos ac proximum propter ipsum: nec cum ita vivimus, jam nos in ipsa beata vita constitutos existimemus, quasi nihil sit amplius quod oremus. Quomodo enim jam beate vivimus, cum illud adhuc desit, propter quod unum bene vivimus?

Ut quid ergo per multa dispergimur, et quaerimus quid oremus, timentes ne forte sicut non oportet oremus, ac non potius cum psalmo dicimus: *unam petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnes dies vitae meae; ut contempler delectationem Dei, et visitem templum ejus* (Ps. 26, 4)?

Ibi namque omnes dies non veniendo et transeundo fiunt omnes, nec initium alterius est finis alterius, omnes sine fine simul sunt, ubi nec ipsa vita habet finem, cujus illi dies sunt. Propter hanc adipiscendam vitam beatam ipsa vera Vita beata nos orare docuit [1].

In oratione nobis verba necessaria sunt, quibus com-

---

1 Epist. 130 ad Probam. nn. 9-15.

moneamur, et inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum seu docendum seu flectendum esse credamus. Oratio dominicalis omnia continet, quae petere possumus.

Nam quaelibet alia verba dicamus, quae affectus orantis vel praecedendo format, ut clareat, vel consequendo attendit, ut crescat, nihil aliud dicimus quam quod in ista dominica Oratione positum est, si recte et congruenter oramus.

Unde liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere; sed non debet esse liberum alia dicere.

Haec et pro nobis et pro nostris: et pro alienis, atque pro inimicis ipsis sine fluctu dubitationis oranda sunt: quamvis alius pro isto, alius pro illo, sicut se habent propinquitates vel longinquitates necessitudinum in corde orantis oriatur aut excellat affectus. Qui autem dicit in oratione, verbi gratia: *Domine, multiplica divitias meas,* aut, da mihi tantas quantas illi vel illi dedisti, aut, honores meos auge, fac me in hoc saeculo praepotentem atque clarentem, vel si quid hujusmodi est: et haec dicit, eorum habens concupiscentiam, non id attendens, ut ex his secundum Deum prosit hominibus: arbitror eum non invenire in Oratione dominica, quo possit haec vota coaptare. Quamobrem pudeat saltem petere quae non pudet cupere: aut si et hoc pudet, sed cupiditas vincit, quanto melius hoc petitur, ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus: *Libera nos a malo.*

Habes quantum arbitror, non solum qualis ores, verum etiam quid ores: non me docente, sed illo qui omnes nos docere dignatus est.

Beata vita quaerenda est, haec a Domino petenda est. Quid sit beatum esse, a multis multa sunt disputata, sed nos ad multos et ad multa ut quid imus? Breviter in Scriptura Dei veraciterque dictum est, *beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius* (Ps. 143, 15). In ipso populo ut simus, atque ad eum contemplandum et cum eo sine fine vivendum pervenire possimus: *finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta* (I, Tim. 1, 5).

In eisdem tribus, pro conscientia bona spes posita est.

Fides ergo et spes et caritas ad Deum perducunt orantem, hoc est, credentem, sperantem, desiderantem, et quae petat a Domino in dominica Oratione considerantem.

Jejunia et ab aliis voluptatibus sine salutis neglectu carnalis concupiscentiae refrenatio, maximeque eleemosynae multum adjuvant orationem, ut possimus dicere: *in die tribulationis meae Deum exquisivi manibus meis, nocte coram eo, et non sum deceptus* (Ps. 76, 3) [1].

Quisquis autem illam unam petit a Domino, et hanc requirit, certus ac securus petit, nec timet ne forte obsit cum acceperit, sine qua nihil prodest quidquid aliud orando sicut oportet, acceperit. Ipsa est enim una vera et sola beata vita, ut contemplemur Domini delectationem in aeternum, immortales atque incorruptibiles corpore et spiritu. Propter hanc unam cetera requiruntur, et non indecenter petuntur. Istam quisquis habuerit, omnia quae vult habebit, nec aliquid ibi velle habere poterit, quod non decebit.

Ibi quippe est fons vitae, quem sitire nunc oportet in oratione, quandiu in spe vivimus, et quod speramus

---

[1] Epist. 130 ad Probam, nn. 21-24.

nondum videmus, in protectione alarum ejus, ante quem est omne desiderium nostrum, ut inebriemur ab ubertate domus ejus et torrente voluptatis ejus potemur (Ps. 35, 9); quoniam apud eum est fons vitae, et in lumine ejus videbimus lumen; quando satiabitur in bonis desiderium nostrum, et nihil erit ultra quod gemendo quaeramus, sed quod gaudendo teneamus.

Verumtamen quia ipsa est pax, quae praecellit omnem intellectum, etiam ipsam in oratione poscendo, quid oremus sicut oportet nescimus. Quod enim sicuti est, cogitare non possumus, utique nescimus; sed quidquid cogitanti ocurrerit, abjicimus, respuimus, improbamus, non hoc esse quod quaerimus novimus, quamvis, illud nondum quale sit, noverimus [1].

134.—*In quacumque die invocavero te, cito exaudi me.* Quare cito? Quia tu dixisti: *adhuc loquente te, dicam: ecce adsum* (Is. LVIII, 9). Quare cito? Quia jam non peto felicitatem terrenam, didici sanctum desiderium de novo Testamento. Non peto terram, non fecunditatem carnalem, non salutem temporalem, non inimicorum subjectionem, non divitias, non honores, nihil horum peto; ideo cito exaudi me. Quia docuisti quid petam, da quod peto. Dicamus huic, tale aliquid petis? Audiamus nos, eructet petitionem suam, et videamus quid petat; et discamus per eum petere, ut mereamur accipere.

Veneras ad ecclesiam, nescio quid hodie petiturus. Quid putamus veneras petiturus? Veneras cum desiderio tuo, nescio quo, utinam innocenti, etsi carnali. Sed remove iniquitatem, remove carnalitatem; disce quid petas, quid hodie celebres attende. Natalitium sanctae

[1] Epist. 130 ad Prob. n. 27.

et beatae feminae celebras, et forte felicitatem terrenam desideras. Illa propter desiderium sanctum dimisit felicitatem, quam habebat in terra: dimisit filios flentes et tamquam crudelem matrem dolentes, quia velut perdiderat humanam misericordiam, quae ad divinam festinabat coronam [1]. Nesciebat vero illa quid desideraret, quid calcaret? Imo vero noverat psallere coram angelis Dei, eorumque desiderare consortium, amicitiam sanctam et puram, ubi ulterius non moreretur, ubi judicem nosset apud quem non valere posset mendacium.

Quid ergo, in illa vita nulla sunt bona? Imo vero ibi sola sunt bona, non malis mixta bona, securitâtes in quibus gaudeas quantum vis, et nemo dicat tibi, tempera te. Hic autem de bonis terrenis gaudere molestum est, et periculosum nimis; ne sic gaudeas ut haereas, et gaudendo male pereas. Nam unde Deus miscet tribulationes gaudiis terrenis, nisi ut tribulationes sentientes et amaritudinem, discamus aeternam desiderare dulcedinem?

Quid ergo petit videamus, quo merito dixerit, cito exaudi me. Quid enim petis, ut cito exaudiaris? Multiplicabis me. Multis modis multiplicatio intelligi potest.

Est multiplicatio terrenae generationis secundum primam naturae nostrae benedictionem, quam audivimus: *crescite et multiplicamini et replete terram, et dominamini ejus* (Gen. I, 28). Sic ne ille volebat multiplicari, qui

[1] Loquitur hic noster Doctor de sancta Crispina martyre, de qua paulo antea dixerat; gaudet iniquus in propina, gaudet martyr in catena, quomodo gaudebat sancta ista Crispina, cujus hodie solemnitas celebratur. Gaudebat cum tenebatur, cum ad judicem ducebatur, cum in carcere mittebatur, cum ligata producebatur, cum in catasta levabatur, cum audiebatur, cum damnabatur: in his omnibus gaudebat, et eam miseri miseram putabant, quae coram angelis gaudebat (ib. n. 3). Agit etiam de eadem sancta in Serm. in Psalmum CXX, ad populum habito.

dicebat, cito exaudi me? Et ista plane multiplicatio fructuosa est, et non venit nisi de benedictione Domini.

Jam quid dicam de aliis multiplicationibus? Multiplicatus est ille auro, ille argento, ille pecore, ille familia, ille possessionibus, ille his omnibus.

Multae sunt terrenae multiplicationes, felicior autem filiorum, quamquam hominibus avaris etiam ipsa fecunditas molesta est. Timent enim ne pauperes relinquantur, qui multi nasci potuerunt.

Quae sollicitudo plerosque ad impietatem coegit, ut obliviscerentur quod parentes essent, omnique humanitatis affectu expoliati, exponerent filios suos, ut eos facerent alienos; projicerit, quae peperit, colligeret, quae non peperit; illa contemneret, illa diligeret; illa frustra mater carne, illa verior voluntate.

Cum ergo sint multae multiplicationes, et multa genera multiplicationum, quam multiplicationem quaerit qui dixit, cito exaudi me? Audi ergo: multiplicabis me in anima mea virtute. Expressum votum, expressum desiderium ab omni confusione circumcisum. Nihil est quod amplius a Deo desideres, si vis bona et vera fronte dicere, cito exaudi me [1].

135.—Petenda etiam bona interiora. *Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino,* id est, recte vivite, et sperate donum Spiritus sancti, ut vos veritas, cui credidistis, illustret.

Sed tamen sperate in Domino, clause adhuc dictum est.

Sperantur autem quae, nisi bona? Sed quia unusquisque id bonum vult a Deo impetrare quod diligit, nec

---

[1] Enar. in Ps. 137, nn. 7, 8.

facile inveniuntur qui diligant bona interiora, id est, ad interiorem hominem pertinentia, quae sola diligenda sunt, ceteris autem ad necessitatem utendum, non ad gaudium perfruendum: admirabiliter, cum dixisset sperate in Domino, subjecit; *multi dicunt, quis ostendit nobis bona*? Qui sermo et quae interrogatio cotidiana est omnium stultorum et iniquorum, sive pacem et tranquillitatem vitae saecularis desiderantium, et propter perversitatem generis humani non invenientium, et perversitatem vitae saecularis desiderantium, et propter perversitatem generis humani non invenientium; qui etiam caeci accusare audent ordinem rerum, cum involuti meritis suis putant tempora esse pejora quam praeterita fuerunt: sive de ipsa futura vita, quae nobis promittitur, dubitantium vel desperantium, qui sepe dicunt: quis novit si vera sunt, aut quis venit ab inferis, ut ista nuntiaret?

Magnifice igitur et breviter, sed intrinsecus videntibus ostendit quae bona quaerenda sint, respondens illorum interrogationi, qui dicunt, quis ostendit nobis bona. *Signatum est*, inquit, *in nobis lumen vultus tui, Domine* (Ps. 4, 7). Hoc lumen est totum hominis et verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur.

Signatum autem dixit in nobis, tamquam denarius signatur regis imagine. *Homo enim factus est ad imaginem et similitudinem Dei* (Gen. I, 26), quam peccando corrupit: bonum ergo ejus est verum atque aeternum, si renascendo signetur. Et ad hoc credo pertinere, quod quidam prudenter intelligunt, illud quod Dominus, viso Caesaris nummo, ait: *Reddite Caesari quod Caesaris est, et Deo quod Dei est* (Mt. XXII, 21). Tamquam si diceret: quemadmodum Caesar a vobis exigit impressionem imaginis suae, sic et Deus: ut quemadmodum illi redditur

nummus, sic Deo anima lumine vultus ejus illustrata atque signata.

Dedisti laetitiam in cor meum. Non ergo foris quaerenda est laetitia, ab his qui adhuc graves corde diligunt vanitatem, et quaerunt mendacium: sed intus ubi signatum est lumen vultus Dei. *In interiore enim homine habitat Christus* (Ephes. III, 17), ut ait Apostolus; ad ipsum enim pertinet videre veritatem, cum ille dixerit: *Ego sum veritas* (Jo. XIV, 6). Et cum loquebatur in Apostolo dicente: *an vultis experimentum ejus accipere qui in me loquitur Christus* (II, Cor. XIII, 3) non ei foris utique, sed in ipso corde, id est in illo cubili ubi orandun est, loquitur [1].

136.—Bona temporalia dantur et bonis et malis. Judaeis ea jubentur in Decalogo legis quae et nobis, sed non ea promittuntur quae nobis. Nobis quid promittitur? Vita aeterna. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Jo. XVII, 3). Cognitio Dei promittitur, ipsa est gratia pro gratia. Modo credimus, non videmus; pro ista fide praemium erit videre quod credimus.

Noverant hoc prophetae, sed occultum erat antequam veniret. Nam quidam suspirans amator in Psalmis ait: *unam petii a Domino, hanc requiram* (Ps. 26, 4). Et quaeris quid petat. Ardet enim amore, et multum suspirat, et aestuat, et anhelat. Requirit ut inhabitet in domo Domini per omnes dies vitae suae.

Fratres mei, unde clamatis, unde exultatis, unde amatis nisi quia ibi est scintilla hujus caritatis? Quid desideratis, rogo vos? Videri potest oculis, tangi potest, pulchritudo aliqua est quae oculos delectat? Nonne mar-

[1] Enar. in Ps. 4, nn. 6, 7.

tyres amati sunt vehementer, et quando eos commemoramus, inardescimus amore? Quid in illis amamus, fratres? Membra laniata a feris? Quid foedius, si oculos carnis interroges; quid pulchrius, si oculos cordis interroges? Quia justus est, amas, amplecteris.

Talia nobis praemia promissa sunt, fratres mei: tale aliquid amate, tali regno suspirate, talem patriam desiderate, si vultis pervenire ad id, cum quo venit Dominus noster, id est ad gratiam et veritatem.

Si autem corporalia praemia concupieris a Deo, adhuc sub lege es, et ideo ipsam legem non implebis. Quando enim videris abundare ista temporalia in eis qui Deum offendunt, nutant gressus tui, et dicis tibi: ecce ego colo Deum, cotidie ad ecclesiam curro, genua mihi trita sunt in orationibus, et assidue aegroto; homicidia faciunt homines, rapinas faciunt, exultant et abundant, bene est illis.

Talia ergo quaerebas a Deo? Certe ad gratiam pertinebas. Si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia gratis dedit, gratis ama. Noli ad praemium diligere Deum, ipse sit praemium tuum. Dicat anima tua, unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitae meae, ut contempler delectationem Domini.

Noli timere, ne fastidio deficias; talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi praesens sit, et numquam satieris; imo semper satieris, et numquam satieris. Si enim dixero, quia non satiaberis, fames erit; si dixero, quia satiaberis, fastidium timeo: ubi nec fastidium erit, nec fames, quid dicam nescio, sed Deus habet quod exhibeat non invenientibus quomodo dicant, et credentibus quod accipiant [1].

---

[1] In Jo. Evang. Tract. 3, nn. 20, 21.

Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt. Quisquis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo; quia omnia quae in mundo sunt, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi, quae non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in aeternum, sicut et Deus manet in aeternum (I Jo. 15, 16).

Cupiditas extirpetur, caritas plantetur. De ista arbore quidquid exit, bonum est. Cupiditas nihil boni potest generare, caritas nihil mali.

Beatus vir qui post aurum non abiit (Eccli. XXXI, 8). Post te debet ire aurum, non tu post aurum. Ecce aurum pono inter bonum hominem et malum. Tollat malus: inopes opprimuntur, judices corrumpuntur leges pervertuntur, res humanae perturbantur. Quare hoc? Quia aurum tulit malus.

Tollat bonus: pauperes pascuntur, nudi vestiuntur, oppressi liberantur, captivi redimuntur. Quanta bona de auro, quod habet bonus; quanta mala de auro, quod habet malus! Ut quid ergo dicitis aliquando stomachati, o si non esset ipsum aurum! Tu noli amare aurum: si malus es, is post aurum: si bonus es, it post te. Quid est it post te? Tu ducis, non duceris, quia possides, non possideris.

Non faciunt bonos mores, nisi boni amores. Tollatur aurum de rebus humanis: imo adsit aurum, ut probet res humanas.

Praecidatur lingua humana propter Dei blasphematores, et unde erunt Dei laudatores? Quid tibi fecit lingua? Sit qui bene cantet, et bonum est organum. Da mentem bonam ad linguam: bona dicuntur, discordes concordantur, lugentes consolantur, luxuriosi corripiun-

tur, iracundi refrenantur, Deus laudatur, Christus commendatur, mens ad amorem inflammatur, sed divinum non humanum, spiritalem, non carnalem. Haec bona facit lingua. Quare? Quia bona est mens quae utitur lingua.

Da malum hominem ad linguam: erunt blasphematores, litigatores, calumniatores, delatores. Omnia mala de lingua, quia malus est, qui utitur lingua.

Non tollantur res de rebus humanis: sint res, et adsit usus rerum bonarum. Alia enim sunt bona, quae non sunt nisi in bonis; et alia sunt bona, quae sunt communia bonis et malis.

Bona quae non sunt nisi in bonis, pietas, fides, justitia, castitas, prudentia, modestia, caritas, et cetera hujusmodi. Bona quae sunt communia bonis et malis, pecunia, honor, hujus saeculi potestas, administratio, salus ipsa corporis. Et haec bona sunt, sed bonos quaerunt.

Jam hic murmurator ille, qui quaerit semper quod reprehendat, et hoc in Deo; qui utinam ad se rediret, se videret, se reprehenderet, se corrigeret: ille ergo reprehensor et argumentator mox mihi objecturus est in Deo. Et quare Deus, qui omnia gubernat, bona ista dat malis? Non illa daret nisi bonis.

Expectas a me audire consilium Dei? Quis, a quo, et quid? Tamen secundum meum, quantum capio, quantum donare dignatur, indico tibi, quod fortasse non sufficiat tibi, sed est hic aliquis cui sufficiat. Ergo cantem: non enim vere in ista tanta multitudine poterit mihi deesse qui saltet. Ecce audi, sapiens, sed a contrario: audi. Quod ista bona dat Deus et malis, si velis intelligere, eruditio tua est, non perversitas Dei.

Adhuc scio te non intellexisse quod dixi: audi ergo quod dicebam, ille cui dicebam, qui reprehendis Deum et accusas Deum, quia bona ista terrena et temporalia dat etiam hominibus malis, quae secundum sensum tuum putas non dare debuisse nisi solis bonis. Hinc enim est unde quibusdam subrepsit lethalis impietas, ut omnino credant Deum non aspicere res humanas.

Dicunt enim et disputant: nunquid, si Deus res humanas attenderet, haberet ille divitias, haberet ille honores, haberet ille potestatem? Non curat Deus res humanas; nam si curaret, ista solis bonis daret.

Redi ad cor, et inde ad Deum. De proximo enim redis ad Deum, si redieris ad cor tuum. Nam quando te ista offendunt, existi et a te: exul factus es pectoris tui. Moveris rebus quae sunt foris a te, et perdis te. Tu intus es, ista foris adjacent, foris bona sunt, sed foris sunt. Aurum, argentum, omnis pecunia, vestis, clientela, familia, pecora, honores, foris sunt.

Si ista bona infima, bona terrena, bona temporalia, bona transitoria, non darentur et malis, magna crederentur a bonis. Ergo Deus qui dat malis ista bona, te docet concupiscere meliora.

Ecce dico, ista moderatione rerum humanarum quodam modo te alloquitur Deus Pater tuus, et quasi puerum desipientem docet his verbis, quae, sicut possum, profero ad te tanto fidentius, quanto magis ille dignatur manere in me.

Constitue tibi dicere Deum, qui te renovavit et adoptavit: O fili, quid est quod cotidie surgis, et oras, et genu figis, et fronte terras percutis, et aliquando etiam lacrimaris, et dicis mihi: Pater meus, Deus meus, da mihi divitias?

Si dem tibi, aliquid boni te putas et magni adeptum. Quia petisti, accepisti: ecce fac inde bene. Antequam haberes, humilis eras; habere divitias coepisti, et pauperes contempsisti. Quale bonum est, unde pejor factus es? Pejor factus es, quia malus eras; et quid te pejorem posset facere nesciebas, ideo haec a me petebas. Dedi et probavi; invenisti, et inventus es. Latebas quando non habebas. Corrigere, evome cupiditatem, bibe caritatem.

Quid est magnum quod a me petis, dicit tibi Deus tuus. Non vides quibus ea dederim, non vides qualibus ea dederim? Si magnum bonum esset, quod a me petis, haberet hoc latro, haberet hoc perfidus, haberet hoc blasphemator meus, haberet hoc infamis mimus, haberet meretrix impudica? Hi omnes haberent aurum, si magnum bonum esset aurum?

Sed dicis mihi: non est ergo bonum aurum? Imo bonum est aurum. Sed mala faciunt de bono auro mali: bona faciunt de bono auro boni. Quia ergo vides quibus ea dederim, meliora pete a me, majora pete a me, spiritualia pete a me, ipsum me pete a me.

Sed mala, inquis, fiunt in mundo, aspera, immunda, odiosa. Ecce talis est, et sic amatur. Ruinosa est domus, et piget migrare.

Matres sive nutrices, ne pueri multum sugant, ubi eos grandescere viderint, et non jam decere ut lacte nutriantur, illos tamen moleste mammis inhiare, circumlinunt papillas suas aliqua amaritudine, qua offensus parvulus lac ulterius non requirat. Quid ergo adhuc tam delectabiliter sugitur, si amarus tibi factus est mundus? Implevit Deus amaritudinibus mundum; et inhias tu, incumbis tu, sugis tu; non nisi inde et inde voluptatem capis.

Quandiu? Quid si dulcis esset, quomodo amaretur? Offendunt te ista, elige aliam vitam. Ama Deum, contemne ista. Despice res humanas, quandocumque hinc iturus; non enim hic futurus semper. Et tamen sic, quomodo malus est, quomodo amarus est mundus, quomodo plenus est calamitatibus mundus, si dictum tibi esset a Deo quod semper hic esses, laetitia te non caperes, exultares, gratias ageres. Unde? Quia miseriam non finires. Ipsa est major infelicitas, quae se amari cogit. Minor esset, si non amaretur: tanto pejor est, quanto plus amatur.

Est alia vita, fratres mei; est post hanc vitam alia vita, credite. Ad eam vos praeparate, praesentia cuncta contemnite. Si habetis, bene inde facite; si non habetis, nolite cupiditate inardescere. Migrate, transferte ante vos: quod hic habetis, illuc eat quo securi eritis.

Audite consilium Domini vestri: *ne thesaurizetis vobis in terra, ubi tinea et aerugo exterminant et ubi fures effodiunt et furantur; sed thesaurizate vobis thesaurum in caelo, quo fur non accedit, quo tinea non corrumpit. Ubi est enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (Mt. VI, 19, 20).

Audis cotidie homo fidelis, sursum cor: et quasi contrarium audias, tu mergis in terra cor tuum. Migrate. Habetis unde? Facite bene. Non habetis unde? Adversus Deum nolite murmurare. Audite me, o pauperes: quid non habetis, si Deum habetis? Audite me, o divites: quid habetis, si Deum non habetis? [1].

---

[1] Serm. 311 in Natali S. Cypriani M. nn. 6-15. Cf. etiam Enar. I in Ps. 36, serm. I, nn. 3 sq. ubi haec doctrina iterum pulcherrime traditur.

APPENDIX AD CAPUT VII

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 137-138. *Petenda quae justa sunt. Non bona materialia. Omnium bonorum dispensatio Deo committenda.*

137.—Petenda quae justa sunt. *Justum adjutorium meum a Domino* (Ps. 7, 11). Jure ac merito mihi continget a Deo; nihil enim peto injustum.

Quare si supernum auxilium impetrare volumus, ea sunt petenda, quae etiam justi habent rationem: ut natura petitionis attrahamus auxilium ejus, qui servat rectos corde. Hoc est ejus officium, haec est ei consuetudo.

Quoniam ergo nec ego cum injuria provocavi, nec ulcisci desidero, propterea justum fuerit a Deo auxilium. Haec ergo cum sciamus, nihil petamus ejusmodi, quod vetet donationem.

Quando enim contra inimicos petiveris, non est justum quod petis auxilium; est enim contrarium legi ejus, qui praebet. Itidem etiam quando divitias, quando pulchritudinem, quando aliquid aliud quod ad hanc vitam pertinet, quod praeterfluit, petiveris, id est contrarium philosophiae animae. Petamus ergo ut etiam consequamur [1].

Domine exaudi orationem meam (Ps. 142, 1). Est quidem προσευχή, et precatio quae fit per verba, et est etiam promissum seu votum. Quocirca suadet etiam quidam sapiens, dicens, *ne iteraberis verbum in oratione tua* (Eccli. VII, 15). Non autem hortatur et suadet ut non eadem bis dicamus, cum Deum rogamus et precamur, absit; jubemur enim perseverare in orationibus, sed ne differamus, quando Deo aliquid fuerimus polliciti, et id solvere properemus. Et ideo dicit alibi, *ne differas reddere votum* (Eccle. V, 3). Futurum enim est incertum. Vel enim morbus, vel quae praeter opinionem accidunt negotia, prohibuerint.

---

[1] Exposit. in Ps. 7, n. 10.

Quod si enim mors adveniens te interruperit, non dabitur tibi venia.

Orationem autem dicit precationem et supplicationem; et ideo subjunxit hoc ipsum significans, *auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua.* Hoc est, annue petitioni, et fac ut ea effectum consequatur, tua veritate confirmans: utere tua potentia ad ea implenda quae peto. Sed videamus cujusmodi sit postulatio. Apud homines, quando quis offert supplicationem, hoc considerant, qui eam suscipiunt, et si justa sit ac legitima, auditur.

Sed apud homines quidem pro honoribus, dignitatibus, et pecuniis fit supplicatio, sepe etiam ut prohibeatur injuria: alii autem ea petunt quae sunt majora, quam ut fieri possint a judicibus: nos autem supplicamus pro peccatorum condonatione, et tunc venimus ad supplicationem, quando internus judex non remiserit, conscientia, inquam, nostra, quae nos urget ac vexat. Neque enim in ejus potestate situm est remittere.

Et quemadmodum ad Imperatorem nemo pro veste discissa, nec pro decem obolis ereptis audet accedere; ita etiam tu, atque adeo longe amplius, cave ne ad Deum accedas pro rebus vilibus et nihili, ut verbi gratia, si quis tibi in pecunia tibi fecerit injuriam, aut si quis affecerit te contumelia; sed in iis in quibus diabolus te injuria afficit, tum superno maxime auxilio opus est.

At non habes qui tui curam gerat, et tuam supplicationem offerat? Cum rex procedit, eum alloquere, et quaere tempus opportunum. Quando ergo procedit Rex? Semper et perpetuo. Quando est autem tempus opportunum? Quando tu volueris, quando, ut dignus sis, te ipsum praeparaveris.

Jubebantur quidem judaei in valle subsistere, cum Deo apparerent, et albas vestes induere, et cum uxore rem non habere (Ex. XIX): tu autem animam emunda pro vestibus, et cum moderatione, mansuetudine, et summa quiete accede, et ad Regem proficiscere, si vis vere quod petis impetrare. Non eget multis sumptibus peregrinatio, accipe virtutem viaticum.

Et ubinam agit hic Rex? Prope eos qui corde sunt contrito. Illa via ingredere. *Prope est Dominus omnibus qui ipsum in-*

vocant in veritate (Ps. 144, 18). Illic enim invenies, illic alloqueris. Est prope eos, qui panem frangunt esurientibus, et erogant eleemosynam. Si hac via veneris, invenies eum paratum, annuentem tuae petitioni. *Te enim adhuc loquente dicam, ecce adsum* (Is. LVIII, 9): nec opus erit intercessore, sed per te ipsum quod petis, assequeris [1].

Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum. Ubi gratiam accepero, tunc, inquit, mea offeram, hoc tibi sacrificium offeram. Adorabo ad templum sanctum tuum. Non sicut multi qui orant, sese scalpentes, hiantes, torpescentes, sed cum timore, inquit, et tremore. Qui enim sic orat, omne vitium deponit, ad omnem virtutem deducitur, Deum sibi reddit propitium.

Domine, deduc me in justitia tua propter inimicos meos. Dixit laudes Dei, dixit in malos odium, benignitatem, clementiam, sollicitudinem, dixit suam salutem, dixit quomodo servata sit, dixit postquam servata fuit, quaenam attulerit; vitia aversata est, ad virtutem deduxit: iis etiam qui male vivunt, bonam spem dedit, si voluerint converti, ut qui possint misericordiam consequi; convertit sermonem ad petitionem, quae deinceps docet: *Domine, deduc me in justitia tua*; per haec docens auditorem prius hymnos Deo offerre, et pro beneficiis acceptis gratias agere; et tunc quae vult petere, et pro iis quae acceperit rursus agere gratias.

Sed videamus quaenam ea sunt quae petit. Num aliquid eorum quae ad hanc vitam pertinent? numquid temporale ac momentaneum? numquid eorum quae praeterfluunt? Num de divitiis loquitur, num de gloria, num de potentia? num de ulciscendis inimicis? Nihil horum.

Sed quid? *Deduc, Domine in justitia tua propter inimicos meos.* Vides quomodo nihil petit fluxum et caducum, et quomodo supernum rogat auxilium? Qui enim ea via ingrediuntur, eo maxime auxilio indigent. Justitiam autem hic dicit universam virtutem. Et recte dicitur in tua justitia. Est enim etiam hominum justitia, quae ex externis legibus proficiscitur, sed vilis, et quae nihil habet perfectum et ab-

---

1 Exposit. in Ps. 142, n. 2.

solutum, et constat ex humanis cogitationibus. Ego autem tuam peto justitiam, quae a te delata est, quae ducit in caelum; et auxilium, ut hanc justitiam mihi conciliet [1].

138.—Omnium bonorum dispensatio Deo committenda. *Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici, putant enim quod in multiloquio exaudientur* (Mt. VI, 7): multiloquium vocans futilitatem, multitudine verborum redundantem, utilitateque carentem.

Subindicat igitur Dominus, dum multiloquium prohibet, non oportere eos, qui precantur, fluxa et corruptibilia postulare: non corporis pulchritudinem, quae tempore marcescit, et morbo labefactatur, demumque morte deletur. Talis namque est corporis pulchritudo, flos minime diuturnus, qui pauxillum in juventutis vere floret, sed brevi temporis decursu corrumpitur.

Non pecuniarum facultates, quae aquarum instar fluvialium influunt et defluunt, et nunc ad illum, nunc ad alium transiliunt: quae possessorem fugiunt, et apud se diligentes manere recusant, insidiatores vero multos habent, tineas, fures, sycophantas, incendia, naufragia, bellorum incursus, populorum seditiones, domesticorum nequitias, chirographorum amissiones, vel additiones, imminutiones, aliaque multa, quae pecuniarum amantes invadunt detrimenta.

Non dignitatum potentiam, quae et ipsa multa parit incommoda, sollicitudinum tabem, insomnia frequentia, invidorum insidias, inimicorum machinamenta, subdolam rethorum argutiam, quae compositis verbis veritatem circumvenit, judicibusque ipsis magnum periculum creat.

Sunt enim, sunt revera multiloqui viri multi, et futilibus instructi verbis, qui haec et similia a Deo universorum postulant, eorumque, quae vere sunt bona, nullam rationem habent. Atqui medicum medicamentorum usum non aegroti docent, sed hi, quantumvis durus molestusque sit curationis modus, quae ab illo offeruntur sustinet.

Itemque gubernatorem non vectores jubent hoc illove modo clavum tenere, et navim dirigere; sed in tabulatis se-

[1] Exposit. in 5, n. 4.

dentes, illius peritiae, non modo secundis ventis, sed etiam extremo ingruente periculo sese committunt.

Uni tantum Deo, qui quae nobis utilia opportunaque sunt accurate novit, illi male feriati homines cedere nesciunt, sed perniciosa quasi utilia postulant, perinde atque aegrotus, qui a medico petit, non ea quae morbum depellant, sed quae materiam illam morbi matrem alant.

Verum medicus infirmi preces non admittit, sed etiamsi lacrimantem ingementemque videat, artis praeceptis obtemperabit potius, quam illius flectatur lacrimis; tumque medici inobsequentiam, non inhumanitatem, sed humanitatem vocamus. Contra vero si aegroto morem gerat, ejusque voluptati obsequatur, hostiliter cum illo agit; sin renitatur, ejusque cupiditatem oppugnet, misericordia atque clementia utitur.

Sic animarum nostrarum Medicus, quae noxia futura sunt, petentibus numquam dederit. Neque enim patres prolis amantes filiis adhuc tenellis gladios aut ignitos carbones petentibus umquam porrexerint: norunt enim haec damno futura esse si dentur: nonnulli vero in extremam prolapsi dementiam, non modo corporis pulchritudinem, divitias, potentiam, ceteraque id genus ab universorum Deo postulant; sed etiam inimicis suis imprecantur, ipsosque poenis supplicioque affici rogant: et quem sibi propitium benignumque esse precantur, inimicis immitem inhumanumque esse peroptant.

Quae omnia Dominus reprimere praeoccupans, multiloquium vetat, docetque quid sit in oratione dicendum, ac paucis verbis ad omnem virtutem instituit: illa quippe verba non modo doctrina ad precandum sunt, sed etiam ad perfectam vitam institutio [1].

[1] Homil. de angusta porta, n. 2.

CAPUT VIII. De Subjectis orantibus.

Summa: 139. *Qua ratione Spiritus sanctus oret.*—140-141. *Angeli offerunt Deo orationes nostras.*—142-143. *Orat Christi Ecclesia.*—144-145. *Extra Ecclesiam catholicam nemo exauditur ad vitam aeternam.*—146-147. *Fit satis objectionibus.*—148. *Sancti in caelo orant pro nobis.*—149. *Multum in speciali valet intercessio S. Stephani.*—150. *Quantum valeat oratio sanctorum in terra degentium.*—151. *Sacerdotes orare debent.*—152-154. *Religiosi ex ipso statu orationi incumbere debent.*—155. *Concionatores orare debent.*—156. *Oratio divi Augustini post concionem.*—157-158. *Orare debent qui studiis incumbunt.*—159. *Peccatores ex misericordia exaudiuntur.*—160. *Sacerdos orans pro populo, quamvis peccator, exauditur.*—161. *Omnes homines cujuslibet condicionis orare debent.*—162. *Christiani imperatores orare debent.*

139.—Qua ratione Spiritus sanctus oret. Est ergo in nobis quaedam, ut ita dicam, docta ignorantia; sed docta Spiritu Dei, qui adjuvat infirmitatem nostram. Nam cum dixisset Apostolus: *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus:* ibi subjecit, *similiter et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Quid enim oremus sicut oportet, nescimus: qui autem scru-

tatur corda, scit quid Spiritus sapiat, quia secundum Deum interpellat pro sanctis (Rom. VIII, 25).

Quod non sic est intelligendum, ut existimemus sanctum Spiritum Dei, qui in Trinitate incommutabilis Deus est, et cum Patre et Filio unus Deus est, tamquam aliquem qui non sit quod Deus est, interpellare pro sanctis. Dictum quippe est, interpellat pro sanctis, quia interpellare sanctos facit, sicut dictum est: *tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum* (Deut. XIII, 3), hoc est ut scire vos faciat.

Interpellare itaque sanctos facit gemitibus inenarrabilibus, inspirans eis desiderium etiam adhuc incognitae tantae rei, quam per patientiam expectamus. Quando enim narratur, quando desideratur, quod ignoratur? Nam utique si omni modo ignoraretur, non desideraretur; et rursus, si videretur, non desideraretur, nec gemitibus quaereretur [1].

---

[1] Epist. 130 ad Probam, n. 28. **Doctrina divi Thomae.**

Subjecti orantes. Sola creatura rationalis orare potest, cum oratio sit actus rationis.

Divinis personis non competit orare, cum nihil sit ipsis superius. Filius dicitur orare secundum naturam humanam.

Spiritus sanctus dicitur postulare, quia postulantes nos facit (2. 2. q. 83, a. 10 et ad 1). Licet homo ex se scire non possit quid orare debeat, Spiritus tamen in hoc adjuvat infirmitatem nostram, quod inspirando nobis sancta desideria, recte postulare nos facit (2. 2. q. 83, a. 5 ad 1).

Sancti orant pro nobis in caelo. Oratio pro aliis facta provenit ex caritate: quanto ergo sancti qui sunt in patria, sunt perfectioris caritatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari possunt. Et quanto sunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces (2. 2. q. 83, a. 11).

Orationes sanctorum habent efficaciam impetrandi ex praecedentibus eorum meritis et ex divina acceptatione (ib. ad 11).

Sancti agnoscunt in Verbo omnia quae ad eorum gloriam pertinent; et quia ad magnam eorum gloriam est quod alios juvare possunt, quasi Dei cooperatores existentes; ideo statim in Verbo vident vota eorum qui eos interpellant (IV, D. XV, q. IV, a. 5, q. 1 ad 3; 2. 2. q. 83, a. 4, ad 2.um).

140.—Angeli offerunt Deo orationes nostras. Laudent nomen tuum, laudent te supercaelestes populi angelorum tuorum, qui non opus habent suspicere firmamentum hoc, et legendo cognoscere verbum tuum. *Vident enim faciem tuam semper* (Mt. XVIII, 10), et ibi legunt sine syllabis temporum quid velit aeterna voluntas tua.

Legunt, eligunt, diligunt: semper legunt, et numquam praeterit quod legunt. Eligendo enim et diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum, quia tu ipse illis hoc es, et es in aeternum, quia super hoc firmamentum ordinasti eos, quod firmasti super infirmitatem inferiorum populorum, ubi suspicerent et cognoscerent misericordiam tuam, temporaliter enuntiantem te, qui fecisti tempora [1].

Hi angeli sicut annuntiant nobis beneficia Dei, ita etiam illi preces nostras. Nam scriptum est, ubi angelus hominibus dicit, *ego obtuli memoriam orationis vestrae* (Tob. XII, 12): non ut tunc Deus noverit quid velimus, vel quo indigeamus; *novit enim Pater vester,* ait Dominus, *quid vobis necessarium sit priusquam petatis*

Mittat tibi auxilium de sancto, id est, de collegio sanctorum. Et est duplex collegium sanctorum: unum regnantium cum Deo in gloria, aliud est militantium in terra, et ex utrisque adjuvamur, quia angeli intercedunt pro nobis (In Ps. 19, I).

Peccatores. Peccatores ut tales non exaudiuntur a Deo nisi in vindictam; si vero bona voluntate orent, Deus eos audit non quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex misericordia, observatis his condicionibus quod per se petant, necessaria ad salutem, pie et perseveranter (2. 2. q. 83, a. 16).

Peccator non potest pie orare, quasi ejus oratio ex habitu gratiae informetur; potest tamen ejus oratio esse pia, quantum ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens. Et quamvis ejus oratio non sit *meritoria,* quia meritum innititur gratiae et justitiae, potest esse *impetrativa,* quia impetratio innititur divinae misericordiae ib. ad 2).

[1] Confess. Libr. XII, cp. XV, n. 18.

ab eo (Mt. VI, 8); sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad aeternam veritatem referre, sive petendo quod erga se fiat, sive consulendo quid faciat: qui pius mentis affectus est, ut ipsa construatur, non ut Deus instruatur. Nam et haec quaedam contestatio rationalis creaturae est, quod non sibi ipsa sit bonum quo beata fiat, sed illud incommutabile cujus participatione etiam sapiens efficitur [1].

Angeli quae hominibus nuntiant, nescientibus nuntiant; quae autem Deo nuntiant, scienti nuntiant, quando illi offerunt orationes nostras, et ineffabili modo de actibus suis aeternam veritatem, tamquam legem incommutabilem consulunt [2].

141.—Quo sensu angeli exaudiunt orationes nostras. Quaecumque miracula, sive per angelos, sive quocumque modo ita divinitus fiant, ut Dei unius, in quo solo beata vita est, cultum religionemque commendent, ea vere ab eis vel per eos, qui nos secundum veritatem pietatemque diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante, credendum est.

Neque enim audiendi sunt, qui Deum invisibilem visibilia miracula negant; cum ipse etiam secundum ipsos fecerit mundum, quem certe visibilem negare non possunt. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profecto minus est quam totus hic mundus, id est, caelum et terra et omnia, quae in eis sunt, quae certe Deus fecit. Sicut autem ipse qui fecit, ita modus quo fecit occultus est et incomprehensibilis homini. Quamvis itaque miracula visibilium naturarum videndi assiduitate vi-

---

1 Epist. 140, n. 69.
2 Enar. in Ps. 75, n. 1.

luerint; tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque majora sunt.

Nam et omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum est homo.

Quapropter Deus, qui fecit visibilia caelum et terram, non dedignatur facere visibilia miracula in caelo vel in terra, quibus ad se invisibilem colendum excitet animam adhuc visibilibus deditam: ubi vero et quando faciat, incommutabile consilium penes ipsum est, in cujus dispositione jam tempora facta sunt quaecumque futura sunt. Nam temporalia movens, temporaliter non movetur; nec aliter novit facienda, quam facta: nec aliter invocantes exaudit quam invocaturos videt.

Nam et cum exaudiunt Angeli ejus, ipse in eis exaudit, tamquam in vero, nec manufacto templo suo, sicut in hominibus sanctis suis; ejusque temporaliter fiunt jussa, aeterna ejus lege conspecta [1].

142.—Orat Christi Ecclesia. *Adjutor meus et protector meus tu es, Deus meus, ne tardaveris* (Ps. 39, 18). Invocat, implorat, timet ne deficiat: ne tardaveris. Quid est ne tardaveris? *Nisi breviati essent dies illi, non fieret salva omnis caro* (Mt. XXIV, 22), et agit de diebus tribulationum.

Quasi enim unus homo rogat Deum, membra Christi, corpus Christi, *ubique* diffusum, unus mendicus, unus pauper; quia et ille pauper, qui dives pauper factus est, de quo ait Apostolus: *cum dives esset, pauper factus est, ut ipsius paupertate vos ditaremini* (II Cor. VIII, 9): veros pauperes ditat, falsos divites pauperat. Clamat ad eum, *a finibus terrae ad te clamavi, cum taederet animam meam* (Ps. 60, 3).

---

[1] De Civit. Dei Libr. X, cp. XII.

Venient dies tribulationum et majorum tribulationum: venient, sicut dicit Scriptura, et quantum accedunt dies, augentur tribulationes. In omnibus tamen Deum fidelem invenimus, adjutor meus et protector meus tu es, Deus meus, ne tardaveris [1].

Exequitur etiam nunc breviter Psalmista tribulationes corporis Christi. Neque enim in solo capite factae sunt, cum et Saulo dictum sit, quid me persequeris (Act. IX, 4)? Et ipse jam Paulus tamquam electum membrum in eodem corpore positus dicat: *ut suppleam quae desunt pressurarum Christi in carne mea* (Coloss. I, 24).

Ut quid ergo, Domine, repulisti orationem meam, avertis faciem tuam a me? Inops sum ego et in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus. In me transierunt irae tuae, et terrores tui conturbaverunt me (Ps. 87, 16 sq.).

Contigerunt et contingunt omnia haec in membris corporis Christi. Et avertit Deus ab orantibus faciem, non exaudiendo ad id quod volunt, quando sibi nesciunt non expedire quod petunt. Et inops est Ecclesia, cum esurit et sitit peregrina, unde satietur in patria.

Et in laboribus est a juventute sua. Ipsum enim corpus Christi et in alio psalmo dicit, *saepe expugnaverunt me a juventute mea* (Ps. 128, 1). Et ad hoc exaltantur etiam in saeculo isto quaedam membra ejus, ut in eis sit major humilitas. Et super ipsum corpus, id est, unitatem sanctorum atque fidelium, cui caput est Christus, transeunt irae Dei, non autem manent; quia non de fideli, sed de infideli dictum est, *ira Dei manet super eum* (Jo. III, 36). Et terrores Dei conturbant infirmitatem fidelium; quia omne quod accidere potest, etiamsi non

---

[1] Enar. in Ps. 30, n. 28.

accidat, prudenter timetur. Et aliquando terrores ipsi ita conturbant animam cogitantis circumpendentibus malis, ut sicut aqua undique circumfluere videantur et simul circumdare metuentem.

Et quia Ecclesiae in hoc mundo peregrinanti ista non desunt, dum modo in his, modo in illis membris ejus usquequaque contingunt; ideo dixit, tota die, continuationem significans temporis, donec finiatur hoc saeculum. Et saepe amici et noti periclitantes secundum saeculum, sanctos formidine deserunt. De quibus dicit Apostolus, *omnes me dereliquerunt, non illis imputetur* (II Tim. IV, 16).

Sed ut quid haec omnia, nisi ut oratio hujus sancti corporis mane, id est, post noctem infidelitatis in luce fidei praeveniat Deum, donec veniat salus illa, in cujus nondum re, sed jam spe salvi facti sumus, eamque cum patientia fideliter expectamus (Rom. VIII, 24)?

Ubi nec repellet Dominus orationem nostram, quoniam tunc nihil erit petendum, sed quidquid recte petitum est obtinendum; nec faciem suam avertet a nobis, *quoniam videbimus eum sicuti est* (I Jo, III, 2); nec inopes erimus, quia copia nostra ipse Deus erit omnia in omnibus (I Cor. V, 28); nec laborabimus, quia nulla remanebit infirmitas; nec exaltati humiliabimur et conturbabimur, quia nulla ibi erit adversitas; nec iram Dei vel transeuntem sustinebimus, quia in ejus benignitate manente manebimus; nec terrores ejus nos conturbabunt, quia promissa reddita nos beabunt; nec territus longe fiet a nobis notus et amicus, ubi nullus erit qui timeatur inimicus [1].

---

[1] Enar. in Ps. 87, n. 15.

143.—*Adjuvet Dominus orationibus vestris, ut ea dicam quae oportet me dicere, et vos audire: ut omnibus nobis utilis sit sermo divinus. Non enim omnibus utilis est, quia non est omnium fides* (II Thes. III, 2). Fides autem sic est in anima, ut radix bona, quae pluviam in fructum ducit; perfidia vero et error diabolicus et cupiditas mala radix omnium malorum (I Tim. VI, 10), sicut radix spinarum etiam dulcem pluviam ad punctiones convertit.

Quid habet psalmus iste, credo, cum cantaretur, advertisse vos; quoniam conqueritur et gemit, et precem Deo fundit inter malos constitutum corpus Christi. Ejus enim vox est in omni tali prophetia, tamquam illius inopis, id est egentis, nondum satiati, esurientis et sitientis justitiam (Mt. V, 6), cui quaedam saturitas promissa in fine servatur.

Interim hic nunc sitiat et esuriat, gemat et pulset et quaerat. Peregrinationis illecebris non delectetur, non putet patriam saeculum, unde ut liberetur, Christus advenit; quia Christus caput nostrum esse voluit, caput scilicet cujusdam corporis. Non enim potest dici caput, ubi corpus nullum est cui sit caput.

Proinde si caput Christus, et alicujus corporis caput est Christus. Corpus illius capitis sancta Ecclesia est, in cujus nos membris sumus, si caput nostrum diligimus.

Audiamus ergo voces corporis Christi, hoc est, voces nostras, si sumus in Christi corpore; quia quisquis ibi non fuerit, in eis erit inter quos illud corpus gemit.

Proinde aut in illo corpore eris, ut gemas inter malos, aut non eris in illo corpore, et in eis eris inter quos malos gemit corpus, quod gemit inter malos: aut membrum Christi, aut hostis corporis Christi.

Nec isti inimici et adversarii corporis Christi uno modo

intelliguntur, aut uno modo agunt. Versipellis est enim qui in eis regnat, et qui eis utitur tamquam vasis suis. Ceterum multi ab illo liberantur, et in corpus Christi transeunt, et qui sint, et quot futuri sint, novit ille qui illos redemit sanguine suo nescientes.

Sunt autem quidam perseveraturi in malitia sua, ad Christi corpus non pertinentes, et ipsi noti ei utique, cui nihil ignotum est. Interim illi qui jam compaginati sunt cum membris ejus, nondum habentes resurrectionem futuram, in qua perit omnis gemitus, et laus succedit, in qua omnis tribulatio morietur, et erit sine fine exultatio: nondum ergo habentes hoc in re, sed tamen tenentes in spe, gemunt ex desiderio quodam, et orant se liberari ab hominibus malis, inter quos necesse est vivere et bonis. Non enim separatio jam cuique tuta est.

Quid est, qui non novit errare? Ut nec malum trajiciat ad dexteram, nec bonum ad sinistram. Nos autem in hac vita difficile est ut nos ipsos noverimus, quanto minus debemus de quoquam praeproperam ferre sententiam? Quia si hodie malum novimus, cras qualis futurus sit ignoramus: et forte quem vehementer odimus, frater noster est, et nescimus. Securi ergo odimus in malis malitiam, et diligimus creaturam; ut quod ibi fecit Deus, amemus, quod ibi fecit ipse homo, oderimus. Fecit enim Deus ipsum hominem, fecit autem homo peccatum. Dilige quod fecit Deus, oderis quod fecit homo. Sic enim persequeris quod fecit homo, ut liberetur quod fecit Deus.

Quando ergo psalmus iste canitur, et corporis ejus vocem audi, et esto in corpore ejus. Vox quam audisti, tua fiat et ora, et dic: Exime me, Domine, ab homine maligno. Non ab uno, sed ab ipso genere; nec a vasis

tantum, sed ab ipso principe, id est ab ipso diabolo. Ab isto maligno ora, quantum potes, ut libereris.

Proinde, fratres mei, corpus Christi vel membra Christi gementia inter tales malos, quoscumque inveneritis proclives ferri in malas libidines et in perniciosas voluptates, tunc reprehendite, et tunc castigate, tunc urite. Incendatur radix, et non est unde spina procedat.

Si autem non potueritis, certi estote quod eos habebitis inimicos. Tacere possunt, occultare inimicitias suas possunt, et necesse est ut qui oderunt vos, mala vobis quaerant, non vacet lingua et cor vestrum dicere Deo, exime me, Domine, ab homine maligno, ab viro injusto libera me [1].

Laetetur Israel in eo qui fecit eum, et filii Sion exultent in rege suo. Ipse Israel filii Ecclesiae sunt. Quia Sion fuit quidem una civitas, quae cecidit, in ejus reliquiis habitabant quidem sancti temporaliter, sed Sion vera et Jerusalem vera, quia ipsa Sion, *quae Jerusalem, aeterna est in caelis, quae est mater nostra* (Gal. IV, 26).

Ipsa nos genuit, ipsa est Ecclesia sanctorum, ipsa nos nutrivit, ex parte peregrina, ex magna parte immanens in caelo. Ex parte qua immanet in caelo, beatitudo angelorum est; ex parte qua peregrinatur in hoc saeculo, spes est justorum.

De illa dictum est, *gloria in excelsis Deo:* de hac dictum est, *et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Lc. II, 14). Qui ergo in hac vita gemunt, et desiderant illam patriam, currant dilectione, non pedibus corporis: non quaerant naves, sed pennas, duas alas caritatis apprehendant. Quae sunt duae alae caritatis? Dilectio Dei et proximi (Mt. XXII, 40). Peregrinamur enim, suspi-

---

[1] Enar. in Ps. 139, nn. 1-4.

ramus, gemimus. *Venerunt ad nos litterae de patria nostra, ipsas vobis recitamus.* Laetetur Israel in eo qui fecit eum [1].

144.—Extra Ecclesiam nemo exauditur ad vitam aeternam. *Ut quid tristis incedo, dum affligit me inimicus?* De inimico quereris; revera affligit, sed tu ei locum dedisti. Et nunc habes quod agas: elige consilium, regem admitte, tyrannum exclude.

Sed ut hoc faciat, quid dicit, quid supplicat, quid orat attende. Ora quod audis, ora cum audis; omnium nostrum sit ista vox: *emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et perduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua* (Ps. 42, 3). Quia ipsa lux tua et veritas tua: haec nomina duo, res una.

Quid enim aliud lux Dei, nisi veritas Dei, aut quid veritas Dei, nisi lux Dei? Et hoc utrumque unus Christus. *Ego sum lux mundi: qui credit in me, non ambulabit in tenebris. Ego sum via, veritas et vita* (Jo. VIII, 11, et XIV, 6). Ipse lux, ipse veritas. Veniat ergo et eruat nos, discernens modo causam nostram a gente non sancta; eruat ab homine iniquo et doloso, separet frumentum a zizaniis, quia ipse mittet angelos suos messis tempore, ut colligant de regno ejus omnia scandala, et mittant in ignem ardentem, frumentum autem ejus congregent in horreum (Mt. XIII, 41-43).

Emittet lucem suam et veritatem suam, quia ipsa jam nos deduxerunt et perduxerunt in montem sanctum ejus et in tabernacula ejus. Pignus habemus, praemium speramus.

Sanctus mons ejus, sancta Ecclesia ejus. Mons ille est,

---

[1] Enar. in Ps. 149, n. 5.

qui crevit minimo lapide secundum visionem Danielis, confringens regna terrarum, et in tantum excrescens, ut impleret universam faciem terrae (Dan. II, 35).

In hoc monte se exauditum dicit, qui dixit: *voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo* (Ps. III, 5).

Quisquis praeter istum montem orat, non sese speret exaudiri ad vitam aeternam.

Exaudiuntur enim multi ad multa. Nec sibi plaudant, quod exaudiuntur; exauditi sunt daemones, ut in porcos mitterentur (Mt. VIII, 32).

Exaudiri ad vitam aeternam concupiscamus, propter desiderium quo dicimus: emitte lucem tuam et veritatem tuam. Illa lux oculorum cordis inquirit. *Beati enim* inquit, *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Mt. V, 8). Modo in monte ejus sumus, id est, in Ecclesia ejus, et in tabernaculo ejus. Tabernaculum peregrinantium est, domus cohabitantium: est et tabernaculum peregrinantium et militantium. Cum audis tabernaculum, bellum intellige, hostem cave.

Domus autem quae erit? *Beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te* (Ps. 83, 5).

Jam ergo perducti ad tabernaculum, et positi in monte sancto ejus, quam spem gerimus? Et introibo ad altare Dei. Est enim quoddam sublime altare invisibile, quo non accedit injustus. Ad illud altare solus accedit, qui in isto discernit causam suam.

Et introibo ad altare Dei: de monte sancto ejus, et de tabernaculo ejus, de sancta Ecclesia ejus introibo ad altare Dei sublime.

Quale ibi sacrificium est? Ipse qui intrat, assumitur in holocaustum. Quid est quod dicit, ad altare Dei? Ad

Deum qui laetificat juventutem meam. Juventus novitatem significat, tamquam diceret, ad Deum qui laetificat novitatem meam. Laetificat novitatem meam, qui contristavit vetustatem meam. Incedo enim modo tristis in vetustatem, tunc autem stabo gaudens in novitate.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus. Quid est in cithara confiteri, et in psalterio confiteri? Non enim semper in cithara, nec semper in psalterio. Duo haec organa musicorum habent inter se distinctam discretamque rationem, dignam consideratione et commendatione memoriae. Utrumque hoc manibus portatur et tangitur, et significat opera quaedam nostra corporalia. Utrumque bonum, si quis norit psallere, si quis norit citharizare.

Sed quia psalterium istud organum dicitur, quod de superiore parte habet testudinem; illud scilicet tympanum concavum lignum cui chordae innitentes resonant; cithara vero idipsum lignum cavum et sonorum ex inferiore parte habet; discernenda sunt opera nostra, quando in psalterio sint, quando in cithara, utraque tamen placita Deo et suavia ejus auditui.

Quando ergo ex praeceptis Dei aliquid agimus, jussis ejus obtemperantes et obaudientes ad implenda praecepta ejus, ubi facimus, et non patimur, psalterium est. Faciunt enim ita et Angeli; non enim aliquid patiuntur. Cum autem aliquid patimur tribulationum, tentationum, scandalorum in hac terra, quia non patimur nisi ex inferiore parte, id est, ex eo quod mortales sumus, ex eo quod primae nostrae causae quiddam tribulationis debemus, et quia patimur multa ab eis qui non sunt desuper, cithara est. Venit enim sonus suavis ex inferiore parte: patimur et psallimus, vel potius cantamus et citharizamus.

Quando dicebat Apostolus evangelizare se et praedicare Evangelium toto orbe terrarum ex praecepto Dei, quia illud Evangelium se non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum accepisse dicebat (Gal. I, 12), desuper sonabant cordae; cum vero dicebat, *gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem* (Rom. V, 3, 4); cithara sonabat ex inferiore quidem, sed tamen dulciter.

Omnis enim patientia dulcis est Deo. Si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti [1].

Quamquam aliquando dicitur tabernaculum Dei domus Dei, et domus Dei tabernaculum Dei; distinctius tamen accipitur, fratres charissimi, tabernaculum Ecclesia caelestis Jerusalem, quo ibimus.

Tabernaculum enim tamquam militantium et pugnantium; tabernacula militum in procinctu, in expeditione; unde contubernales dicuntur milites, quasi tabernacula eadem habentes et habitantes. Quandiu ergo habemus hostem cum quo pugnemus, tabernaculum Deo facimus. Cum autem transierit tempus pugnae, et venerit pax illa quae praecellit omnem intellectum, sicut dicit Apostolus (Philip.IV, 7); quantumcumque enim cogitaveris de pace illa, minus eam capit animus adhuc in ista corporis gravedine constitutus: cum venerit illa patria, jam domus erit, nullus adversarius tentabit, ut tabernaculum vocetur. Non procedemus ad pugnandum, sed permanebimus ad laudandum. Quid enim dicitur de illa domo? *Beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te* (Ps. 83, 5). In tabernaculo adhuc gemimus, in domo laudabimus. Quare? Quia gemi-

---

[1] Enar. in Ps. 42, nn. 4, 5.

tus est peregrinantium, laudatio jam im patria commanentium. Hic primo quaeratur tabernaculum Deo Jacob.

Intrabimus ergo *tabernacula ejus. Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Praeterquam domum suam non exaudit Deus ad vitam aeternam. Ille enim ad domum Dei pertinet, qui est in caritate compaginatus lapidibus vivis. Qui autem caritatem non habet, ruinam facit; et illo ruente domus stat [1].

145.—In isto psalmo commendatur nobis humilitas servi Dei et fidelis, cujus voce cantatur, quod est universum corpus Christi. Saepe enim admonuimus Caritatem vestram non quasi unius hominis cantantis vocem accipi debere, sed omnium qui sunt in Christi corpore [2].

Et quia in illius corpore sunt omnes, tamquam unus homo loquitur: et ipse est unus qui et multi sunt. Multi enim sunt in se ipsis, unus sunt in illo qui unus est. Ipsum est autem etiam templum Dei, de quo dicit Apostolus, *templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I, Cor. III, 17); omnes qui credunt in Christum, diligere Christum, non quomodo daemones credebant (Jac. II, 19) sed non diligebant; et ideo quamvis crederent, dicebant, *quid nobis et tibi est, Fili Dei* (Mt. VIII, 29)? Nos autem sic credamus, ut in ipsum credamus, diligentes eum, et non dicamus, quid nobis et tibi est; sed dicamus potius, ad te pertinemus, tu nos redemisti. Omnes ergo qui sic credunt, tamquam lapides sunt vivi, de quibus templum Dei aedificatur (I, Petr. II, 5), et tamquam ligna imputribilia, ex quibus arca illa compacta est, qui in diluvio mergi non potuit.

---

1 Enar. in Ps. 131, nn. 10, 15.
2 Cf. cp. II, h. op.

Hoc autem templum est, id est, ipsi homines, ubi rogatur Deus et exaudit. Quisquis enim praeter templum Dei oraverit Deum, non exauditur ad illam pacem supernae Jerusalem, etsi exauditur ad quaedam temporalia, quae Deus et Paganis donavit. Nam et ipsi daemones exauditi sunt ut irent in porcos.

Exaudiri ad vitam aeternam aliud est, nec conceditur nisi ei qui in templo Dei orat. Ille autem in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesiae, in unitate corporis Christi, quod corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum; et ideo exauditur, qui orat in templo. Ipse enim orat in spiritu et veritate, qui orat in pace Ecclesiae (Jo. IV, 24); non in illo templo, ubi figura erat.

Hujus ergo templi vox est in psalmo. In hoc templo, ut dixi, rogatur Deus, et exaudit in spiritu et veritate, non in illo corporali. Nam illic umbra erat, in qua demonstraretur quod venturum erat. Ideo illud jam cecidit.

Cecidit ergo domus orationis nostrae? Absit. Non enim illud templum quod cecidit, hoc potuit dici domus orationis de qua dictum est, *domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.*

Audistis enim quid dixerit Dominus Jesus Christus. Scriptum est: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus, vos autem fecistis eam speluncam latronum* (Mt. XI, 13). Numquid illi qui voluerunt facere domum Dei speluncam latronum, fecerunt ut rueret templum (Jo. II, 19)?

Sic et illi qui male vivunt in Ecclesia catholica, quantum in ipsis est, domum Dei volunt facere speluncam latronum; nec ideo evertunt templum.

Hoc autem templum Dei, hoc corpus Christi, haec congregatio fidelium unam vocem habet, et tamquam unus homo cantat in psalmo. Ejus vocem jam in multis psalmis audivimus, audiamus et in isto. Si volumus, nostra vox est; si volumus, aure audimus cantantem, et nos corde cantamus. Si autem nolumus, erimus in illo templo tamquam ementes et vendentes, id est, nostra quaerentes.

Intramus Ecclesiam, non ad ea que placent oculis Dei. Viderit ergo in numero vestro quis quomodo audiat, utrum audiat et irrideat, utrum audiat et post se ponat, utrum audiat et consonet, id est, sentiat hic vocem suam, et adjungat vocem cordis sui voci Psalmi hujus.

Commendetur nobis humilitas, inde coepit: *Domine, non est exaltatum cor meum.* Sacrificium obtulit. Unde probamus quia sacrificium obtulit? Quia humilitas cordis sacrificium est [1].

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus (Ps. 98, 9). Post exaltationem Domini Dei nostri, ne quis illum praeter ejus montem exaltet, commendavit et montem ipsius. Mons ipsius quis est?

Legimus alibi de hoc monte, quia lapis fuit praecisus de monte sine manibus, et confregit omnia regna terrae, et crevit lapis ipse. Danielis visio est ista quam narro. Crevit lapis iste, qui praecisus est de monte sine manibus; et factus est, inquit, mons magnus, ita ut impleret universam faciem terrae (Dan. II, 34).

In ipso monte adoremus, si exaudiri volumus.

Haeretici donatistae non adorant in isto monte: quia mons iste implevit universam faciem terrae; haeserunt in parte, et totum amiserunt. Si agnoscant Ecclesiam

---

[1] Enar. in Ps. 130, nn. 1-4.

catholicam, adorabunt in isto monte nobiscum. Etenim lapis ille qui praecisus est de monte sine manibus, jam videmus quantum creverit, et quantas terrae regiones occupaverit, et usque ad quas gentes pervenerit.

Quid est mons unde praecisus est lapis sine manibus? Regnum Judaeorum: primo quod colebat unum Deum. Inde praecisus est lapis Dominus noster Jesus Christus. Ipse dictus est, *lapis quem reprobaberunt aedificantes, hic factus est in caput anguli* (Ps. 117, 22, et Act. IV, 11).

Lapis iste praecisus de monte sine manibus, confregit omnia regna terrarum: videmus confracta ab illo lapide omnia regna terrae. Quae erant regna terrae? Regna idolorum, regna daemoniorum fracta sunt. Regnabat Saturnus in multis hominibus: ubi est regnum ejus? Regnabat Mercurius in multis hominibus: ubi est regnum ejus? Fractum est, redacti sunt illi in regnum Christi, in quibus ille regnabat. Lapis ille fregit omnia regna terrarum, lapis praecisus de monte sine manibus.

Quid est praecisus de monte sine manibus? Natus de gente judaeorum sine opere hominum. Omnes enim qui nascuntur, de opere maritali nascuntur: ille de Virgine natus, sine manibus natus est; per manus enim opus humanum significatur: quo manus humanae non accesserunt; ubi maritalis amplexus non fuit, fetus tamen fuit. Natus est ergo de monte sine manibus lapis ille: crevit et crescendo fregit omnia regna terrarum.

Factus est autem mons magnus et implevit universam faciem terrae. Haec est Ecclesia catholica, cui vos communicare gaudete. Illi autem qui non ei communicant, quia praeter ipsum montem adorant et laudant Deum, non exaudiuntur ad vitam aeternam; etsi ad quaedam temporalia exaudiuntur.

Non sibi ergo blandiantur, quia eos in quibusdam exaudit Deus; nam et paganos exaudit in quibusdam. Nonne clamant pagani ad Deum, et pluit? Quare? *Quia facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (Mt. V, 45). Noli ergo gloriari, pagane, quia te clamante ad Deum, pluit Deus, qui super justos et injustos pluit. Audivit te ad temporalia, non te audit ad aeterna, nisi in monte sancto ejus adoraveris. Adorate Dominum in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster [1].

146.—Fit satis objectioni quorumdam haereticorum, nimirum, donastitarum. Dicunt sane isti, quia homines ad Memorias mortuorum nostrorum orant, et exaudiuntur, aut quia illa et illa ibi contingunt, aut quia ille frater noster aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit.

Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut non sunt vera quae dicuntur, aut si haereticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus: quod cum dixisset Dominus quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos si fieri posset, fallerent, adjecit vehementer commendans, et ait: *ecce praedixi vobis* (Mt. XXIV, 25).

Unde Apostolus admonens, *Spiritus,* inquit, *manifeste dicit quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, intendentes spiritibus seductoribus, et doctrinis daemoniorum* (I Tim. IV, 1).

Porro si aliquis in haereticorum Memoriis orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderii sui

[1] Enar. in Ps. 98, n. 14.

recipit sive bonum, sive malum. *Spiritus enim Domini,* sicut scriptum est, *replevit orbem terrarum* (Sap. I, 7, 10). Et auris zeli audit omnia. Et multi irato Deo exaudiuntur, de qualibus dicit Apostolus: *tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum* (Rom. I, 24).

Et multis propitius Deus non tribuit quod volunt, ut quod utile est, tribuat. Unde idem Apostolus ait de stimulo carnis suae, angelo Satanae, quem sibi datum dicit, a quo colaphizaretur, ne magnitudine revelationum extolleretur.

Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum a me. Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur (II Cor. XII, 7).

Nonne legimus ab ipso Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis montium Judaeae, quae tamen excelsa ita displicebant Deo, ut et reges qui ea non everterent, culparentur, et qui everterent, laudarentur? Unde intelligitur magis valere petentis affectum, quam petitionis locum.

De visis autem fallacibus legant quae scripta sunt, et quia *ipse Satanas transfigurat se tamquam angelum lucis* (II Cor. XI, 14), et quia multos seduxerunt somnia sua (Eccli. XXXIV, 7).

Audiant etiam quae narrent pagani de templis et diis suis mirabiliter vel facta, vel visa; et tamen, *dii gentium daemonia, Dominus autem caelos fecit* (Ps. 95, 5). Exaudiuntur ergo multi et multis modis, non solum Christiani catholici, sed et pagani et judaei, et haeretici, variis erroribus et superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel a spiritibus seductoribus; qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur, Deo sublimiter atque ineffabiliter judicante, quid cuique tribuendum sit: sive ab ipso Deo, vel ad admonitionem quaerendae salutis aeternae.

Ad ipsam vero salutem ac vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in Scripturis sanctis canonicis debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus, et opinionibus, et factis, et dictis, et visis inquirere [1].

147.—Satisfit alii objectioni e Cornelio Centurione desumptae. Dominus in Evangelio dicit: *qui non est mecum adversum me est, et qui mecum non colligit, spargit* (Mt. XII, 30). Tamen cum ad eum discipuli retulissent, vidisse se quemdam in ejus nomine pellentem daemonia, et prohibuisse, quia cum illis eum non sequebatur: nolite, inquit, prohibere. *Qui contra vos non est, pro vobis est. Non potest enim quisquam in meo nomine facere aliquid, et male loqui de me* (Lc. IX, 50; Mc. IX, 38).

Quomodo utrumque verum est? Ut ergo utraque sententia vera sit, sicuti vera est, et illa ubi ait: qui non est mecum, adversum me est, et qui mecum non colligit, spargit; et illa ubi ait: nolite prohibere, qui enim contra vos non est, pro vobis est: quid restat intelligendum, nisi quia ille in tanti nominis veneratione confirmandus fuit, ubi non erat contra Ecclesiam, sed pro Ecclesia; et illa tamen separatione culpandus, ubi si colligeret, spargeret; et si forte veniret ad Ecclesiam, non illud quod habebat ibi acciperet, sed in quo aberrabat, emendaret?

Neque enim et Cornelii gentilis hominis orationes non sunt exauditae, aut eleemosynae non sunt acceptae (Act. X, 4): immo et angelum ad se mitti, et missum

---

[1] De unitate Eccles. n. 49.

meruit intueri, per quem posset utique sine hominis alicujus accessu cuncta necessaria discere.

Sed quoniam quidquid boni in orationibus et eleemosynis habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum christianae societatis et pacis incorporaretur Ecclesiae; jubetur mittere ad Petrum, et per illum discit Christum; per illum etiam baptizatus, christiano populo consortio quoque communionis adjungitur, cui sola bonorum operum similitudine jungebatur. Perniciose quippe contemneret bonum quod nondum habebat, superbiens ex illo quod habebat.

Sic etiam qui se ipsos a societate ceterorum separantes, caritate violata, unitatis vinculum rumpunt, si nihil faciunt eorum quae in illa societate acceperunt, in omnibus separati sunt: et ideo quem sibi sociaverint, si venire ad Ecclesiam voluerit, debet omnia quae non accepit accipere. Si vero nonnulla eadem faciunt, non se in eis separaverunt; et ex ea parte in texturae compage detinentur, in cetera scissi sunt.

Proinde si quem sibi sociaverint, ex ea parte nectitur Ecclesiae, in qua nec illi separati sunt; et ideo si venire ad Ecclesiam voluerit, in eo sanatur, ubi laniatus errabat; ubi vero sanus connectebatur, non curatur, sed agnoscitur, ne cum sana curare volumus, potius vulneremus [1].

148.—Sancti in caelo, martyres praecipue orant pro nobis. Securi de promissionibus Dei, praeterita credamus, praesentia cognoscamus, futura speremus.

Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus: illum sicut Patrem, istam sicut matrem: illum

[1] De baptismo cont. Donatistas, lib. I, nn. 9, 10.

sicut Dominum, hanc sicut ancillam ejus, quia filii ancillae ipsius sumus. Sed matrimonium hoc magna caritate compaginatur. Nemo offendit unum et promeretur alterum.

Nemo dicat: ad idola vado, sortilegos consulo; sed Dei Ecclesiam non relinquo, catholicus sum. Tenens matrem, offendisti Patrem. Absit a me, non consulo sortilegum, non quaero divinationes sacrilegas; sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicat matrem?

Tenete ergo, carissimi, tenete omnes unanimiter Deum Patrem et matrem Ecclesiam.

Natalitia sanctorum cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos qui praecesserunt, et gaudeant de vobis qui orant pro vobis; ut benedictio Domini in aeternum maneat super vos: fiat, fiat [1].

Regio ista, hujus mundi nimirum, scandalorum est, et tentationum, et omnium malorum, ut gemamus hic et mereamur gaudere ibi: hic tribulari et consolari ibi, et dicere: *quoniam exemisti oculos meos a lacrimis, pedes meos a labina: placebo Domino in regione vivorum* (Ps. 114, 8).

Ista regio mortuorum est. Transit regio mortuorum, venit regio vivorum. In regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium. Hic falsi felices, veri infelices; quia falsa felicitas, vera miseria est. Qui vero se agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in vera felicitate.

Et tamen nunc quia miser es, Dominum audi dicentem: beati lugentes (Mt. V, 5). O beati lugentes! Nihil tam conjunctum miseriae quam luctus; nihil tam remo-

---

1 Enar. II in Ps. 88, serm. 2, n. 14.

tum et contrarium miseriae quam beatitudo: tu dicis lugentes, et tu dicis beatos! Intelligite, inquit, quod dico: beatos dico lugentes. Quare beati? In spe. Quare lugentes? In re.

Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione sua; et quia agnoscunt se esse in ista miseria, et gemunt, beati sunt. Quare lugent? Contristatus est beatus martyr in passione; modo consolatus est in corona. Modo et consolatus adhuc tristis est. *Dominus enim noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis* (Rom. VIII, 34): omnes martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster. Cum autem transierit gemitus noster, omnes in una voce, in uno populo, in una patria consolabimur, millia millium conjuncta psallentibus angelis, choris caelestium Potestatum in una civitate viventium.

Quis ibi gemit, quis ibi suspirat, quis ibi laborat, quis ibi eget, quis ibi moritur, quis ibi misericordiam praebet, quis frangit panem esurienti, ubi omnes pane justitiae saginantur?

Quid ergo ibi erit, quod negotium nostrum, quae actio nostra? An nulla actio, quia quies? Haec erit actio nostra, laus Dei [1].

In peregrinatione dicit anima nostra: *Quoniam ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus* Ps. 37, 10). In patria vero nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi locus nullus erit? Quia nihil deest. Quod hic creditur, ibi videtur, quod hic speratur, ibi tenetur; quod hic petitur, ibi accipitur.

---

[1] Enar. in Ps. 85, n. 24.

Perfectio tamen in hac vita nonnulla est, ad quam sancti Martyres pervenerunt. Ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oratur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur.

Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. Certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem [1].

Non pro Martyribus orat Ecclesia. Nam merito pro aliis defunctis dormientibus orat Ecclesia: pro martyribus non orat, sed eorum potius orationibus se commendat. Certaverunt enim adversus peccatum usque ad sanguinem. Impleverunt quod scriptum est: *certa pro veritate usque ad mortem* (Eccli. IV, 35). Promissa mundi contempserunt, sed parum est: parum enim est laetum contemnere, parum aspera tolerare: ubique usque ad sanguinem certamen, ibi gloriosissima et plena victoria [2].

Martyrum perfecta justitia est, quoniam in ipsa passione perfecti sunt. Ideo pro illis in Ecclesia non oratur. Pro aliis fidelibus defunctis oratur, pro martyribus non oratur; tam enim perfecti exierunt, ut non sint suscepti nostri, sed advocati [3].

Inde Martyres magni, quia dulcedinem hujus mundi calcaverunt: inde Martyres magni, quia amarae mortis asperitatem durissimam pertulerunt.

Nam si facile est mortem ferre, quid magnum martyres pro Domini morte pertulerunt? Unde magni, unde excelsi, unde ceteris hominibus multo florentius coronati? Unde, quod norunt fideles, distincti a defunctis

[1] Serm. 139, Rom. VIII, n. 1.
[2] Serm. 234 in natali MM. Mariani et Jacobi, n. 5.
[3] Serm. 285 in natal. Casti, n. 5.

loco suo Martyres recitantur, nec pro eis oratur, sed eorum orationibus Ecclesia commendatur?

Unde hoc, nisi quia mors, quam pro Dominica confessione elegerunt suscipere, quam Christum negare, utique amara est? [1].

149.—Quantum valeat intercessio S. Stephani. Martyrum vestigia imitando sectemur, ne solemnitates eorum inaniter celebremus. Cujus autem meriti sit memoratus martyr Laurentius, quis ignorat? Quis ibi oravit et non impetravit?

Quam multis infirmis meritum ejus etiam temporalia beneficia praestitit, quae ille contempsit. Concessa sunt enim, non ut precantium permaneret infirmitas, sed ut deterioribus concessis, amor fieret ad appetenda meliora [2].

Denique ut noveritis quantum valuerit oratio sancti martyris Stephani, recurrite nobiscum ad illum adolescentem nomine Saulum: qui, cum sanctus Stephanus lapidaretur, omnium vestimenta servabat, et tamquam manibus omnium lapidabat.

Hic cum iret in via, subito circumfulsit eum lumen de caelo, et cecidit in terram, et audivit vocem de caelo dicentem sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris*? Et ille: *Tu quis es, Domine*? Et Dominus ad illum: *Ego sum,* inquit, *Jesus Nazarenus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare* (Act. IX, 4, 5). Quare me persequeris?

Quare te erigis contra me malo tuo, et te non potius humilias bono tuo?

Sed contra tanta mala quae commitis in me, olim qui-

---

[1] Serm. 297 in natali Apost. n. 3.

[2] Serm. 302, n. 1.

dem debui perdere te, sed Stephanus servus meus oravit pro te.

Elisus est saeviens, erectus est credens: elisus est lupus, erectus est agnus: elisus est persecutor, erectus est praedicator. Dicam planius, dicam apertius: elisus est filius perditionis, erectus est vas electionis: elisus est Saulus, erectus est Paulus. Nam si Martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet. Sed ideo de terra erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus [1].

Triumphavit Stephanus, coronatus est. Latuit tanto tempore corpus ejus, processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus.

Ergo hoc commendo Caritati vestrae, ut sciatis quod orationes ejus multa impetrant, non tamen omnia.

Nam invenimus etiam in libellis qui dantur, fuisse illi difficultates impetrandi, et accepisse postea beneficium, non deficiente supplicis fide. Non cessatum est, oratum est, et dedit postea Deus per Stephanum.

Sunt verba orantis Stephani, et responsum est illi: pro qua oras non est digna, hoc et hoc fecit.

Et tamen institit, rogavit, accepit. Dedit nobis intelligere, quia in cujus nomine faciebat, antequam carnem deponeret, in ejus nomine faciunt orationes ejus ut beneficia impetrentur, quibus novit ea dari debere. Ille autem tamquam servus orat [2].

150.—Quantum valeant orationes justorum in terra. Et dixit ut disperderet eos. Quia obliti sunt eum qui

[1] Serm. 382, de S. Steph. n. 4.
[2] Serm. 382 de S. Steph. M. n. 6.

salvos fecit eos, faciens magnalia, et fecerunt et adoraverunt sculptile, hoc utique tam immani scelere et incredibili impietate, digni fuerant qui perirent. *Dixit ergo ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus* (Ps. 105, 23). Non ita dixit stetisse in confractione, quasi ut frangeret iram Dei; sed in confractione, id est, in plaga qua erant illi feriendi: id est, nisi objecisset se ipsum pro eis, dicens: *Si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo* (Exod. XXXI, 31, 32). Ubi demonstratum est, intercessio sanctorum quantum pro aliis valeat apud Deum. Securus enim Moyses de justitia Dei, qua eum delere non posset, impetravit misericordiam, ne illos, quos juste posset, deleret [1].

Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo (Ps. III, 5). Haec est oratio omnium sanctorum: odor suavitatis, qui ascendit in conspectu Domini. Jam enim exauditur Ecclesia de ipso monte, quod etiam caput ejus est: vel de illa justitia Dei, qua et liberantur electi ejus et persecutores eorum punientur [2].

151.—Sacerdotes orare debent. Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore felicius, facilius et laetius, et hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, et tristius et damnabilius.

Item nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut pres-

---

[1] Enar. in Ps. 105, n. 21.
[2] Enar. in Ps. 3, n. 9.

byteri aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet.

Quis autem iste sit modus, nec a pueritia, nec ab adolescentia mea didici; et eo tempore quo discere coeperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum, nam quid aliud existimem nescio, ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

Sed arbitror Dominum meum propterea me sic emendare voluisse, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus essem quid illic agitur, quasi doctior et melior reprehendere audebam.

Itaque posteaquam missus sum in medium, tunc sentire coepi temeritates reprehensionum mearum; quamquam et antea periculosissimum judicaren hoc ministerium. Et hinc erant lacrimae illae, quas me fundere in civitate ordinationis meae tempore nonnulli fratres animadverterunt, et nescientes causas doloris mei, quibus potuerunt sermonibus, qui omnino ad vulnus meum non pertinerent, tamen bono animo consolati sunt.

Sed multo valde ac multo amplius expertus sum, quam putabant; non quia novos aliquos fluctus aut tempestates vidi, quas ante non noveram, vel non audieram, vel non legeram, vel non cogitaveram; sed ad eas evitandas aut perferendas solertiam et vires meas omnino non noveram, et alicujus momenti arbitrabar. Dominus autem irrisit me, et rebus ipsis ostendere voluit meipsum mihi.

Quod si non damnando, sed miserando fecit, hoc enim spero certe vel nunc cognita aegritudine mea, debeo Scripturarum ejus medicamenta omnia perscrutari, et orando et legendo agere, ut idonea valetudo animae meae ad tam periculosa negotia tribuatur, quod ante non feci, quia et tempus non habui.

Tunc enim ordinatus sum, cum de ipso vacationis tempore ad cognoscendas divinas Scripturas cogitaremus, et sic nos disponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset esse. Et quod verum est, nondum sciebam quid mihi deesset ad tale opus, quale me nunc torquet et conterit.

Quod si propterea in re ipsa didici quid sit homini necessarium, qui populo ministrat sacramentum et verbum Dei, ut jam non mihi liceat assequi, quod me non habere cognovi; jubes ergo ut peream, pater Valeri? Ubi est caritas tua? Certe diligis me, certe diligis ipsam Ecclesiam, cui mihi sic ministrare voluisti? Et tamen certus sum quod et me et ipsam diligis. Sed putas me idoneum, cum ego melius me noverim, qui tamen nec ipse me nossem, nisi experiendo didicissem [1].

152.—Religiosi ex ipso statu orationi incumbere debent. *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (Ps. 132, 1). Ita sonus iste dulcis est, ut et qui Psalterium nesciunt, ipsum versum cantent. Tam dulcis est, quam dulcis est caritas, quae facit fratres habitare in unum. Et hoc quidem, fratres, non indiget interpretatione, quam bonum et quam jucundum sit habitare in unum; sed ea, quae sequuntur, habent aliquid quod pulsantibus aperiatur. Verumtamen ut ab isto versu descendat nobis intellectus universae texturae psalmi, hoc primum etiam atque etiam consideremus, utrum de omnibus christianis dictum sit, quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum, an aliqui sint certi atque perfecti, qui habitant in unum, nec ad

[1] Epist. 21 ad Valer. nn. 1-3 (a. 148).

omnes pertineat ista benedictio, sed ad quosdam, a quibus tamen descendat ad ceteros.

Ista enim verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico quam in intellectu, etiam monasteria peperit.

Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupierunt: iste versus fuit tuba ipsorum. Sonuit per omnem orbem terrarum, et qui divisi erant, congregati sunt. Clamor Dei, clamor Spiritus sancti, clamor propheticus non audiebatur in Judaea, et auditus est in toto orbe terrarum. Adversus istum sonum surdi erant, inter quos cantabatur; et apertis auribus inventi sunt, de quibus dictum est, quibus non est nuntiatum, de illo videbunt, et qui non audierunt intelligent (Is. 65, 1).

Verumtamen, dilectissimi, si consideremus, de illo pariete circumcissionis prius nata est ista benedictio.

Ipsi primi habitaverunt in unum, qui omnia quae habebant, vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur. Et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat, et nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis communia.

Et quid est in unum? *Et erat illis,* inquit, *anima una et cor unum in Deum* (Act. I, II, IV). Ergo ipsi prius audierunt ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Primi audierunt, sed non soli audierunt, non enim usque ad illos ista dilectio et unitas fratrum venit. Venit enim et ad posteros ista caritatis exultatio, et votum Deo.

Vovetur enim aliquid Deo, et dictum est, *vovete et reddite Domino Deo vestro* (Ps. 75, 12). *Melius est autem non*

vovere, quam vovere et non reddere (Eccle. V, 4). Sed debet esse impiger animus, ut et voveat et reddat; ne cum se minus idoneum putat ad reddendum, piger sit ad vovendum. Plane numquam reddet, si de suo putaverit redditurum. Ex voce hujus psalmi apellati sunt et monachi.

Verumtamen, carissimi, sunt et qui monachi falsi sunt, et nos novimus tales; sed non periit fraternitas pia, propter eos qui profitentur quod non sunt.

Tam sunt enim monachi falsi, quam et clerici falsi, et fideles falsi. Omnia genera, fratres mei, tria quae aliquando vobis commendavimus, et ut puto non semel, habent bonos suos, habent malos suos [1]. De tribus enim ipsis generibus dictum est: duo in agro, unus assumetur et unus relinquetur; et duo in lecto, unus assumetur, et unus relinquetur (Mt. XXIV, 40): et duae in molendino, una assumetur, et una relinquetur (Lc. VII, 34).

In agro sunt, qui gubernant Ecclesiam. Unde dicit Apostolus, videte si non in agro erat, *ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit* (I Cor. III, 6).

In lecto autem eos intelligi voluit, qui amaverunt quietem; per lectum enim quietem voluit intelligi, non se miscentes turbis, non tumultui generis humani, in otio servientes Deo: et inde tamen unus assumetur, et unus relinquetur.

Dicit Ezechiel de personis in quibus non absurde tria haec genera intelligimus. *Cum miserit Dominus gladium in terram, etsi fuerint in medio eorum Noe, Daniel et Job, non liberabunt filios, neque filias; sed ipsi soli salvi erunt* (Ezech. XIV, 13). Jam illi olim liberati sunt, sed in istis tribus nominibus tria genera quaedam significavit

[1] Cf. infra n. 153.

Noe significat rectores Ecclesiae, quia ipse arcam in diluvio gubernavit. Daniel autem vitam quietam elegit, in caelibatu servire Deo, id est, uxorem non quaerens. Erat vir sanctus, in desideriis caelestibus vitam gerens (Dan. VI, 22); tentatus in multis, et inventus aurum obrizum. Quam quietus erat, qui inter leones securus erat? Ergo in nomine Danielis, qui etiam vir desideriorum (Dan. X, 11) est appellatus, sed utique castorum atque sanctorum, significantur servi Dei, de quibus dicitur: ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.

In nomine Job significatur una illa de molendino, quae assumetur; habebat enim uxorem, habebat filios, habebat multas divitias.

Insultant nobis de nomine monachorum, et quia fratres, cum vident homines, *Deo gratias* dicunt. Sed qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Num enim non est locus gratulationis, quando se invicem vident qui habitant in Christo?

Et quare ergo nos non appellemus monachos, cum dicat psalmus: ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum? *Monos* enim unus dicitur: et non unus quomodocumque; nam et in turba est unus, sed una cum multis unus dici potest, monos non potest, id est, solus; monos enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis vere quod scriptum est, una anima et unum cor (Act. IV, 32); multa corpora, sed non multae animae; multa corpora, sed non multa corda, recte dicitur monos, id est, unus solus.

Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Ostendebat, qui dicebat, ecce. Videmus et

nos, fratres, et benedicimus Deum, et oramus ut dicamus et nos, ecce quam bonum.

Sicut unguentum quod descendit in barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus. Aaron quid erat? Sacerdos. Quis est sacerdos, nisi unus sacerdos, qui intravit in sancta sanctorum? Quis est iste sacerdos, nisi qui fuit et victima et sacerdos, nisi ille qui, cum in mundo non inveniret mundum quod offerret, se ipsum obtulit? In capite ipsius unguentum; quia totus Christus cum Ecclesia; sed a capite venit unguentum.

Sed descendit etiam in oram vestimenti ejus: secuta est Ecclesia, de veste Domini peperit monasteria. Nam vestis sacerdotalis Ecclesiam significat. Ipsa est vestis de qua dicit Apostolus: *ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam* (Ephes. V, 27). Mundatur, ut non habeat maculam; extenditur ut non habeat rugam. Ubi eam extendit fullo, nisi in ligno? Videmus cotidie a fullonibus tunicas quodam modo crucifigi: crucifiguntur, ut rugam non habeant.

Sed in ora perfectionem intelligimus, quia in ora vestimentum perficitur, et illi perfecti qui norunt habitare in unum. Illi perfecti qui legem implent. Quomodo autem impletur lex Christi ab eis qui habitant fratres in unum? Audi Apostolum: *invicem onera vestra portate, et sic implebitis legem Christi* (Gal. VI, 2). Haec est ora vestimenti. Et quomodo per oras intrat caput hominis, ut vestiat se; sic per concordiam fraternam Christus intrat, qui est caput nostrum, ut vestiatur, ut Ecclesia illi haereat.

Quid aliud dicit? *Sicut ros Hermon, qui descendit super montes Sion.* Hoc voluit intelligi, fratres mei, gratiam Dei esse quod fratres habitant in unum, non ex suis vi-

ribus, non ex suis meritis; sed ex illius dono, sed ex illius gratia, sicut ros de caelo.

Ex Christo venit ros. Quicumque ergo vultis habitare in unum, optate rorem istum, compluimini inde. Alioqui non poteritis tenere quod profitemini, nec profiteri audere poteritis, nisi ille intonuerit; nec permanere poteritis, nisi ejus sagina non desit vobis: ipsa enim sagina descendit super montes Sion.

Jam montes Sion, magni in Sion, id est, in Ecclesia. Magni significantur per montes et per oram vestimenti. Non ergo habitant in unum, nisi in quibus perfecta fuerit caritas Christi. Nam in quibus non est perfecta caritas Christi, et cum in uno sint, odiosi sunt, molesti sunt, turbulenti sunt, anxietate sua turbant ceteros, et quaerunt quid de illis dicant: quomodo in junctura inquietum jumentum non solum non trahit, sed et frangit calcibus quod junctum est.

Si autem habet rorem Hermon, qui descendit super montes Sion, quietus, placatus, humilis, tolerans, pro murmure precem fundit.

Nam murmuratores omnes magnifice descripti sunt quodam loco Scripturarum: *praecordia fatui sicut rota carri* (Eccli. XXXIII, 5). Quid est, praecordia fatui sicut rota carri? Fenum portat, et murmurat. Non potest enim rota carri quiescere a murmure. Sic sunt multi fratres, non habitant in unum nisi corpore.

Sed qui sunt, qui habitant in unum? Illi de quibus dictum est: *et erat illis anima una, cor unum in Deum: et nemo dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. Quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem* (Ps. 132, 3). Ubi mandavit? In fratribus qui habitant in unum. Ibi praecepit benedictionem, ibi benedi-

cunt Dominum, qui habitant concorditer. Nam in discordia non benedicis Dominum. Sine causa dicis quia lingua tua sonat benedictionem Domini, si corde non sones. Ore benedicis, et corde maledicis. *Ore suo benedicebant et corde suo maledicebant* (Ps. 61, 5).

Numquid verba nostra sunt? Significati sunt quidam. Benedicis Dominum, cum oras; et sequeris in prece tua, et maledicis inimico tuo. Hoc est quod audistis ab ipso Domino: diligite inimicos vestros? Si autem facias, et diligas inimicum tuum et ores pro eo, ibi mandavit Dominus benedictionem suam, ibi habebis vitam in saeculum, id est, in aeternum [1].

153.—*Exhortor omnes, vox Dei omnes hortatur: sustinentes invicem,* ait Apostolus, *in dilectione, satagentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (Ephes. IV, 2).

Sustinentes invicem: non habes quod in te alius sustineat? Miror si non est; sed ecce non sit, eo robustior es ad ceteros sustinendos, quo jam non habes quod in te alii sustineant. Non sustineris, sustine ceteros.

Non possum, inquis. Ergo habes quod et in te alii sustineant: sustinentes invicem in dilectione.

Separabo me, inquit aliquis, cum paucis bonis, cum illis mihi bene erit. Nam nulli prodesse impium et crudele est. Non me hoc docuit Dominus meus. Non damnavit servum, qui intervertit quod accepit, sed qui non erogavit. Intelligatur poena interversoris ex poena pigri. Serve nequam et piger, ait Dominus damnans: non ait, intervertisti pecuniam meam; non ait, dedi tibi, et non mihi quod dedi integrum reddidisti: quia non crevit, quia non erogasti, inde te puniam. Avarus est Deus salutis nostrae.

---

[1] Enar. in Ps. 132, nn. 1-13.

Ergo separabo me, inquit, cum paucis bonis: quid mihi est rationem habere cum turbis? Bene, pauci ipsi boni de quibus turbis sunt eliquati? Si tamen jam ipsi pauci, omnes boni; tamen bona cogitatio humana, laudabilis, esse cum talibus qui elegerunt vitam quietam; remoti a strepitu populari, a turbis inquietis, a magnibus fluctibus saeculi, tamquam in portu sunt.

Jam ergo ibi gaudium illud? Jam ibi jubilatio illa quae promittitur? Nondum; sed adhuc gemitus, adhuc sollicitudo tentationum.

Habet enim alicunde et portus aditum: si portus aditum ex nulla parte haberet, nulla in eum navis intraret; oportet ergo ut ex aliqua parte pateat: aliquando autem per eam partem qua patet, ventus irruit, et ubi scopuli non sunt, naves se invicem collisae confrigunt. Ubi ergo securitas si nec in portu?

Et tamen utcumque feliciores in portu quam in pelago fatendum est, concedendum est, verum est. Ament se, naves in portu bene sibi applicantur, non sibi colligantur: servetur ibi parilitas aequabilitatis, constantia caritatis: et quando forte ventus ex illa parte qua patet, irruerit, sit ibi cauta gubernatio.

Nam quid dicturus est mihi, quisquis talibus locis forte praeest, imo servit fratribus, in his quae monasteria dicuntur, quid dicturus est? Cautus ero, nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum; cum paucis bonis bene mihi erit.

Ubi cognoscis quem forte vis excludere? Ut cognoscatur malus intus probandus est: quomodo ergo excludis intraturum, qui postea probandus est, et probari

nisi intraverit non potest? Repelles omnes malos? Dicis enim, et nosti inspicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt? Qui intraturi sunt, ipsi se non noverunt; quanto minus tu? Multi enim sibi promiserunt quod impleturi essent illam vitam sanctam, in commune habentem omnia, ubi nemo dicit aliquid suum, quibus est una anima et cor unum in Deum: misi sunt in fornacem et crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum qui sibi ipse adhuc ignotus est? Excludes malos fratres a conventu bonorum?

De corde tuo, quisquis ista dicis, omnes malas cogitationes, si potes, exclude: non intret in cor tuum vel suggestio mala. Non consentio, inquis. Sed intravit tamen, ut suggereret. Nam omnes munita corda habere volumus, ut nihil intret quod male suggeratur. Unde autem intret, quis novit? Et pugnamus cotidie in uno corde nostro; unus homo in corde suo cum turba luctatur. Suggerit avaritia, suggerit libido, suggerit voracitas, suggerit laetitia ista popularis; omnia suggerunt, ab omnibus se continet, omnibus respondet, ab omnibus aversatur; difficile est ut non ab aliqua feriatur.

Ubi ergo securitas? Hic nusquam, in ista vita nusquam, nisi in sola spe promissorum Dei. Ibi autem, cum illuc pervenerimus, perfecta securitas, cum clauduntur portae, et confirmantur vectes portarum Jerusalem (Ps. 147, 13): ibi vere plena jubilatio et magnum gaudium. Modo autem ne securus laudes quamlibet vitam, *ante mortem ne laudes hominem quemquam* (Eccli. XI, 30).

Hinc autem falluntur homines, ut vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur; quia et cum laudare volunt, sic laudant, ut non ibi dicant mala, quae mixta sunt; et qui vituperare volunt, tam invido animo

et perverso vituperant, ut claudant oculos adversus bona, et sola mala quae ibi vel sunt, vel putantur, exaggerant.

Inde fit ut unaquaeque professio male laudata, id est, non caute laudata, cum invitaverit homines laude sua, inveniant illi qui illuc veniunt, aliquos quales ibi esse non credebant: et offensi a malis, resiliant a bonis.

Fratres, disciplinam istam ad vitam vestram conferte, et sic audite ut vivatis. Laudatur, ut generaliter dicam, Ecclesia Dei: magni homines christiani, soli christiani, magna Catholica, diligunt omnes, impendunt sibi quisque quod possunt, orationibus, jejuniis, hymnis vacatur per totum orbem terrarum, una consensione pacis laudatur Deus.

Audit forte qui nescit tacitum esse de commixtis malis, venit laude invitatus, invenit commixtos malos, qui non illi praedicti sunt antequam veniret; offenditur a falsis christianis, refugit a veris christianis. Rursus odiosi, maledici, irruunt in vituperationem: quales christiani! Qui christiani! Avari, feneratores. Nonne ipsi sunt qui theatra et amphiteatra implent per ludos et per alia spectacula, qui implent ecclesias per dies festos? Ebriosi, voraces, invidi, insectatores alterutrum. Sunt tales, sed non soli tales. Et iste vituperator caeco animo tacet bonos, et ille laudator incauto animo tacet malos.

Si autem sic laudatur in hoc tempore Ecclesia Dei, quomodo laudant Scripturae Dei, ecce quomodo nunc dixi: *sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum* (Cant. II, 2). Audit homo, considerat, placet illi lilium, intrat, adhaeret lilio, tolerat spinas; merebitur esse in laude et in oculis sponsi, qui dicit: sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.

Ita et in clericis. Laudatores clericorum intendunt ibi bonos ministros, fideles dispensatores, omnium toleratores, viscera sua impendentes his quos volunt proficere, non *quaerentes quae sua sunt, sed quae Jesu Christi* (Philip. II, 21). Laudant haec, obliviscuntur quia mixti sunt malis. Rursus qui reprehendunt avaritiam clericorum, improbitates clericorum, lites clericorum, appetentes res alienas, ebriosos, voraces, jactant. Et tu invide vituperas, et tu incaute laudas: tu qui laudas, dic mixtos malos; tu qui vituperas, vide ibi et bonos.

Sic et in illa vita communi fratrum, quae est in monasterio: magni viri, sancti, cotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde vivunt, cum lectione illis res est; laborant manibus suis, inde se transigunt; non avare aliquid petunt, quidquid eis infertur a piis fratribus, cum sufficientia et cum caritate utuntur; nemo sibi usurpat aliquid, quod alter non habeat; omnes se diligunt, omnes invicem se sustinent.

Laudasti, laudasti: qui nescit quid interius agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naves se in portu collidunt, intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus; invenit ibi fratres malos, qui mali inveniri non possent, nisi admitterentur: et necesse est ut primo tolerentur, ne forte corrigantur; nec excludi facile possunt, nisi prius fuerint tolerati, et fit ipse intolerandae impatientiae.

Quis me huc quaerebat? Ego putabam quia caritas est hic. Et paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseveraverit implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, et reus voti non redditi.

Jamvero cum inde exierit, fit et ipse vituperator et maledicus, et dicit ea sola quae quasi se pati non po-

tuisse asseverat; et aliquando vera. Sed vera malorum toleranda sunt propter societatem bonorum. Dicit illi Scriptura: *vae his qui perdiderunt sustinentiam* (Eccli. II, 16). Et quod est amplius, ructat indignationis malum odorem, unde absterreat intraturos; quia ipse cum intrasset, perdurare non potuit. Quales illi? Invidi, litigatores, neminem sustinentes, avari: ille ibi fecit, et ille ibi illud fecit. O male, quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti, jactas; qui te malum toleraverunt taces.

Nemo vos fallat, fratres: si non vultis falli, et vultis amare fratres, scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas: sunt christiani mali, sed sunt et boni. Quasi plures malos vides, quia palea sunt, et te ad grana pervenire non permittunt (Mt. III, 12): sunt ibi et grana, accede, tenta, excute, adhibe oris judicium.

Invenis sanctimoniales indisciplinatas; nunquid ideo sanctimonium reprehendendum est? Multae non stant in domibus suis, circumeunt domos alienas, curiose agentes, loquentes quae non oportet, superbae, linguatae (I Tim. V, 13); etsi virgines sunt, quid prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile conjugium, quam superba virginitas.

Si enim nuberet, non haberet nomen unde extolleretur, et haberet frenum quo regeretur. Sed numquid propter virgines malas, damnaturi sumus sanctas et corpore et spiritu (I Cor. VII, 34)? Aut propter istas laudabiles, etiam illas improbandas laudare cogemur? Undique unus assumetur, et unus relinquetur [1].

---

[1] Enar. in Ps. 199, nn. 10-13, Cf. etiam Enar. I in Ps. 36, serm. I, nn. 2, 3.

Simpliciter fateor caritati vestrae coram Domino nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire coepi, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderunt, ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: *justus justior fiat, et sordibus sordescat adhuc* (Apoc. XXII, 11).

Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecae Dominicae fructu olei luminosioris implentur. Domini Dei nostri misericordia vos adversus omnes insidias inimici in sua pace custodiat, dilectissimi fratres [1].

154.—Quando quietem vestram cogitamus, quam habetis in Christo, etiam nos, quamvis in laboribus variis asperisque versemur, in vestra caritate requiescimus. Unum enim corpus sub uno capite sumus, ut et vos in nobis negotiosi, et nos in vobis otiosi simus. *Quia si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra* (I, Cor. XII, 26).

Admonemus ergo et petimus et obsecramus per Christi altissimam humilitatem et misericordissimam celsitudinem, ut nostri memores sitis in sanctis orationibus vestris, quas vos vigilantiores et magis sobrias habere credimus: nostras enim saepe sauciat et debilitat caligo et tumultus saecularium actionum; quas etsi nostras non habemus, eorum tamen qui nos angariant mille passus, et jubemur ire cum eis alia duo (Mt. V, 41), tantae nobis

[1] Epist. 78, n. 9 (a. 137).

ingeruntur, ut vix respirare possimus: credentes tamen quod ille in cujus conspectu intrat gemitus compeditorum, perseverantes nos in eo ministerio, in quo dignatus est collocare cum promissa mercede, adjuvantibus orationibus vestris ab omni angustia liberabit.

Vos autem, fratres, exhortamur in Domino ut propositum vestrum custodiatis, et usque in finem perseveretis: ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo; cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet mansuetos vias suas (Ps. 24, 9).

Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiae praeponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inveniretis.

Sic ergo, dilectissimi, diligite otium [1] ut vos ab omni terrena delectatione refrenetis, et memineritis nullum locum esse, ubi non possit laqueos tendere, qui timet ne revolemus ad Deum et inimicum omnium bonorum, cujus captivi fuimus judicemus, nullamque nobis esse perfectam requiem cogitemus, donec transeat iniquitas, et in judicium justitia convertatur.

Item cum aliquid strenue atque alacriter agitis et impigre operamini, sive in orationibus, sive in jejuniis, sive in eleemosynis; vel tribuentes aliquid indigentibus, vel donantes injurias, sicut et Deus in Christo donavit nobis: sive domantes perniciosas consuetudines, castigantesque corpus, et servituti subjicientes; sive suffe-

---

[1] Otium a divo Augustino sumitur hic et aliis locis pro oratione et contemplatione, et pro ipsa vita religiosa. Scribens ad Bonifacium comitem, qui religionem ingredi optabat, dicit: Omnes actus publicos quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, et te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei monachi vivunt (Epist. 220, n. 3).

rentes tribulationem, et ante omnia vos ipsos invicem in dilectione. Quid enim sufferat qui fratrem non suffert, sive prospicientes astutiam atque insidias tentatoris, et scuto fidei jacula ejus ignita repellentes et extinguentes; sive cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, vel vocibus a corde non dissonis, omnia in gloriam Dei facite, qui operatur omnia in omnibus; atque ita fervete spiritu, ut in Domino laudetur anima vestra.

Ipse est enim actio recti itineris, quae oculos semper habet ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes. Talis actio nec frangitur negotio, nec frigida est otio, nec turbulenta, nec marcida est; nec audax, nec fugax, nec praeceps, nec jacens. Haec agite, et Deus pacis erit vobiscum [1].

Quid agant qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero.

Orationibus, inquiunt, et psalmis, et lectioni et verbo Dei. Sancta plane vita et Christi suavitate laudabilis; sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsae escae cotidie praeparandae, ut possint apponi et assumi.

Si autem ad ista vacare servos Dei certis intervallis temporum ipsius infirmitatis necessitas cogit, cur non et apostolicis praeceptis de laborando aliquas partes temporum deputamus?

Citius enim exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris.

Cantica vero divina cantare, etiam manibus operantes facile possunt, et ipsum laborem tamquam divino celeumate consolari.

An ignoramus omnes opifices quibus vanitatibus et

[1] Epist. 48 ad Eudoxium abbat. nn. 1-3.

plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda et linguas suas, cum manus ab opere non recedant?

Quid ergo impedit servum Dei manibus operantem in lege Domini meditari et psallere nomini Domini Altissimi; ita sane ut ad ea discenda, quae memoriter recolat, habeat seposita tempora? Ad hoc enim et illa bona opera fidelium, subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, ut horae quibus ad erudiendum animum ita vacatur, ut illa opera corporalia geri non possint, non opprimant egestate.

Qui autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inveniunt quae praecipit Apostolus? Quae est ista ergo perversitas; lectioni nolle obtemperare dum vult ei vacare, et ut quod bonum est diutius legatur, ideo facere nolle quod legitur? Quis enim nesciat tanto citius quemque proficere cum bona legit, quanto citius facit quod legit? [1].

Non alligamus onera gravia, et vestris humeris imponimus quae nos digito attingere nolumus (Mt. XXIII, 4). Quaerite et agnoscite labores occupationum nostrarum, et in aliquibus nostrorum etiam corporum infirmitates, et Ecclesiarum quibus servimus talem jam consuetudinem, ut nos ad illa opera ad quae vos hortamur, vacare non sinant.

Quamquam enim dicere possimus: *quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit?* (I Cor. V, 7).

Tamen Dominum Jesum, in cujus nomine securus haec dico, testem invoco super animam meam, quoniam

---

[1] De opere monach. n. 20.

quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, et ceteras horas habere ad legendum et orandum, aut aliquid de divinis Litteris agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis saecularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo praecidendis: quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus qui per eum loquebatur arbitrio, quas tamen ipsum perpessum fuisse non legimus.

Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vitae aeternae, ut fructum feramus cum tolerantia. Servi enim sumus ejus Ecclesiae, et maxime infirmioribus membris, qualialibet in eodem corpore membra simus. Omitto alias innumerabiles ecclesiasticas curas, quas fortasse nemo credit nisi qui expertus est [1].

Omnes religiosi unanimiter et concorditer vivite, et honorate in vobis invicem Deum, cujus templa facti estis. Orationibus instate, horis et temporibus constitutis. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit: ut si forte aliqui etiam praeter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerit, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint. Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce. Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum; quod autem non ita scriptum est ut cantetur, non cantetur.

Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis; ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et

---

[1] De opere monach. n. 37.

animam faciat homicidam. Sic enim legitis: *qui odit fratrem suum, homicida est* (I, Jo. III, 15).

Quicumque convicio vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem laesit, meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit, et ille qui laesus est, sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se laeserint, invicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras: quas utique quanto crebriores habetis, tanto saniores habere debetis.

Melior est enim qui quamvis ira saepe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam; quam qui tardius irascitur, et ad veniam petendam difficilius inclinatur. *Qui non vult dimittere fratri, non speret accipere orationis effectum.* Qui autem numquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non projiciatur [1].

155.— Concionatores orare debent. Agit itaque noster iste eloquens, cum et justa et sancta et bona dicit, neque enim alia debet dicere: agit ergo quantum potest cum ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: haec se posse, si potuerit, et in quantum potuerit, pietate magis orationum quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator antequam dictor. Ipsa hora jam ut dicat accedens, prius quam exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat.

Cum enim de unaquaque re, quae secundum fidem di-

[1] Regula ad serv. Dei, nn. 3, 10. Cf. Epist. ad Sanctimoniales, nn. 7, 14.

lectionemque tractanda sunt, multa sint quae dicantur, et multi modi quibus dicantur ab eis, qui haec sciunt; quis novit quid ad praesens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit ut quod oportet, et quemadmodum oportet, dicatur a nobis, nisi in cujus manu sunt et nos et sermones nostri?

Ac per hoc discat quidem omnia, quae docenda sunt, qui et nosse vult et docere (Sap. VII, 16); facultatemque dicendi, ut decet virum ecclesiasticum, comparet; ad horam vero ipsius dictionis, illud potius bonae menti cogitet convenire quod Dominus ait: *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Mt. X, 19). Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non et in eis, qui tradunt discentibus Christum? [1].

Quisquis autem dicit non esse hominibus praecipiendum quid vel quemadmodum doceant, si doctores sanctus efficit Spiritus, potest dicere nec orandum nobis esse, quia Dominus ait: *scit Pater vester quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo* (Mt. VI, 8): aut Apostolum Paulum Timotheo et Tito non debuisse praecipere, quid vel quemadmodum praeciperent aliis.

Quas tres apostolicas Epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita.

Nonne in prima ad Timotheum legitur, annuntia haec et doce? Nonne ibi est, *seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (I Tim. IV, 11)? Nonne in secunda ei dicitur: *formam habe verborum sanorum, quae a me audis-*

---

[1] De doctr. christ. libr. IV, cp. XV.

ti (V, 1)? Nonne ibi et dicitur, *satis age, te ipsum probabilem operarium exhibens Deo non erubescentem, verbum veritatis recte tractantem* (II Tim. I, 13)? Ubi est et illud, *praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni longanimitate et doctrina* (II Tim. IV, 2)?

Quid ergo putamus, numquid contra seipsum sentit Apostolus qui cum dicat doctores operatione fieri Spiritus sancti, ipse illis praecipit quid et quemadmodum doceant? An intelligendum est, et hominum officia ipso sancto Spiritu largiente, in docendis etiam ipsis doctoribus non debere cessare: et tamen neque qui plantat est aliquid neque qui rigat; sed Deum, qui incrementum dat (I Cor. III, 7)?

Unde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis Angelis operantibus, nemo recte discit, quae pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat a Deo docilis Deo, cui dicitur in psalmo: *doce me facere voluntatem tuam, quoniam tu es Deus meus* (Ps. 142, 10). Unde et ipsi Timotheo item dicit Apostolus, loquens utique ad discipulum doctor: *tu autem persevera in iis quae didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris* (I Tim. III, 14).

Sicut enim corporis medicamenta, quae hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutem, qui et sine illis mederi potest, cum sine ipso illa non possint, et tamen adhibentur; et si hoc officiose fiat, inter opera misericordiae vel beneficentiae deputatur, ita et adjumenta doctrinae tunc prosunt animae adhibita per hominem, cum Deus operatur ut prosint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus, neque per hominem [1].

---

[1] De doctr. christ. libr. IV, cp. XVI.

Qui ergo nititur dicendo persuadere quod bonum est, nihil horum trium spernens, ut scilicet doceat, ut delectet, ut flectat, oret atque agat, ut quemadmodum supra diximus, intelligenter, libenter, obedienterque audiatur.

Quod cum apte et convenienter facit, non immerito eloquens dici potest, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad haec enim tria, id est, ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse romani auctor eloquii, cum itidem dixit: is igitur erit eloquens, qui poterit parva submisse, modica temperate, magna granditer dicere (Cic. de Orat.): tamquam si adderet illa etiam tria, et sic explicaret unam eamdemque sententiam dicens: is erit igitur eloquens, qui ut doceat, poterit parva submisse; ut delectet, modica temperate; ut flectat, magna granditer dicere [1].

Sive autem apud populum vel apud quoslibet jamjamque dicturus, sive quod apud populum dicendum vel ab eis qui voluerint aut potuerint legendum est dictaturus, oret ut Deus sermonem bonum det in os ejus. Si enim regina oravit Esther, pro suae gentis temporaria salute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret; quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat qui pro aeterna hominum salute in verbo et doctrina laborat? Illi vero qui ea dicturi sunt, quae ab aliis acceperunt, et antequam accipiant, orent pro eis a quibus accipiunt, ut eis detur quod per eos accipere volunt: et cum acceperint, orent ut bene et ipsi proferant, et illi ad quos proferunt, sumant: et de prospero exitu dictionis gratias agant, a quo se accepisse non dubitant: ut *qui gloriatur in illo glorietur, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri* (Sap. VII, 16) [2].

[1] De doctr. christ. libr. IV, cp. XVII.
[2] Ib. cp. 30. Cf. etiam de catechiz. rudibus cp. XI, XII.

156.—Sancti Aurelii Augustini oratio, quam post singulos sermones atque tractatus dicere consuevit. Conversi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque veras gratias agamus: precantes toto animo singularem mansuetudinem ejus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur: inimicum quoque a nostris actibus et cogitationibus sua virtute expellat, nobis fidem multiplicet, mentem gubernet, spiritales cogitationes concedat, et ad beatitudinem suam perducat: per Jesum Christum Filium suum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen [1].

157.—Orare debent qui studiis incumbunt. Quando autem sufficio lingua calami enuntiare omnia hortamenta tua, et omnes terrores tuos, et consolationes, et gubernationes quibus me perduxisti praedicare verbum, et sacramentum tuum dispensare populo tuo? Et si sufficio haec enuntiare ex ordine, caro mihi valent stillae temporum.

Et olim inardesco meditari in lege tua, et in ea tibi confiteri scientiam et imperitiam meam, primordia illuminationis tuae, et reliquias tenebrarum mearum, quo usque devoretur a fortitudine infirmitas, et nolo in aliud horae diffluant, quas invenio liberas a necessitatibus reficiendi corporis, et intentionis animi, et servitutis quam debemus hominibus, et quam non debemus, et tamen reddimus.

Domine Deus meus, intende orationi meae, et misericordia tua exaudiat desiderium meum, quoniam non

---

[1] Serm. 34 in Ps. 149, n. 9, et in fine Enar. Psalmorum.

mihi soli aestuat, sed usui vult esse fraternae caritati; et vides in corde meo, quia sic est.

Sacrificem tibi famulatum cogitationis et linguae meae, et da quod offeram tibi. *Inops enim et pauper sum; tu dives in omnes invocantes te* (Rom. X, 12), qui securus curam nostri geris. Circumcide ab omni temeritate omnique mendacio interiora et exteriora labia mea. Sint castae deliciae meae Scripturae tuae; nec fallar in eis, nec fallam ex eis.

Domine attende et miserere, Domine Deus meus, lux caecorum et virtus infirmorum; statimque lux videntium et virtus fortium, attende animam meam, et audi clamantem de profundo. Nam nisi adsint et in profundo aures tuae, quo ibimus, quo clamabimus? *Tuus est dies et tua est nox* (Ps 73, 16). Ad nutum tuum momenta transvolant. Largire inde spatium meditationibus nostris in abdita legis tuae, neque adversus pulsantes claudas eam. Neque enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta. Aut non habent illae sylvae cervos suos recipientes se in eas, et resumentes, ambulantes et pascentes, recumbentes et ruminantes? O Domine, perfice me, et revela mihi eas. Ecce vox tua gaudium meum, vox tua super affluentiam voluptatum. Da quod amo; amo enim, et hoc tu dedisti. Ne dona tua deseras, nec herbam tuam spernas sitientem. Confitear tibi quidquid invenero in libris tuis, et audiam vocem laudis (Ps. 25, 7), et te bibam, et considerem mirabilia de Lege tua, ab usque principio in quo fecisti caelum et terram, usque ad regnum tecum perpetuum sanctae civitatis tuae. Domine, miserere mei et exaudi desiderium meum. Puto enim quod non sit de terra, non de auro et argento et de lapidibus, aut decoris vestibus, aut honoribus et po-

testatibus, aut voluptatibus carnis, neque de necessariis corpori, et huic vitae peregrinationis nostrae, quae omnia nobis apponuntur quaerentibus regnum et justitiam tuam.

Vide, Domine Deus meus, unde sit desiderium meum. Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut lex tua, Domine. Ecce unde est desiderium meum. Vide, Pater, aspice, et vide, et approba, et placeat in conspectu misericordiae tuae invenire me gratiam ante te, ut aperiantur pulsanti mihi interiora sermonum tuorum.

Obsecro per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, virum dexterae tuae (Ps. 79, 18), filium hominis, quem confirmasti tibi mediatorem tuum et nostrum, per quem nos quaesisti non quaerentes te, quaesisti autem ut quaereremus te; verbum tuum per quod fecisti omnia, in quibus et me; Unicum tuum per quem vocasti in adoptionem populum credentium, in quo et me: per eum te obsecro *qui sedet ad dexteram tuam et te interpellat pro nobis, in quo sunt omnes thesauri sapientiae absconditi* (Colos. II, 3). Ipsum quaero in libris tuis. Moyses de illo scripsit (Jo. V, 46). Hoc ipse ait, hoc Veritas ait [1].

Audiam et intelligam quomodo in principio fecisti caelum et terram (Gen. I, 1). Scripsit hoc Moyses, scripsit et abiit, transivit hinc a te ad te; neque nunc ante me est; nam si esset, tenerem eum, et rogarem eum, et per te obsecrarem ut mihi ista panderet; et praeberem aures corporis mei, sonis erumpentibus ex ore ejus.

Cum ergo illum interrogare non possim, te, quo plenus ille vera dixit: Veritas, rogo te, Deus meus, rogo

---

1 Confes. libr. XI, cp. 2.

parce peccatis meis; et qui illi servo tuo dedisti haec dicere, da et mihi haec intelligere [1].

158.—Exarsit animus meus nosse istud implicatissimum aenigma, nimirum quomodo liceat tempus metiri. Noli claudere, Domine Deus meus, bone Pater, per Christum obsecro, noli claudere desiderio meo ista, et usitata et abdita, quominus in ea penetret, et dilucescant allucente misericordia tua, Domine.

Quem percontabor de his, et cui fructuosius confitebor imperitiam meam, nisi tibi cui non sunt molesta studia mea flammantia vehementer in Scripturas tuas? Da quod amo, amo enim, et hoc tu dedisti. Da, Pater, *qui vere nosti data bona dare filiis tuis* (Mt. VII, 11). Da, quoniam suscepi cognoscere, et labor est ante me, donec aperias. Per Christum obsecro, in nomine ejus sancti sanctorum nemo mihi obstrepat. *Et ego credidi, propter quod et loquor* (Ps. 115, 1).

Haec est spes mea; ad hanc vivo, ut contempler delectationem Domini. Ecce veteres posuisti dies meos (Ps. 38, 6), et transeunt, et quomodo nescio. Et dicimus tempus et tempus, tempora et tempora. Quandiu dixit hoc ille, quandiu fecit hoc ille, et quam longo tempore illud non vidi. Dicimus haec, et audimus haec, et intelligimur et intelligimus. Manifestissima et usitatissima sunt: et eadem rursus nimis latent, et nova est inventio eorum [1].

Multa satagit cor meum, Domine, in hac inopia vitae meae pulsatum verbis sanctae Scripturae tuae: et ideo plerumque in sermone copiosa est egestas humanae intelligentiae, quia plus loquitur inquisitio quam inventio,

---

1 Confess. lib. XI, cp. 3.

et longior est petitio quam impetratio, et operosior est manus pulsans, quam sumens.

Tenemus promissum, quis corrumpet illud? *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (Rom. VIII, 31)? *Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et quaerens invenit, et pulsanti aperietur* (Mt. VII, 7). Promissa tua sunt; et quis falli timeat, cum promittit Veritas? [1].

O Veritas lumen cordis mei, non tenebrae meae loquantur mihi. Defluxi ad ista, et obscuratus sum, sed hinc etiam, hinc adamavi te. Erravi et recordatus sum tui. Audivi vocem tuam post me ut redirem, et vix audivi propter tumultus impacatorum.

Et nunc ecce redeo aestuans et anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat, hunc bibam, et hinc vivam. Non ego vita mea sim; male vixi ex me, mors mihi fui, in te revivisco. Tu me alloquere, tu mihi sermocinare. Credidi Libris tuis, et verba eorum arcana valde [2].

Rationem ipse mecum habui magnamque deliberationem jam in Italia constitutus, non utrum manerem in secta manichaea, in quam me incidisse poenitebat, sed quonam modo verum inveniendum esset, in cujus amorem suspiria mea nulli melius quam tibi nota sunt.

Saepe mihi videbatur non posse inveniri, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragium ferebatur. Saepe rursus intuens quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quaerendi modus lateret, eumdemque ipsum modum ab aliqua divina auctoritate esse sumendum.

---

[1] Confess. lib. XI, cp. 22.
[2] Confess. lib. XII, cp. 1.

Restabat quaerere, quaenam illa esset auctoritas: cum in tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis sylva, cui demum inseri multum pigebat: atque inter haec sine ulla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisque ab istis, quos jam deserere proposueram.

Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacrimosis et miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer: atque id sedulo faciebam [1].

Quamobrem tametsi docere non valeo, monere tamen non desino; ut quoniam multi se sapientes videri volunt, neque utrum sint stulti, dignoscere facile est; omni intentione, votisque omnibus, gemitibus denique, vel etiam si fieri potest, fletibus Deum deprecere, ut te ab erroris malo liberet, si tibi beata vita cordi est.

Quod facilius fiet, praeceptis ejus, quae tanta Ecclesiae catholicae firmata esse voluit, libens obtemperes. Cum enim sapiens sit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separet; Deus enim est veritas, nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat: negare non possumus inter stultitiam hominis et sincerissimam Dei veritatem medium quiddam interpositam esse hominis sapientiam [2].

Quamobrem si quid te vel ratio, vel oratio nostra commovit, et si veram ut credo, curam tui geris; velim me audias, et bonis praeceptoribus catholicae Christianitatis te pia fide, alacri spe, simplici caritati committas: Deumque ipsum, cujus unius et bonitate facti sumus, et

---

[1] De utilitate credendi, n. 20.
[2] De utilit. credendi, n. 33.

justitia poenas luimus, et clementia liberemur, orare non cesses.

Ita tibi neque praecepta et disputationes doctissimorum hominum et vere christianorum, neque libri, neque serenae ipsae cogitationes defuerint, quibus facile quod quaeris invenias [1].

159.—Peccatores orare debent, et ex misericordia exaudiuntur. Nescio quid potest movere in verbis illius qui caecus erat, et forte multos non bene intelligentes facit desperare.

Ait enim inter cetera sua verba idem cui oculi aperti sunt; *scimus quia peccatores Deus non exaudit* (Jo. IX, 31)

Quid facimus si peccatores Deus non exaudit? Audemus rogare Deum, si peccatores Deus non exaudit?

Date mihi qui roget, ecce est qui exaudiat. Date qui roget, discutite genus humanum ab imperfectis ad perfectos. Sed forte spiritales rogant et exaudiuntur, quia non sunt peccatores.

Quid faciunt carnales? Peribunt? Deum non rogabunt? Absit. Da mihi illum publicanum. Veni, publicane; sta in medio, ostende tuam spem, ne infirmi perdant spem.

Ecce enim ascendit publicanus cum pharisaeo orare, et dejecta facie in terra, dicebat longe stans, tundens pectus: *Domine, propitius esto mihi peccatori: et descendit justificatus magis, quam ille pharisaeus* (Lc. XVIII, 13). Qui dixit, propitius esto mihi peccatori; verum dixit an falsum? Si verum dixit, peccator erat et exauditus est, et justificatus est. Quid est ergo quod dixisti tu, cui Dominus oculos aperuit, scimus quia peccatores Deus

[1] Ib. n. 36.

non exaudit? Ecce peccatores Deus exaudit. Sed lava interiorem faciem tuam, fiat in corde, quod factum est et in facie tua: et videbis quia peccatores Deus exaudit. Fefellit te imaginatio cordis tui.

Incumbite ergo orationibus, peccatores, confitemini peccata vestra, orate ut deleantur, orate ut minuantur, orate ut vobis proficientibus ipsa deficiant: tamen nolite desperare et peccatores orate. Quis enim non peccavit? A sacerdotibus incipe. Sacerdotibus dixit: *Prius oferte sacrificia pro peccatis vestris, et sic pro populo* (Levi. XVI, 6: Hebr. VII, 27). Sed forte sacerdotes veteris populi peccatores erant, novi populi non sunt peccatores.

Certe, fratres, quia Deus voluit, sacerdos ipsius sum, peccator sum, vobiscum pectus tundo, vobiscum veniam rogo, vobiscum Deum propitium spero.

Sed forte Apostoli sancti, primi pastores, forte ipsi non habebant peccatum. Vere habebant et ipsi, habebant: non irascuntur quia confitentur. Ego non auderem. Primum ipsum Dominum audi dicentem apostolis: Sic orate. Et inter caetera quae jussit orare, et hoc posuit: *dimitte nobis*. Quid dicunt Apostoli? Cotidie sibi debita petunt dimitti. Debitores intrant, absoluti exeunt, et ad orationem debitores redeunt. Ista vita non est sine peccato, ut quoties oratur, toties peccata dimittantur [1].

Vidistis caecum istum oculis fidei, vidistis etiam ex caeco videntem; sed audistis errantem. In quo errabat caecus iste, dico: primo quia Christum prophetam putabat, Dei Filium nesciebat. Deinde audivimus unam responsionem ipsius prorsus falsam: ait enim, *scimus quia peccatores Deus non exaudit.*

---

[1] Serm. 135 de verb. Jo. IX, nn. 6, 7.

Si peccatores Deus non exaudit, quam spem habemus? Si peccatores Deus non exaudit, ut quid oramus, et testimonium peccati nostri tunsione pectoris dicimus? Ubi est certe ille publicanus, qui cum pharisaeo ascendit in templum, et illo pharisaeo jactante, ventilante merita sua, ille stans longe, et oculis fixis in terra, et tundens pectus suum, confitebatur peccata sua? *Et descendit iste,* qui confitebatur peccata sua, *justificatus de templo, magis quam ille pharisaeus* (Lc. XVIII, 10).

Certe peccatores Deus exaudit. Sed ille qui ista dixit, nondum laverat faciem cordis de Siloa. In oculis ejus praecesserat sacramentum; sed in corde nondum erat effectum gratiae beneficium. Quando lavit faciem cordis sui caecus iste? Quando eum Dominus foras missum a Judaeis, intromisit ad se. Invenit enim eum, et dixit ei: *tu credis in Filium Dei*? *Et ille: quis est, Domine, ut credam in eum*?

Certe jam videbat oculis. Num jam corde? Nondum. Expectate: modo videbit. *Respondit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum* (Jo. IX, 35-37). Numquid dubitavit? Continuo faciem lavit. Loquebatur enim cum illo Siloa, quod interpretatur Missus. Quis est missus, nisi Christus, qui saepe testatus est dicens: voluntatem facio Patris mei, qui me misit. Ergo ipse erat Siloa. Accessit corde caecus, audivit, credidit, adoravit; faciem lavit, vidit [1].

Respondit ille homo caecus, et dixit eis, in hoc mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit; *sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra

[1] Serm. 136 de verb. Jo. IX, n. 2.

ille publicanus oculos in terram dimittens et pectus suum percutiens diceret: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Et ista confessio meruit justificationem, quomodo iste caecus illuminationem.

A saeculo non est auditum, quia aperuit oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. Libere, constanter, veraciter. Haec enim quae facta sunt a Domino, a quo fierent nisi a Deo? Aut quando a discipulis talia fierent, nisi in eis Dominus habitaret? [1].

160.—Sacerdos orans pro populo, quamvis peccator, exauditur. In Evangelio, dicebat Parmenianus donatista contra episcopos catholicos, scriptum est: Deus peccatores non audit; sed si quis Deum colit et voluntatem ejus facit, hunc audit. An propterea dicunt hoc, ut intelligatur malus episcopus non exaudiri, cum pro populo rogat?

Quod etsi ita esset, non ideo tamen populus, si bonus atque fidelis est, sollicitus esse deberet. Securos enim illos facit Scriptura quae ait: *Fratres, haec scribo vobis, ut non peccetis; sed si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (I Jo. II, 1).

Omnes homines christiani qui servant unitatem spiritus in vinculo pacis in suis orationibus de uno mediatore securi sunt.

Homines enim omnes christiani inv cem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque mediator est: cujus typus quoniam praefigurabatur in sacerdote veteris Testamenti, nullus illic invenitur orasse pro sacerdote.

---

[1] In Jo. Evang. Tract. 44, n. 13.

Paulus autem apostolus quamquam sub capite praecipuum membrum, sed tamen quia membrum est corporis Christi, et noverat non per figuram in interiora veli ad Sancta sanctorum (Hebr. IX, 12), sed per expressam et redditam veritatem in interiora caeli, ad sanctitatem non imaginariam, sed aeternam, pro nobis intrasse maximum et verissimum sacerdotem, Ecclesiae se orationibus et ipse commendat: nec mediatorem se facit inter populum et Deum, sed rogat ut pro se orent invicem omnia membra corporis Christi; quoniam pro invicem omnia sollicita sunt membra: et si glorificatur unum membrum, compatiuntur omnia membra, et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra; ac sic oratio pro invicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, ascendat ad caput quod praecessit in caelum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris.

Nam si esset mediator Paulus, essent utique et ceteri coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent; nec ipsi Paulo constaret ratio qua dixerat, *unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I Tim. II, 5).

In quo et nos unum sumus, si servemus unitatem spiritus in vinculo pacis; nec propter malos bonos deseramus, sed proter bonos malos sufferamus; ne cum defendere volumus, quod temeraria praesumptione reliquimus incognitos, cogamur majori scelere damnare inauditos.

Cum etiam certum sit, quia peccatores Deus audit, quod quidem invenitur in Scripturis. Balaam propheta non de populo Israel (Num. XXIV, 1), sed alienigena, conductus ab inimico, ut populo Dei malediceret, con-

versus a Domino ad benedicendum est; cujus verba omnia bene imprecantis audimus, et legimus; et cum aliud haberet in voto, verba tamen precantis et bona sunt, et pro populo exaudiuntur a Domino.

Unde non mirum est, verba bona quae pro populo dicuntur in precibus, etiamsi a malis dicantur episcopis, exaudiri tamen, non pro perversitate praepositorum, sed pro devotione populorum.

Verumtamen, quod scriptum est in Evangelio: Deus peccatores non audit, sed si quis Deum colit, et voluntatem ejus fecerit, ipsum exaudit, non a Domino dictum est, sed ab illo qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant; unde ipsum Dominum adhuc prophetam putabat. Nam eum postea cognitum Dei Filium adoravit.

Ipse autem Dominus, cum in uno templo orarent pharisaeus et publicanus, publicanum confitentem peccata sua magis justificatum dicit, quam pharisaeum jactantem merita sua, cui similes isti donatistae sunt.

Quamquam enim justificatus destiterit esse peccator, tamen ut justificaretur, peccator orabat, et peccator confitebatur, et exauditus justificatus est, ut desineret esse peccator. Non utique desineret esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator. Quamobrem non quidem omnem peccatorem exaudiri, sed tamen non omnem peccatorem non exaudiri veritas testis est [1].

161.—Omnes homines, cujuslibet sint condicionis, orare debent. *Exaudi, Domine, orationem meam, et clamor meus ad te perveniat* (Ps. 101, 2). Hoc est, exaudi, Domine, orationem meam, quod est, clamor meus ad te perveniat. In geminatione affectus petentis est. Ne aver-

[1] Contra Epist. Parmen. libr. II, nn. 15-17.

tas faciem tuam a me. In quacumque die tribulor, inclina aurem tuam a me. Tribulor enim deorsum, tu autem es sursum. Si me extollo, longe fis: si me humilio, inclinas aurem tuam ad me.

Sed quid est, in quacumque die tribulor, nunc enim non tribulatur? Tamquam unitas corporis: *si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (I Cor. XII, 26). Tribularis tu hodie, ego tribulor: tribulatur alius crastino, ego tribulor: post istam generationem alii posteri, qui succedunt posteris, tribulantur, ego tribulor: usque in finem saeculi, quicumque in meo corpore tribulantur, ego tribulor. In quacunque ergo die tribulor, inclina aurem tuam ad me. In quacumque die invocavero te, cito exaudi me.

Oravit Petrus, oravit Paulus, oraverunt ceteri Apostoli: oraverunt fideles temporibus illis, oraverunt fideles consequentibus temporibus, oraverunt fideles Martyrum temporibus, orant fideles nostris temporibus, orabunt fideles posterorum temporibus: in quacumque die invocavero te cito exaudi me; jam enim hoc rogo, quod dare vis. Non terrena quasi terrenus, sed ex prima captivitate jam redemptus, regnum caelorum desidero: cito enim exaudi me: non enim nisi tali desiderio dixisti: *Adhuc te loquente dicam: Ecce adsum* (Is. LVIII, 9). In quacumque die invocavero te cito exaudi me. Unde invocas? de qua tribulatione? de qua egestate? O pauper ante januam divitis Dei, quo desiderio mendicas? qua inopia requiris? qua egestate pulsas, ut aperiatur tibi? Dic, audiamus ipsam egestatem, in illa et nos ipsos inveniamus, et tecum rogemus. Audi, et agnosce, si potes. Quia defecerunt sicut fumus dies mei [1].

---

[1] Enar. in Ps. 101, Serm. I, nn. 3, 4.

Nemo dicat: manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Si vultis dicere, cras enim moriemur, non prohibeo; sed aliud ante dicite. Epicurei quippe velut non victuri post mortem, quasi aliud nihil habentes nisi quod delectat carnem, dicunt: Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.

Christiani vero post mortem victuri, et felices potius victuri post mortem, non dicant: manducemus et bibamus, cras enim moriemur; sed tenete quod dicitur: cras enim moriemur, et dicite: jejunemus et oremus, cras enim moriemur.

Addo plane aliud, addo tertium, nec quod praecipue observandum est praetermitto, ut de jejunio tuo fames pauperis satietur: aut si jejunare non potest, magis pascas, cujus saturitate tibi venia concedatur.

Dicant ergo Christiani: jejunemus et oremus et donemus, cras enim moriemur. Aut si duas res volunt dicere, ego eligo ut dicant: Donemus et oremus, quam jejunemus et non donemus [1].

Ideo dicimus, fratres, orate quantum potestis. Abundant mala, et Deus voluit ut abundarent mala. Utinam non abundarent mali, et non abundarent mala.

Mala tempora, laboriosa tempora, hoc dicumt homines. Bene vivamus, et bona sunt tempora. Nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora [2].

Noli existimare neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat. In his erat sanctus David, cui Deus tam magnum perhibuit testimonium. Alii ergo pro vobis orando pugnant invisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros. Utinam

---

[1] Serm. 150, de verbis Act. Apost. XVII, n. 7.
[2] Serm. 80 de verbis Mt. XVII, n. 8.

una fides esset in omnibus, quia et minus laboraretur et facilius diabolus cum angelis suis vinceretur [1].

Haec omnia considerans, et si quid aliud de hac re tibi Dominus insinuaverit, quod vel mihi non occurrit, vel dici a me longum fuit, concerta in oratione vincere hoc saeculum, ora in spe, ora fideliter et amanter, ora instanter atque patienter, ora sicut vidua Christi.

Quamvis enim ad omnia membra ejus, hoc est, ad omnes qui in eum credunt, et ejus corpori sociantur, sicut docuit orare pertineat: specialiter tamen diligentior cura orationum in Scripturis ejus viduis invenitur injuncta.

Nam duae fuerunt Annae honorabiliter nominatae, una conjugata quae sanctum Samuelem peperit: alia vidua quae Sanctum sanctorum, cum adhuc infans esset, agnovit (I Reg. I, 2: Lc. II, 26).

Oravit et conjugata in dolore animi et afflictione cordis, quia filios non habebat; tunc ipsum Samuelem impetravit, et acceptum Deo reddidit, quia cum posceret, vovit (I Reg. I, 11).

De illa vero Anna vidua, vide quid scriptum sit; *quia non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die* (Luc. 2, 37).

Nec aliunde Apostolus, quod et supra commemoravi (I Tim. V, 5). Quam ergo prae ceteris viduae debent vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quod omnibus ad suscipiendum orandi studium de viduis propositum est exhortationis exemplum [2].

162.—Christiani imperatores orare debent. Neque nos christianos imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida

[1] Epist. 189 ad Bonif. nn. 4, 5.
[2] Epist. 130 ad Prob. n. 29.

reliquerunt, vel hostes reipublicae domuerunt, vel inimicos cives adversus se insurgentes et cavere et oprimere potuerunt. Haec et alia vitae hujus aerumnosae, vel munera vel solatia, quidam etiam cultores daemonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti; et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent.

Sed felices eos dicimus, si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant, facile ignoscunt; si eamdem vindictam pro necessitate regendae tuendaeque reipublicae, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiae lenitate et beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare; et si haec omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriae, sed propter caritatem felicitatis aeternae; si pro suis peccatis, humilitatis et miserationis et orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt.

Tales christianos imperatores dicimus esse felices interim in spe, postea reipsa futuros, cum id quod exspectamus advenerit [1].

---

[1] De civit. Dei, lib. V, cp. 24.

163.—Exemplum Constantini magni et Theodosii augusti. Nam bonus Deus, ne homines qui eum crederent propter aeternam vitam colendum has sublimitates et regna existimarent posse neminem consequi, nisi daemonibus supplicet, quod hi spiritus in talibus multum valerent, Constantinum imperatorem non supplicantem daemonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet: cui etiam condere civitatem (Constantinopolim) romano imperio sociam, velut ipsius Romae filiam, sed sine aliquo daemonum templo simulacroque concessit. Diu imperavit, universum orbem romanum unus Augustus tenuit ac defendit; in administrandis et gerendis per omnia prosperatus est; grandaevus aegritudine et senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.

Sed rursus ne imperator quisquam ideo christianus esset, ut felicitatem Constantini mereretur, cum propter vitam aeternam quisque debeat esse christianus; Jovianum multo citius quam Julianum abstulit; Gratianum ferro tyrannico permisit interimi; longe quidem mitius, quam magnum Pompeium, colentem velut romanos deos. Nam ille vindicari a Catone non potuit quem civilis belli quodam modo heredem reliquerat; iste autem, quamvis piae animae solatia talia non requirant, a Theodosio vindicatus est, quem regni participem fecerat, cum parvulum haberet fratrem, avidior fide societatis, quam nimiae potestatis.

Unde et ille non solum vivo servavit quam debebat fidem, verumetiam post ejus mortem, pulsum ab ejus interfectore Maximo Valentinianum ejus parvulum fratrem in sui partes imperii tamquam christianus excepit pupillum; paterno custodivit affectu, quem destitutum

omnibus opibus nullo negotio posset auferre, si latius regnandi cupiditate, magis quam benefaciendi caritate flagraret: unde potius eum, servata ejus imperatoria dignitate, susceptum ipsa humanitate et gratia consolatus est.

Deinde cum Maximum terribilem faceret ille successus, hic in angustiis curarum suarum non est lapsus ad curiositates sacrilegas atque illicitas, sed ad Joannem in Aegypti eremo constitutum, quem Dei servum prophetandi spiritu praeditum, fama crebrescente, didicerat, misit, atque ab eo nuntium victoriae certissimum accepit. Mox tyranni Maximi victor Valentinianum puerum imperii sui partibus, unde fugatus fuerat, cum misericordissima veneratione restituit: eoque sive per insidias, sive quo alio pacto vel casu proxime extincto, alium tyrannum Eugenium, qui in illius imperatoris locum non legitime fuerat subrogatus, accepto rursus prophetico responso, fide certus oppressit, contra cujus robustissimum exercitum magis orando, quam feriendo pugnavit.

Nobis milites qui aderant, retulerunt extorta sibi esse de manibus quaecumque jaculabantur, cum a Theodosii partibus in adversarios vehemens ventus iret, et non solum quaecumque in eos jaciebantur concitatissime raperet, verumetiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde et poeta Claudianus, quamvis a Christi nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat aether,
Et conjurati veniunt ad classica venti [1].

[1] De Civit. Dei, lib. V, cc. 25, 26.

APPENDIX AD CAPUT VIII

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 164. *Angeli orant pro nobis.*—165. *Ecclesia efficaciter orat.*—166. *Sacerdotes orare debent.*—167 *Plurimum valet intercessio sanctorum.*—168. *Vis orationis sanctorum in terra degentium.*—169. *Precibus sanctorum non omnia relinquenda.*—170. *Vita monachorum angelica est atque orationis.*—171. *Omnes orare debent.*—172. *Mulieres facilius et vehementius orant.*

164.—Angeli orant pro nobis. Non homines solum horrendam illam in sacrificio Missae emittunt vocem, sed et angeli ante Dominum procumbunt, archangeli precantur: habent illud tempus idoneum, oblationem sibi faventem.

Ac quemadmodum homines scisis olearum ramis reges movere solent, illaque arbore ad clementiae ipsos memoriam revocant; sic et angeli tunc temporis pro olearum ramis ipsum corpus dominicum protendentes.

Dominum pro humana natura rogant, ac si dicerent: Pro his supplicamus, quos tu praeveniens ita diligere dignatus es, ut animam tuam traderes; pro his supplicationes fundimus, pro quibus tu sanguinem effudisti; pro his rogamus, pro quibus hoc corpus immolasti [1].

Ne timeas plures nobiscum sunt, quam cum illis (IV Reg. VI, 16). Illic quidem barbarorum multitudo, hic angelorum phalanx est.

Nam pro piis hominibus et angelicus exercitus pugnat, et prophetarum chorus, et apostolorum potestas et martyrum preces. Noli enim existimare, martyres tantum pro nobis orare, quin et angeli, rebus nostris adversis, pro nobis deprecantur: neque solum deprecantur, sed et responsum a benefico Domino accipiunt.

Zacharias propheta ait: *Et respondit angelus, qui loquitur*

[1] Homil. III de Incomprehensibili, n. 7.

in me, et dixit ad Dominum (Zac. I, 9). Haec autem angeli fuit precatio. *Domine exercituum, usque tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quas despexisti? Iste jam septuagesimus annus est.* Quid igitur, repudiavitne Deus orationem angeli? Minime id quidem. Quid igitur responsi dedit? *Respondit,* inquit, *Dominus ad angelum loquentem in me verba consolatoria, et sermones consolatorios* (ib. 13). Obsecremus ergo et nos Dominum angelorum, et legabit unum ex angelis qui totam phalangem hostium dissipabit [1].

165.—Ecclesia efficaciter orat. Nunquid meministis quaestionum, quae vobis nuper sunt propositae? In tantam enim arrogantiam et audaciam nos provexistis, ut quaestiones in trepide aggrediamur: imo nec audaciae nec arrogantiae id facinus est. Non enim viribus nostris confidentes, sed antistitum precibus ac vestris omnia committentes ad stadium nos accinximus.

Tanta porro vis est precum Ecclesiae, ut licet magis muti quam lapides essemus, penna quavis leviorem linguam nostram efficiant. Nam sicut in media nave incidens vela zephyrus sagitta velocius cymbam promovet; sic et in linguam dicentis incidens oratio Ecclesiae, vehementius quam zephyrus sermonem promovet.

Propterea nos etiam cotidie confidenter ad certamen nos accingimus. Si enim in externis certaminibus quispiam, cui decem tantum aut viginti fuerint amici in tanto populo alacriter in arenam descendit; multo magis nos, qui non decem aut viginti, sed totum theatrum ex fratribus patribusque conflatum habemus, confidenter id agemus.

Tametsi in externis certaminibus non multum prodest athletae certanti spectator, nisi forte ut clamet et laudet quae geruntur, et in superiore loco sedens cum illis contendat qui contradicunt, in stadium vero descendere, manumque porrigere, vel adversarii pedem trahere, vel aliud ejusmodi quidpiam agere, minime licet.

Qui enim ab initio certamina illa constituerunt, acutis palis defixis, ac funibus in gyrum extensis spectatorum insa-

---

[1] Homil. de legislatore, n. 6. Sunt qui arbitrantur hanc Homiliam fetum non esse Joannis Chrysostomi.

niam arcent. Quid vero mirum, si descendere spectatori non licet, cum et palaestrae magistrum jubeant foris sedentem juxta arenam, a longe certantibus doctrinae subsidium praebere, prope vero non sinant accedere?

Hic vero non ita fit; sed et doctori et spectatori licet ad nos descendere, atque affectu prope adstare, precibusque vires addere [1].

Magna sacri conventus, hoc est, Ecclesiarum vis ac potentia est. Animadverte quanta sit vis coetus Ecclesiae: oratio Petrum e vinculis exemit, Pauli os aperuit (Act. XII, 5): horum suffragium eos, qui ad spirituales dignitates veniunt, haud leviter exornat. Ac propterea is, qui ordinaturus est, illorum preces tum poscit, atque ipsi calculum suum addunt, acclamantque ea quae norunt, qui mysteriis initiati sunt: neque enim fas est coram profanis cuncta detegere.

Interdum autem nihil inter sacerdotem interest et eos quibus praeest, vel cum tremenda mysteria percipienda sunt; aeque enim omnes ad ea admittimur: non sicut in veteri Testamento alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescebatur. Nunc autem secus res se habet, omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur.

In precationibus quoque populum videris multum conferre. Etenim pro energunemis, et pro iis qui in poenitentia sunt, communes et a sacerdote et ab ipsis preces fiunt; atque omnes unam eamdemque precem concipiunt, precem, inquam, misericordia plenam.

Rursus cum eos, qui sacrosantae mensae participes esse nequeunt, a sacris septis arcemus, ineunda est altera oratio, in qua omnes aeque humi jacemus, aeque omnes consurgimus. Adhaec cum pax danda vicissimque accipienda est, omnes mutuo nos exosculamur.

Jam in tremendis quoque mysteriis, ut sacerdos pro plebe ita plebs pro sacerdote vota facit: haec enim verba, et *cum spiritu tuo*, nihil aliud quam hoc significant. Rursus ea oratio, qua Deo gratiae aguntur, utriusque communis est; neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa.

---

[1] In Genes. serm. II, n. 1.

Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id digne ac juste fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur.

Quid autem miraris, si cum sacerdote plebs interdum loquatur, cum etiam cum ipsis Cherubim ac supernis Virtutibus sacrosanctos illos hymnos communiter in caelum mittat? Haec porro cuncta eo a me dicuntur, ut unusquisque etiam ex iis qui subsunt, advigilet, illudque intelligamus nos omnes unum corpus esse, tantumque duntaxat inter nos differre, quantum membra a membris differunt; ac proinde ne omnia ad sacerdotes rejiciamus, quin potius nos Ecclesiae totius, perinde ac communis corporis, cura afficiamur. Hoc enim et majorem securitatem affert, et majus virtutis incrementum nobis comparat.

Audi quippe quomodo apostolorum tempore ipsi persaepe eos, quibus praeerant, consilii socios adhibebant. Nam cum septem diaconos crearent, ad plebem prius retulerunt; et cum Petrus Matthiam, de ea re cum omnibus, qui tum aderant, tam viris quam mulieribus agitavit.

Neque enim hic qui praesunt fastum prae se ferre debent, nec qui subsunt, servi habendi sunt; verum spirituale imperium est, hoc praesertim nomine superiores partes obtinens, quod pro vestrae salutis cura plures labores suscipiat, non autem quod plures honores requirat. Etenim omnes, ut domum unam, sic Ecclesiam habitare, ut unum corpus, ita affectos esse convenit, quemadmodum et baptisma unum est, et mensa una, et fons unus, et creatio una, sic et Pater unus. Cur ergo disjuncti et dissecti sumus, cum tot summae conjunctionis vincula habemus? [1].

166.—Sacerdotes orare debent. Quasi communis totius orbis pater sacerdos est. Curam igitur omnium gerat oportet, sicut et Deus, cujus sacerdos est: ideo ait Apostolus: obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes. Duo enim hinc oriuntur bona: odium quod erga extraneos habemus, solvitur, nemo enim odio habere poterit eum, pro quo obsecrationes emittit, et illi ipsi meliores fiunt, et quia

[1] In Epist. II ad Cor. homil. 18, n. 3.

orationes pro ipsis emittuntur, et quod ipsi feritatem adversus nos deponant.

Nihil enim ita confert ad doctrinam, ut cum quis amat et amatur. Cogita vero quantum illud esset, cum audirent illi qui insidiis appetebant, qui flagellabant, pellebant, necabant, quod ii qui talia paterentur, pro iis qui haec patrarent, intentas precationes ad Deum emitterent [1].

Sacerdotium in terra peragitur, sed caelestium ordinum classem obtinet: et jure quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quaepiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit ut angelorum ministerium animo conciperent.

Idcirco sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in caelis inter potestates illas collocatus esset. Terribilia namque erant, quae gratiam praecesserunt (Exod. XXVIII): qualia erant tintinnabula, mala punica, lapides in pectore positi, et alii in superhumerali, mitra, cidaris, poderes, lamina aurea, sancta sanctorum, ingens intus quies.

At si quis ea, quae ad gratiam spectant, consideret, terribilia illa atque horrifica, parva esse comperiet, ac quod de lege dictum est, hic quoque verum deprehenderet; nempe, non glorificatum est quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam (II Cor. III, 10).

Cum enim videris Dominum immolatum et jacentem, et sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse, annon potius in caelo translatus, omnique carnali cogitatione eliminata, nudo animo menteque pura quae in caelis sunt, circumspicis?

O miraculum, o Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, seseque volentibus dat complectendum et accipiendum. Illud autem omnes faciunt oculis fidei.

Num tibi haec contemptu digna videntur? An hujusmodi esse ut possit quispiam adversus illa extolli? Visne et sanctimoniae illius excellentiam ex alio miraculo perspicere?

---

[1] In Epist. I ad Tim. homil. 6, n. 1.

Eliam mihi ob oculos depinge, immensamque circumfusam turbam, et hostiam lapidibus impositam (III Reg. XVIII); atque omnes alios in quiete et magno silentio stantes, solum vero prophetam precantem: tum repente flammam ex caelis in sacrificium injectam.

Admiranda sunt haec, omnique stupore plena. Illinc te transfer ad ea quae nunc peraguntur, ac non mira tantum videbis, sed omnem stuporem superantia. Stat enim sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum sanctum, preces multo tempore fundit, non ut fax demissa caelitus apposita consumat, sed ut gratia in sacrificium delapsa per illud omnium animos inflammet, et argento igne purgato splendidiores exhibeat [1].

Eorum qui sacerdoti subsunt, maxima pars saecularibus curis sunt addicti quod illos ad spiritualia opera peragenda segniores reddit. Unde et doctorem necesse est singulis ut ita dicam, diebus sementem jacere, ut assiduitate illa possit doctrinae verbum ab auditoribus retineri.

Hujusmodi curae aliaque plura a divinorum studio abducunt. Quod si quis ea quae ad Deum pertinent, exploraverit, priora nihil prorsus esse videntur: ita majorem haec diligentioremque curam postulant. Nam qui pro tota civitate, et quid dico, civitate, immo pro universa terra oratorem agit, Deoque supplicans ut omnium peccatis sit propitius, non vivorum tantum, sed etiam eorum qui obierunt, qualem, quaeso, oportet esse?

Equidem neque Moysis, neque Eliae fiduciam ad hujusmodi supplicationem sufficere posse putaverim. Etenim ac si mundus totus sibi concreditus sit, ac si omnium pater ipse sit, sic ad Deum accedit, rogans omnia mundi bella extingui, tumultus sedari, pacem, prosperitatem, omnium singulis imminentium, qua privatim, qua publice malorum celerem depulsionem. Oportet autem illum singulos, pro quibus precatur, adeo in omnibus antecellere, ut praefectus subditis praecellere debet.

Cum autem Spiritum sanctum invocaverit, et horrendum illud sacrificium obtulerit, et communem omnium Dominum

---

[1] De sacerdotio, lib. III, n. 4.

assidue tractaverit, quo illum, quaeso, in ordine constituemus? Quamnam ab illo puritatem, quam pietatem exigemus? Cogita quales oporteat esse manus illas, qualem illam linguam, quae illa verba effundat, qua denique non puriorem sanctioremque illam animam, quae tantum Spiritum suscipiat.

Tunc angeli sacerdoti adsunt, totusque caelestium Virtutum ordo clamat, ac vicinus altari locus in illius qui ibidem jacet, honorem iis repletus est: idque vel ex iis, quae tunc peraguntur, credibile est.

Ego vero aliquem olim narrantem audivi, quemdam senem, virum admirabilem ac revelationibus assuetum, dixisse, visione hujusmodi se quodam tempore dignum habitum fuisse: scilicet multitudinem angelorum derepente vidisse, quantum ejus facultas ferebat, splendidis vestibus indutorum, et altare circumdantium, inclinato capite, ac si quis milites praesente Imperatore stantes videret: quod et ipse mihi persuadeo.

Alius item narravit mihi, non ab alio edoctus, sed cum ipse vidisset et audisset, scilicet eos qui ex hac vita migraturi sunt, si mysteriis pura conscientia participaverint, animam efflaturos, ab angelis satellitum more ipsos, ob illud quod acceperunt stipantibus illinc abduci.

Tu vero nondum exhorrescis, hujusmodi animam in tam sacrum mysterium introducens, et sordidis indutus vestibus in sacerdotum dignitatem illum promovens, quem a reliquo convivarum choro Christus expulit (Mt. XXII, 13)?

Animam quippe sacerdotis instar lucis totum orbem illustrantis splendere oportet [1].

167.—Plurimum valet intercessio sanctorum. Si videris te puniri a Deo, ne profugias ad ejus inimicos, ne magis etiam illum in te provoces; sed ad amicos illius, martyres ac sanctos, qui illi placuerunt, quique multam apud illum habent auctoritatem [2].

Cum ardore coram ipsarum sanctarum martyrum, Bernice et Prosdoce, reliquiis procidamus, ipsarum capsulas com-

[1] De sacerdotio, lib. VI, n. 4.
[2] Advers. Judaeos Orat. VIII, n. 6.

plectamur, multam enim possunt virtutem capsulae martyrum obtinere, quemadmodum et ossa martyrum vim magnam habent.

Neque die tantum hujus festivitatis, sed aliis etiam diebus iis assideamus, eas obsecremus, obtestemur, ut patronae sint nostrae; multam enim fiduciam obtinent non viventes modo, sed et mortuae. Jam enim stigmata ferunt Christi, cum autem stigmata haec ostenderint, omnia Regi possunt persuadere [1].

168.—Vis orationum sanctorum in terra degentium. Diluculo autem venit Abraham mane ad locum, ubi steterat coram Deo (Gen. XIX, 27). In eo, inquit, loco in quo collocutus est cum Domino, et pro Sodomitis rogavit, videbat terribilis illius poenae vestigia, et de justo discere aliquid volebat.

Is enim sanctorum mos est, ut plurimum affectu moveantur et compatiantur. Et ut doceat nos divina Scriptura Spiritus gratiam statim ipsi hujus rei notitiam concessisse, et justum cura, quam pro Lot gerebat, liberasse, inquit: *Cum contereret Dominus civitates regionis illius, recordatus est Deus Abrahae, et emisit Lot de media subversione* (Ib. 29). Quid est, recordatus est Deus Abrahae? Hoc est petitionis quam fecit, dicens: *ne simul perdas justum cum impio* (XVIII, 22).

Cur igitur, dixerit aliquis, propter orationem patriarchae justus servatus est, et non propter suam justitiam? Ita certe etiam propter orationem patriarchae; quando enim quod ex nobis est simul afferimus, ipsa etiam intercessio sanctorum plurimum nobis confert. Quod si ipsi negligentes fuerimus, et spem in illis solis nostrae salutis collocaverimus, nihil amplius nobis prodest: non quod minus valeant justi, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos prodimus.

Et ut discas quomodo cum negligentes sumus, etiamsi justi sint qui pro nobis orant, etiamsi prophetae, nulla nobis inde sit utilitas, illi enim suam virtutem per hoc demonstrant, nobis autem ob improbos mores nulla erit utilitas, audi Deum universorum, ad eum qui de utero matris sanctificatus est,

[1] Orat. panegyr. de ss. Bernice et Prosdoce, n. 7.

Jeremiam prophetam loquentem: *ne ores pro populo hoc, quia non exaudiam te* (Jer. XVI, 7). Vide Domini benignitatem: praedicit prophetae, ut ne, cum post orationem non exaudiatur, hoc suis peccatis tribuat: et ideo jam praenuntiat ei populi nequitiam, et prohibet ne precetur, ut et ipse scire queat ingentem Judaeorum perversitatem: et illi sciant nihil eis prodesse prophetam, nisi et ipsi quae sua sunt proferre velint.

Id scientes, dilecti, confugiamus ad sanctorum preces, et oremus ut pro nobis intercedant; sed non illorum precibus tantum confidamus, sed et ipsi nostra, ut oportet, dispensemus, recte, et ad meliora semper converti nitamur, ut locum demus orationi quae pro nobis funditur. Ad ipsum prophetam iterum dicit Dominus universorum: non vides quid ipsi faciunt? Incendunt adipem, et placentas faciunt exercitui caeli (Jer. VII, 17): ac si diceret, pro illis me rogas qui a peccato non desistunt, qui carent sensu infirmitatis suae qua laborant, sed sic nullo dolore sunt affecti? Non vides summum eorum contemptum, non vides eorum magnam insaniam? Quomodo nondum satientur impietate, sed quasi sus in luto, se volutent in iniquitatibus suis? Annon si vellent converti, audirent cohortantes? Nonne ego sum per prophetas clamans et dicens; et dixi postquam ipsa scortata est, post haec omnia ad me convertere, et non est conversa (Jer. III, 7)? Num aliud quaero, quam ut quiescant a peccato tantum et sistant mala? Nonne cotidie clamo, dicens: *numquid voluntate volo mortem peccatoris, sicut converti eum et vivere* (Ezech. XVIII, 23)?

Ne igitur, o beate propheta, illos relinquens, mihi afferas orationem; sed illud unum tibi curae sit, ut illorum morbus sanetur, et in sensum infirmitatis suae atque ad valetudinem ipsi reducantur, et mea omnino sequentur. Neque enim moror, vel differo, quando video animam gratam; unum enim tantum requiro, nempe ut confiteantur peccata, et ab eis abstineant, et non ultra infero poenam peccatis [1].

Exurge, Domine, non confortetur homo (Ps. 9, 20). Postquam dixit vitium, quod plures homines invadit, et narravit ho-

[1] In Genes. Homil. 44, n. 2.

minum improbitatem, rapinas, avaritiam, homicidia, rogat Deum pro auxilio eorum qui afficiuntur injuria. Talia sunt enim sanctorum viscera, ut non solum sint de se solliciti, sed perinde ac si pro una domo, pro orbe terrarum, vel ac si pro uno corpore, pro multitudine hominum, ita precentur Dominum. Exurge, Domine, ne confortetur homo. Quid est autem exurge, Domine? Persequere, inquit, puni eos qui inferunt injuriam [1].

169.—Precibus sanctorum non nimis fidendum. Cognati justi nonnisi resipiscenti peccatori prosunt. Quod subindicans propheta dicebat: *frater non redimit homo* (Ps. 48, 7), etiamsi Moyses fuerit, etiamsi Samuel, etiamsi Jeremias.

Audi enim quid illi dicat Deus: *noli precari pro populo, quoniam non exaudiam te* (Jer. XI, 14). Et quid miraris, si te non audio? *Nam si ipse Moyses,* inquit, *si Samuel adesset, eorum pro istis supplicationem non admitterem* (Jer. XV, 1). Ezechiel etiamsi supplicet, hoc audiet: *si steterint Noe, et Job et Daniel, filios filiasque suas non liberabunt* (Ezech. XIV, 14). Etiamsi Abraham patriarcha pro iis qui incurabili morbo laborant, nec resipiscunt, supplicet, Deus abscedet et relinquet eum; ita ut eorum gratia enissam vocem non audiat.

Etiamsi Samuel hoc ipsum fecerit, dicet ipsi: *ne fleveris pro Saule* (I Reg. XVI, 1). Etiamsi pro sorore quispiam non opportune oraverit, idipsum audiet quod Moyses: *si conspuens conspuisset pater ejus in faciem ejus* (Num. XII, 14).

Ne itaque aliorum patrocinium hiante ore spectemus. Nam preces quidem sanctorum vim habent maximam; sed si nos poenitentiam agamus et resipiscamus. Quandoquidem Moyses qui fratrem suum et sexcenta millia hominum ab imminente ira liberavit, sororem non potuit eripere, etiamsi non par peccatum esset: illa quippe Moysem contumelia affecerat; hi autem impium facinus admiserant.

Verum hanc ego vobis quaestionem relinquo, sed illa graviorem solvere conabor.

Quid enim de sorore dicamus, quando ipse etiam tanti populi dux, id quod pro seipso rogabat impetrare non valuit,

[1] Exposit. in Ps. 9, n. 8.

sed post tot tantosque labores et aerumnas, postquam per annos quadraginta populo praefuerat, in terram toties promissam intrare prohibitus est? Qua de causa? Non utilis haec gratia fuisset, immo damni multum intulisset, judaeorumque multos supplantavisset.

Si enim ex Aegypto tantum a Moyse liberati, Deo dimisso, Moysem requirebant ipsique totum referebant; si vidissent ab illo introductos in terram promissionis, quo non prorrupissent impietatis? Ideoque sepulcrum ejus occultum mansit (Deut. XXXIV, 6). Samuel vero Saulem liberare nequivit a divina ira, qui tamen Israelitas saepe servavit. Jeremias Judaeos servare non potuit, alteri tamen in prophetia sua patrocinatus est. Daniel barbaros, qui jugulabantur, eripuit, nec Judaeos, ne in captivitatem abducerentur, servare potuit.

In Evangeliis quoque non in diversis, sed in iisdem ipsis utrumque conspicimus; eumdemque videmus salutem sibi parare, et postea salutem suam prodere. Nam qui decem millia talenta debebat, supplicando se ex periculo eripuit, posteaque id ipsum non potuit; alius contra, qui prius se ipsum prodiderat, postea sibi ipsi plurimum prodesse potuit. Quis ille est? Is qui paternam substantiam devoraverat (Lc. XV, 30).

Itaque si segnes et socordes fuerimus, ne per alios quidem servari poterimus; si autem vigilemus, per nos metipsos id valebimus: imo magis nostra quam aliorum opera. Mavult quippe Deus gratiam nobis ipsis dare, quam alio pro nobis precante, ut curantes ipsi iram placare, cum fiducia agamus et resipiscamus. Sic Chananaeam miseratus est; sic meretricem salute donavit, sic latronem, nullo interveniente mediatore et patrono.

Haec autem dico, non ut sanctis non supplicemus, sed ne simus negligentes, neve in socordiam somnumque delapsi, aliis ipsisque solis res nostras committamus [1].

170.—Vita monachorum angelica est atque orationis. Deus hoc universum etiam nunc gubernat, multis autem id non videtur ob rerum perturbationem ac tempestatem, quam haeretici maxime omnium excitant. Itaque non tantum ins-

[1] In Math. Homil. V, nn. 4, 5.

titutionem morum evertunt, sed et piam religionem labefactant: nec sane peccabit qui eos communes inimicos appellaverit, qui ideo vivunt ut ceterorum saluti adversentur, exsecrandaque sua doctrina atque impurissima vita eos, qui secum navigant, demergunt.

At in monasteriis nihil hujusmodi videre est; sed etiamsi tanta tempestas intumescat, soli in portu, in tranquillitate et securitate magna resident, ac quasi ex caelo ipso ceterorum naufragium respiciunt.

Namque vitae genus caelo dignum delegerunt, nec minorem angelico statum obtinent. Quemadmodum enim apud angelos nulla est inaequalitas, neque alii prospere, alii in extremis malis versantur, sed omnes in una pace, laetitia et gloria, sic et his in locis: nemo paupertatem exprobat, nemo de divitiis gloriatur: meum et tuum illud, quod omnia subvertit et perturbat, penitus exulat. Omnia ipsis communia sunt, mensa, domicilium, vestimenta.

Ecquid mirum, quando ipsa anima una eademque omnibus est? Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, eadem servitute servi, eadem libertate liberi. Unae illic omnibus divitiae, quae vere divitiae sunt; una gloria, quae vere gloria; non enim nomine, sed re bona tenent; una voluptas, unum demum desiderium, una spes omnibus: ac quasi quadam norma et libra omnia accurate ordinantur. Nulla inaequalitas, sed ordo, concinnitas, harmonia, et multa concordiae servandae diligentia, perpetuaeque laetitiae materia.

Quamobrem omens omnia faciunt et patiuntur, ut laetentur et gaudeant. Illic enim solum videas haec perfecte contingere, nusquam alibi: non modo quod praesentia omnia contemnant, atque omnem rixae ac discordiae materiam absciderint, splendidaque futurorum spe fulti sint, sed etiam quod ea quae singulis accidunt, seu tristia seu bona, omnibus communia esse putentur. Maeror quippe facilius tollitur, cum proportione quadam omnes singulorum comportent onera: laetitiae vero multas habent occasiones, non de suis modo commodis, sed de aliorum quoque, non minus quam de suis gaudentes [1].

---

[1] Advers. Impugnant. vitae monast. lib. III, n. 11.

Hac ergo ratione monasticam vitam convenit ea beatiorem dicere, quae principatu, quae regno, quae sceptris constat.

Quod si et noctis tempus examinare voluerimus, monachum quidem videbimus cultu ac precibus insignem, multo ante gallinaceos tempore canentem, angelis convictoribus utentem, cum Deo colloquentem, caelestibus bonis fruentem: eum vero qui multis gentibus, multis populis atque exercitibus praeest, quique terra ac mari late imperat, in lecto distentum ac stertentem.

Praeterea quod venatori gladius, id preces sunt monacho: neque sane sic lupos gladius, ut daemones justorum preces terrent. Itaque non nos modo ad sanctos monachos, dum rei usus postulat, confugimus, sed vel reges ipsi ad eosdem in temporibus formidandis, haud aliter quam famis tempore mendicantes ad divitum domus confugiunt [1].

Sanctus Paulus apostolus ait: *imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I Cor. IV, 16). Quomodo factus est Christi imitator? Omnibus per omnia placens, non quaerens meam utilitatem, sed multorum, ut salvi fierent. Rursus alio loco dicit: *etenim Christus non sibi ipsi placuit, sed multis* (Rom. XV, 3): neque prorsus alia res est, quae perinde declaret doceatque, quis sit fidelis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, illorumque saluti prospiciat.

Haec audiant et monachi omnes, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt: quo pro viribus Ecclesiarum praefectos adjuvent, et incitent precibus, concordia, caritate, scientes quod ni modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxilientur, quamque procul habitantes, et caput ipsis peribit, et tota destruetur sapientia [2].

Ideo monachos, qui deserta occuparunt, laudo et admiror, tum aliis de causis, tum propter haec verba. Nam illi post prandium, imo vero post cenam, prandium quippe non norunt; sciunt enim praesens tempus esse luctus ac jejunii: post cenam igitur gratias Deo referentes, hanc memorant.

---

[1] Comparatio regis et monachi, nn. 3, 4.

[2] Homil. de beato Philogon. n. 3.

Si vultis autem illorum hymnum audire, ut illum vos frequenter recitetis, totum vobis referam ipsorum sacrum canticum, quod sic habet: *Benedictus Deus, qui pascis me a juventute mea, qui das escam omni carni; imple gaudio et laetitia cor nostrum, ut semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum in Christo Jesu Domino nostro, quicum tibi gloria, honos, imperium cum sancto Spiritu in saecula. Amen. Gloria tibi, Domine, gloria tibi, sancte, gloria tibi, rex, quia dedisti nobis cibos in laetitiam. Imple nos Spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudore afficiamur, cum reddes unicuique secundum opera sua.*

Hic hymnus totus admirationi esse debet, maxime vero finis ejus. Quia enim mensa et cibus effusos reddit et aggravat, hoc dictum quasi frenum quoddam animae apposuerunt hoc laetitiae tempore, cum judicii diem in memoriam revocant.

Didicerunt enim quod passus est Israel post lautam mensam: *comedit enim,* inquit, *et incrassatus est et recalcitravit dilectus* (Deut, XXXII, 15). Hac enim etiam de causa monachi haec praecipitia metuentes, postquam mensa, immo potius jejunio usi sunt, tremendi judicii ac diei illius memoriam revocant.

Post hunc hymnum compunctione moti, lacrimisque multis ac fervidis perfusi, ad somnum pergunt, tantum dormientes, quantum satis est ad parvam quamdam quietem capiendam. Rursumque noctes in dies vertunt, in gratiarum actione et psalmodia vitam agentes.

Nec modo viri, sed et mulieres hanc philosophiam exercent, quae naturae infirmitatem animi magnitudine superant. Pudeat igitur nos viros talem in ipsis constantiam videntes, et cessemus cupiditate moveri rerum praesentium, umbrae, somniorum, fumi [1].

171.—Omnes orare debent. Oremus itaque omnes simul tam magistratus quam privati, tam mulieres quam viri, tam senes quam juvenes, tam servi quam liberi, beatum Mele-

---

[1] In Math. Homil. 55 (a. 56) n. 5. Eodem loco pulcherrime hujusmodi hymnum explanat sanctus Doctor, ubi, si placet, videri potest.

tium harum precum socium accipientes. Est enim ei nunc major fiducia, et amor in nos ferventior, ut haec nobis augeatur caritas, et nos omnes id consequamur, ut quomodo hic prope arcam istam ejus reliquiarum adstamus, ita illic quoque prope beatum et aeternum ejus tabernaculum esse, et bona aeterna nobis reposita consequi possimus: quae detur nobis omnibus obtinere gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi [1].

172.—Mulieres facilius et vehementius orant. Vir certe in medio foro, et pro tribunali, externis rebus quasi fluctibus agitatur: mulier vero, seu in quodam philosophiae gymnasio, domi sedens mentem colligens, poterit et precibus et lectioni ceterisque exercitiis incumbere.

Ac quemadmodum ii qui desertum incolunt, a nemine turbantur; sic mulier semper intus manens, perpetua poterit frui tranquillitate. Si quando autem domo sit exeundum, nulla inde perturbationis causa. Sive enim in Ecclesiam veniant, sive ad balneum sit pergendum, saepe coguntur quidem mulieres exire: ut plurimum autem domi sedet mulier, potestque orationibus incumbere, adventantemque virum perturbatum sedare, compescere, superfluos ac molestus ejus cogitatus eliminare, et sic rursus emittere curis in foro susceptis vacuum, et bona quae domi didicit secum ferentem.

Nihil enim, nihil utique fortius muliere pia et prudente, ut virum informet, ejusque animam, ut voluerit, instituat. Non amicos, non doctores, non principes perinde feret, ut uxorem monentem et consilium dantem. Monitio quippe talis cum quadam voluptate conjuncta est, quod illa multum ametur. Multos possem afferre viros asperos, immorigeros, ab uxoribus mitigatos. Uxor viri et mensae et lecti et liberorum procreationis consors, ipsa conscia dictorum et arcanorum, ingressus et exitus, plurimorumque aliorum, in omnibus marito dedita, et sic illi conjuncta, ut par est corpus capiti copulari, si prudens sit et diligens, plus quam omnes alii conjugem fovebit et curabit. Quapropter hortor, ut operam illi rei dent, et quae decent suadeant. Ut enim ad

[1] Homil. encomiast. in s. Meletium, n. 3.

virtutem uxor, sic et ad nequitiam inducendam multam vim habet.

Mulier Absalonem, mulier Amnonem perdit, mulier Jobum perdere conata est: uxor Nabalem a caede eripuit, mulier totam gentem servavit. Nam Debora et Judith, et aliae multae imperatorum probe functae sunt officio. Ideo Paulus ait: quid enim scis, mulier, an virum salvum facies (I Cor. VII, 16)? Illisque temporibus Persida, et Mariam et Priscillam apostolicis certaminibus se dedisse scimus (Rom. XVI). Quas et vos imitari debetis, non verbis solum, sed etiam operibus conjuges informare [1].

Vidi saepe mulieres propter virum peregrinantem et infantem aegrotantem ita de profundis orantes, et tantos fontes lacrimarum emittentes, ut tandem voti sui essent compotes.

Si autem mulieres ita inflammantur in orationibus pro viro et infante, quaenam viro venia dabitur, qui anima morte affecta mollis est et languidus?

Hinc itaque fit, ut cum saepe oremus, rursus inanes revertamur.

Audi quomodo Anna orabat de profundis, cujusmodi fontes lacrimarum emittebat, quomodo per orationem evehebatur in sublime (I Reg. I, 10).

Qui enim ita precatur, etiam antequam consequatur quod postulat, ex oratione magna bona percipit, omnes animi perturbationes reprimens, iram sedans, invidiam expellens, cupiditatem extinguens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens et exsiccans, animum in magna tranquillitate constituens, in ipsum denique caelum ascendens.

Quemadmodum enim pluvia duram terram, in quam decidit, vel ignis ferrum mollit: ita vitiis induratum animum talis oratio et igne vehementius, et plus quam pluvia mollit et humectat. Est enim anima tenera et ad fingendum facilis: sed quod Istri seu Danubii aquae saepe evenit, ut glacie concrescat, id etiam nostrae accidit animae, ut a peccato et socordia indurescat et lapidescat.

Magno ergo nobis calore opus est, ut quod durum est emol-

---

[1] In Jo. homil. 61, nn. 3, 4.

liat. Hoc autem maxime efficit oratio. Nam hoc quoque est munus orationis.

Qui ita orat, fit iis, quae ad hanc vitam pertinent superior, mente extollitur, levem reddit cogitationem, nulla perturbatione animi impeditur.

De profundis clamavi ad te, Domine. Duo hic ponit, et illud *de profundis,* et hoc clamavisse: clamorem non dicens tonum vocis, sed affectionem animi. Domine, exaudi vocem meam. Hinc duo discimus, nempe nos a Deo absolute impetrare non posse, nisi nostra quoque adfuerint; quocirca prius dicit, de profundis clamavi, et tunc exaudi; deinde orationem intensam, vehementem, et plenam lacrimis compunctionis, magnas habere vires Deo persuadendi, ut iis quae dicuntur, annuat.

Tamquam enim magnum et praeclarum quid fecisset, et partes suas implesset, ita subjunxit: Domine, exaudi vocem meam. Aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae. Aures dicit audiendi facultatem; et rursus vocem non intensionem spiritus, nec clamorem significans, sed intensam affectionem.

Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Ne quis enim dicat, sum peccator, et plenus malis innumerabilibus, non possum accedere, orare et Deum invocare, hanc tollens excusationem, si iniquitates observaveris, inquit, Domine, Domine, quis sustinebit? Nam illud *quis,* hic nullus est. Neque enim fieri potest, ut si rerum a se gestarum summo jure ab ullo exigatur ratio, possit umquam misericordiam et clementiam consequi [1].

---

[1] Exposit. in Ps. 129, n. 1.

CAPUT IX. De subjectis pro quibus est orandum.

Summa: 173. *Pro omnibus generatim orare debemus.*— 174-175. *Pro praelatis.*—176. *Pro concionatoribus.*— 177. *Pro regibus.*—178-179. *Pro inimicis et persecutoribus.*—180. *Exemplum insigne sancti Stephani martyris.*—181. *Pro peccatoribus.*—182. *Pro infidelibus et haereticis.*—183. *Brevis divi Augustini oratio pro haereticis.*—184-185. *Possumus ac debemus pro defunctis exorare.*—186. *Non orandum pro damnatis, sive angelis sive hominibus.*

173.—Debemus orare pro omnibus in genere. Gratias tibi uberes agimus, quod nos cum laudas, tamquam tales simus, mirabiliter hortaris ut tales esse cupiamus: uberiores etiam si non solum te commendes orationibus nostris, sed etiam non praetermittas orare pro nobis.

Gratior est enim Deo pro fratre deprecatio, ubi sacrificium caritatis offertur [1].

---

[1] Epist. 20 ad Antoninum, n. 2. **Doctrina divi Thomae.**

Pro quibus orandum. *a)* **pro omnibus.** Illud debemus orando petere quod debemus desiderare. Jam vero, desiderare debemus bona non solum nobis, sed etiam aliis; hoc enim pertinet ad rationem dilectionis, quam proximis debemus impendere: ergo caritas hoc requirit, ut pro aliis oremus (2. 2. q. 83, a. 7).

b) **pro praelatis.** *Orationi instate, rogantes simul et pro nobis* (Colos. IV, 2, 3). Rogat Apostolus ut orent pro ipso: orantes simul et

Pax autem nostra propria, et hic est cum Deo per fidem, et in aeternum erit cum illo per speciem. Sed hic sive illa communis, sive nostra propria, talis est pax, ut solatium miseriae sit potius quam beatitudinis gaudium. Ipsa quoque nostra justitia, quamvis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum. Testis est oratio totius Civitatis Dei, quae peregrinatur in terris. Per omnia quippe membra sua clamat ad Deum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. V, 12). Nec pro eis est efficax haec oratio, quorum fides

---

pro nobis, quia hoc est debitum, quod subditi pro praelatis orent, quia praelati custodiunt eos et eorum bonum est commune omnium (In Epist. ad Colos. cp. IV).

c) **pro justis et peccatoribus.** Orandum est pro peccatoribus ut convertantur, et pro justis ut perseverent et proficiant.

Orantes autem non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, sed pro quibusdam. Exaudiuntur enim pro praedestinatis, non autem pro praescitis ad mortem; sicut etiam correptio qua fratres corrigimus, effectum habet in praedestinatis, non in reprobatis, secundum illud: *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit* (Eccl VII, 14). Et ideo dicitur: *Qui scit fratrem suum peccare peccato non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem* (I Jo. V, 16).

Sed sicut nulli quandiu vivit hic, subtrahendum est correptionis beneficium, quia non possumus praedestinatos distinguere a reprobatis, ita etiam nulli est negandum orationis suffragium.

Pro justis etiam est orandum triplici ratione: *a)* quia multorum preces facilius exaudiuntur: *b)* ut ex multis gratiae agantur Deo de beneficiis, quae conferuntur justis; quae etiam in utilitatem multorum vergunt: *c)* ut majores non superbiant, dum considerant se minorum suffragiis indigere (2. 2. q. 83, a. 7, ad 3).

d) **pro inimicis.** Eodem modo quo tenemur diligere inimicos, tenemur pro inimicis orare. Tenetur autem diligere inimicos in generali, non in speciali, nisi secundum praeparationem animi, ut scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere et eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret.

Et similiter necessitatis est ut in communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quod autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali (2. 2. q. 83, a. 8).

sine operibus mortua est: sed pro eis quorum fides per dilectionem operatur [1].

Quia enim Deo quidem subdita, in hac tamen condicione mortali et corpore corruptibili quod aggravat animam (Mt. V, 12), non perfecte vitiis ratio imperat, ideo necessaria est justis talis oratio. Nam profecto quamquam imperetur, nequaquam sine conflictu vitiis imperatur. Et utique aliquid subrepit in hoc loco infirmitatis etiam bene confligenti, sive hostibus talibus victis subjectisque dominanti, unde si non facili operatione, certe labili locutione aut volatili cogitatione peccetur. Et ideo quandiu vitiis imperatur, plena pax non est; quia et illa quae resistunt, periculoso debellantur praelio; et illa quae victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito prementur imperio.

In his ergo tentationibus, de quibus omnibus in divinis eloquiis breviter dictum est: *numquid non tentatio est vita humana super terram* (Job. VII, 1), quis ita vivere se praesumat, ut dicere Deo, dimitte nobis debita nostra, non necesse habeat, nisi homo elatus? Nec vero magnus, sed inflatus ac tumidus, cui per justitiam resistit, qui gratiam largitur humilibus. Propter quod scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. IV, 6; I Petr. V, 5). Hic itaque in unoquoque justitia est, ut obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo, vel resistendo; atque ut ab ipso Deo pe-

[1] De Civit. Dei, lib. XIX, cp. 27. Hinc videri potest merito damnatam a Clem. V hanc Beguardorum propositionem: Jejunare non oportet hominem nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere quidquid placet (Denz.-Nebr. n. 362).

tatur et meritorum gratia, et venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio persolvatur.

In ea vero pace finali, quo referenda et cujus adipiscendae causa habenda est ista justitia, quoniam sanata immortalitate atque incorruptione natura vitia non habebit, nec unicuique nostrum vel ab alio vel a se ipso quidquam repugnabit, non opus erit ut ratio vitiis, quae nulla erunt; sed imperabit Deus homini, animus corpori, tantaque obediendi ibi erit suavitas et facilitas, quanta vivendi regnandique felicitas. Et hoc illic in omnibus atque in singulis aeternum erit, aeternumque esse certum erit: et ideo pax beatitudinis hujus, vel beatitudo pacis hujus, summum bonum erit [1].

174.—Pro praelatis. Nos enim, quos in isto loco, de quo periculosa ratio redditur, Dominus secundum dignationem suam, non secundum meritum nostrum constituti, habemus duo quaedam: *unum, quod christiani sumus*; *alterum quod praepositi sumus.*

Illud quod christiani sumus, propter nos est: quod autem praepositi sumus, propter vos est. In eo quod christiani sumus, attenditur utilitas nostra: in eo quod praepositi, nonnisi vestra.

Sunt autem multi christiani, et non praepositi, qui perveniunt ad Deum, faciliore fortasse itinere, et tanto forte expeditius ambulantes, quanto minorem sarcinam portant.

Nos autem, excepto quod christiani sumus, unde rationem reddemus Deo de vita nostra, sumus etiam praepositi, unde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra.

---

[1] Serm. 46 de Pastoribus in Ezech. n. 2.

Ad hoc istam difficultatem propono, ut compatientes nobis, oretis pro nobis.

Veniet enim dies, quo cuncta adducantur in judicium (Eccli. XII, 14). Et ille dies, si saeculo longe est, unicuique homini vitae suae ultimus prope est.

Tamen utrumque latere Deus voluit, et quando veniat finis saeculi, et quando sit in unoquoque homine hujus vitae finis. Vis non timere diem occultum? Dum venerit, inveniat te paratum.

Cum ergo praepositi ad hoc sint, ut his qui subjecti sunt consulant; non in eo quod praesunt, omnino utilitatem suam attendant, sed eorum quibus ministrant. Quisquis ita praepositus est, ut in eo, quo praepositus est, gaudeat, et honorem suum quaerat, et commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. Ad hos sermo dirigitur.

Audite tamquam oves Dei, et videte quemadmodum vos securos fecerit Deus; qualescumque sint qui vobis praesunt, id est, qualescumque nos simus; vobis securitatem dedit, qui pascit Israel. Nam Deus non deserit oves suas; et mali pastores poenas debitas luent, et oves promissa percipient [1].

Reddite, fratres, reddite nobis fructum laboris nostri: exigimus a vobis. Talis est enim merces nostra, quam a vobis exigimus, ut nec nos pudeat petere, nec vos pigeat erogare.

Hoc quod exigimus, erogando cumulabitis magis, quam detrimentum patiemini, si non erogaveritis.

Quae est ergo merces nostra? Non quaerimus aurum vestrum, non argentum vestrum, non nummum vestrum, nec quidquam de rebus vestris; sed merces nostra

[1] Serm. 46 de Pastoribus in Ezech. n. 2.

est, ut in illo sancto fonte adjuvetis nos orationibus vestris [1].

175.—Sume, fili mi, libros quos desiderasti, *Confessionum mearum:* ibi me inspice, ne me laudes ultra quam sum: ibi non aliis de me crede, sed mihi: ibi me attende, et vide quid fuerim in me ipso, per me ipsum: et si quid in me tibi placuerit, lauda ibi mecum, quem laudari volui de me: neque enim me. Quoniam ipse fecit nos et non ipsi nos: nos autem perdideramus nos, sed qui fecit, refecit.

Cum autem ibi me inveneris; ora pro me ne deficiam, sed perficiar: ora, fili, ora. Sentio quid dicam, scio quid petam; non tibi videatur indignum et quasi ultra merita tua. Fraudabis me magno adjutorio, si non feceris. Non solum tu, sed etiam omnes qui ex ore tuo dilexerint, orate pro me: hoc eis me petivisse indica, et si multum nobis tribuitis, jussisse nos existimate quod petimus, et tamen date petentibus, vel obtemperate jubentibus. Orate pro nobis. Lege Litteras divinas, et invenies ipsos Apostolos nostros petiisse hoc a filiis suis, sive praecepisse auditoribus suis.

Ego certe quoniam hoc a me petiisti pro te, quantum faciam, videt qui exaudiat, qui videbat quia et ante faciebam. Sed redde etiam in hac re dilectionis vicem.

Praepositi vestri sumus, grex Dei estis. *Considerate et videte pericula nostra majora esse quam vestra, et orate pro nobis.* Hoc enim et nobis condecet et vobis, ut bonam rationem de vobis reddamus pastorum principi, et omnium nostrum capiti, pariterque evadamus hujus mundi periculosiores blanditias quam molestias, nisi cum pax

[1] De cant. novo ad cathec. n. 10.

ejus ad hoc proficit, quod Apostolus orare nos monuit: *Ut quietam vitam et tranquillam agamus in omni pietate et caritate* (I Tim. II, 2).

Si enim desit pietas et caritas, quid est ab illis et a ceteris mundi malis tranquillitas et quies, nisi luxuriae perditionisque materies, sive invitamentum, sive adjumentum. Ut ergo habeamus quietam et tranquillam vitam, in omni pietate et caritate, quod nos pro vobis, orate pro nobis; ubicumque estis, ubicumque sumus: nusquam enim non est, cujus sumus. [1]

Sane memineritis et pro nobis non negligenter orare. Nolumus enim sic nobis honorem quem periculosum gerimus deferatis, ut adjutorium quod necessarium novimus, auferatis.

A familia Christi oratum est pro Petro, oratum est pro Paulo (Act. XII, 5): et vos in ejus familia esse gaudemus, et incomparabiliter plus quam Petrus et Paulus orationum fraternarum auxiliis indigemus. Orate certatim concordi sanctoque certamine: non enim adversus alterutrum certatis, sed adversus diabolum sanctis omnibus inimicum. In jejuniis et vigiliis, et omni castigatione corporis quamplurimum adjuvatur oratio.

Exaudiat te Dominus qui potens est facere supra quam petimus aut intelligimus [2].

176.—Pro concionatoribus. Vitemus omnes seditiones, omnes causas seditionis. Forte dicitis: intenti sumus, quid facturi sumus? Et quid vobis injungamus? Partes forte uberis pietatis. Nos disputemus pro vobis; vos orate pro nobis. Orationes etiam vestras jejuniis et eleemosy-

---

[1] Epist. 231, ad Darium, n. 6.
[2] Epist. 130 ad Prob. n. 31.

nis adjuvate. Addite pennas illis, quibus volant ad Deum. Sic agentes negotium, fortasse utiliores nobis eritis, quam nos vobis. Nemo enim nostrum in hac disputatione pro se praesumit: in Deo est tota spes. Neque enim meliores sumus Apostolo, qui dicit: *orate,* inquit, *pro me ut detur mihi sermo* (Eph. VI, 19). Illum ergo pro nobis rogetis, in quo spem posuimus, ut de nostra disputatione gaudeatis. Tenete ista, fratres, obsecramus vos, per nomen ipsius Domini, per amorem pacis, per plantatorem pacis, oramus vos, ut eum pacifice oretis, pacifice deprecemini, et memineritis esse filii ejus, a quo dictum est: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (Mt. V, 9) [1].

Jesus Filius Nave in eremo pugnabat, et Moyses orabat: non quidem ambo pugnabant, et ambo orabant, sed unus pugnabat et alius orabat (Exod. XVII, 9). Merito qui pugnabat non deficiebat, quia alter orando vincebat.

Ita ego loqui quidem videor, sed aliis orantibus loquor, ut precibus eorum contingat mihi, quod Dominus ait: *aperi os tuum et ego adimplebo illud* (Ps. 80, 11). Si ille ab uno tantum orante juvatur, et non superabatur; quanto magis ego, pro quo non unus, sed multi rogant Deum mecum.

Loquendo jam non timebit cor meum, quia *laudem Domini loquetur os meum* (Ps. 144, 11). Dominus noster Jesus Christus, fratres, jubet nobis aliquid, et promittit nobis aliquid. Quod jubet, hic est; quod promittit alibi est. Quod jubet, finitur, quia temporale, est; quod promittit, non finitur, quia aeternum est. Quod jubet, opus est; quod promittit, merces est.

---

[1] Serm. 358, de pace et carit. n. 6.

Hic advertat vestra Sanctitas, quanta est ejus misericordia erga nos, ut laborem hic posuerit cum fine, mercedem in caelo sine fine. Et ideo debemus prius hic laborare, et postea in caelo mercedem sumere, quam hic mercedem vel accipere, et postea laborare. De quibusdam enim dicit: *amen dico vobis, perceperunt mercedem suam* (Mt. VI, 7). Sed forte avidus es ad mercedem, et piger ad laborem. Qua fronte postulas quod promisit Deus, si non facis quod jussit Deus? Prius audi monitiones, et sic exige repromissiones. Prius, inquam, audi jubentem, et tunc exige pollicentem [1].

177.—Pro Regibus. Secundum praeceptum implebis, ut diligas inimicos tuos homines, et ores pro eis qui te persequuntur.

Nisi forte putas non orasse christianos illo tempore pro Saulo persecutore christianorum. Fortassis ad ejus conversionem vox illa Stephani martyris exaudita est. In illo enim persecutorum ejus numero fuit et lapidantium vestimenta servavit. Idem etiam ad Timotheum scribens ait: *Obsecro primum omnium, fieri deprecationes... gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus* (I Tim. II, I, 2). Jubebat ergo orari pro regibus: et tunc reges persequebantur Ecclesias. Sed quas tunc pro se orantes persequebantur, nunc pro se exauditas defendunt [2].

Obsecro itaque primum omnium fieri obsecrationes etc. pro omnibus hominibus, pro regibus etc. Nomine *orationis* ea proprie intelligenda est oratio, quam

---

1 Serm. 382 de S. Steph. n. 1.
2 Serm. 149 in verb. Act. X, n. 17.

facimus ad votum. Voventur autem omnia quae offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio, quo sacramento praedicatur nostrum illud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi. Ideo in hujus sanctificationis praeparatione, existimo Apostolum jussisse proprie fieri orationes. Postulationes fiunt cum populus benedicitur. Tunc enim antistites velut advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimae offerunt potestati. Quibus peractis et participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus.

Haec autem causa praecipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis atque significatis non putaretur negligendum esse quod sequitur: *pro omnibus hominibus, pro regibus, et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et caritate* (I Tim. II, 2); ne quisquam, sicut se habet humanae cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro his, a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda.

Unde adjungit et dicit: *hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (ib.3). Et ne quisquam diceret posse esse salutis viam in bona conversatione et unius Dei omnipotentis cultu, sine participatione corporis et sanguinis Christi; *unus enim Deus,* inquit, *et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus:* ut illud quod dixerat, omnes homines vult salvos fieri, nullo alio modo intelligatur praestari, nisi per mediatorem, non Deum quod semper Verbum erat, sed

dominum Christum Jesum, cum *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [1].

Ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est, de quo dicunt sacrae Litterae Hebraeorum, *beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius* (Ps. 143, 15). Miser igitur populus ab isto alienatus Deo.

Diligit tamen ipse etiam quamdam pacem suam non improbandam, quam quidem non habebit in fine, quia non ea bene utitur ante finem. Hanc autem ut interim habeat in hac vita, nostra etiam interest; quoniam quandiu permixtae sunt ambae Civitates, utimur et nos pace Babylonis; ex qua ita per fidem Dei populus liberatur, ut apud hanc interim peregrinetur.

Propter quod et Apostolus admonuit Ecclesiam ut oraret pro regibus ejus atque sublimibus, addens et dicens, ut quietam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et caritate.

Et propheta Jeremias cum populo Dei veteri venturam praenuntiaret captivitatem, et divinitus imperaret ut obedienter in Babyloniam irent, Deo suo etiam ista patientia servientes, monuit et ipse ut oraretur pro illa, dicens: *quia in ejus est pace pax vestra* (Jer. XXIX, 7), utique interim temporalis, quae bonis malisque communis est [2].

178.—Pro inimicis et persecutoribus. De dilectione inimici difficilis est quaestio, nec ea brevitate solvi potest. Sed cum auditis, orate pro nobis, et forte Dominus Deus cito dabit, quod putamus esse difficile.

Ex uno enim horreo vivimus, quia in una familia su-

---

[1] Epist. 149 ad Paulin. nn. 16, 17. Cf. cp. I h. op. n. 3.
[2] De Civit. Dei, lib. XIX, cp. 26.

mus. Quod ergo nos putamus esse valde intus in abdito, forte ipse qui promittit ponit in limine, ut facillime dari possit petentibus. Dilexit inimicos ipse Dominus Christus: pendens enim in cruce ait: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Lc. XXIII, 34). Secutus est ejus exemplum Stephanus, cum lapides in eum jacerentur, et ait: *Domine, ne statuas illis hoc delictum* (Act. VII, 59). Dominum imitatus est servus, ut nemo servorum sit piger, et putet hoc esse factum quod a solo Domino fieri poterat. Si ergo multum est ad nos imitari Dominum, imitemur conservum. Ad eamdem quippe gratiam vocati omnes sumus [1].

Esto bonus et tolera malum. Esto simpliciter bonus, et dupliciter tolera malum. Bonus, nonnisi intus: nam si non intus, nusquam bonus. Esto ergo bonus intus, malum tolera et foris et intus. Foris tolera haereticum, tolera paganum, tolera judaeum: tolera et intus malum christianum, *quia inimici hominis domestici ejus.*

Patiens molestos multos intus malos stomacharis, indignaris, quasi jam venerit tempus ventilationis. In tritura positus es, in tritura es adhuc, area trituratur adhuc; adhuc grana et manipuli, cum gentes credunt, ad aream colliguntur. Putas esse te posse in area triticum solum? Erras. Geme in area, ut gaudeas in horreo.

Cum videris hominem paganum calumniantem catholicos, noli deficere; quod ille quaerit, tu esto. Esto bonus christianus, ut convincas calumniosum paganum.

Sed ille calumniatur, et de bonis dicit falsa, plerumque illi creditur. Quid facit aurum? Undique palea est, ignis. Sordes pone, non fidem; esto mundior, ipsa exercitatione esto mundior; valeat tibi ille, qui auferat quo sordi-

[1] Serm. 149 de verb. Act. cp. X, n. 16.

dior es, non qui opprimat quod aurum es. Instruxit te Apostolus, regat te Deus.

Si mali non essent pro quibus oraremus, quando nobis diceretur, *orate pro inimicis vestris* (Mt. V, 44)? An forte vellemus bonos habere inimicos? Unde fieri potest? Non habebis bonum inimicum, nisi fueris malus: si autem fueris bonus, inimicus tuus non erit nisi malus. Orate pro inimicis vestris. Ergo boni, orate pro malis. Redi ad cor tuum. O tu qui in ista fornace purgaris, si potuit esse vox tua: *proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum, quoniam misericordia tua ante oculos meos est* (Ps. XXV, 2, 3): ecce redi ad cor tuum.

Sub Deo es, orationem fusurus es: ocurrit tibi qui te laesit, occurrit tibi qui te pressit, occurrit tibi qui te spoliavit, occurrit tibi qui te in carcerem misit: eia, attende cor tuum, respice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus Dominus tuus: nocet tibi inimicus tuus malus, ora pro inimico tuo, dicit tibi Dominus tuus bonus. Inter inimicum tuum malum et Dominum tuum bonum, quid tu facturus es? Contra illum oraturus aut huic optemperaturus?

Suscipis ex praecepto Domini tui orare pro maligno illo inimico tuo: quid facturus es? Dominus jussit, dura jussit; sed magna promissit. Quae dura jussit? *Diligite inimicos vestros, benefacite his quis oderunt vos* (Mt. V, 44). Dura sunt: *sed propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (Ps. XVI, 4). Unde tibi viribus tuis custodire vias duras, nisi quia misericordia tua ante oculos meos est?

Ecce dura jussit, amara jussit, vide quae promissit. *Orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est* (Mt. V, 44). Si tibi diceret: ora pro ini-

mico tuo ut sis filius patris tui, ne exheredet te pater carnalis, qui hoc tibi relicturus est, quod hinc non est ablaturus, timeres et faceres: promittitur tibi pro his duris, ut sis Filius Altissimi: cogita Patrem et agnosce hereditatem. Dic ergo, incipe orare pro inimico tuo illo magno, qui tibi multa mala fecit, qui in multa dura congessit: incipe pro illo orare, et vide cor tuum tecum litigare. Quod ergo vis, quod placet tibi, quod delectaris secundum interiorem hominem, quod obtemperas Domino tuo et oras pro inimico tuo, aurum est: quod vero cum orare coeperis, incipit tecum carnalis infirmitas litigare, ipsae sunt sordes, a quibus te Deus vult in fornace purgare [1].

179.—Sic itaque accipiatur diligendos inimicos esse, et benefaciendum his qui nos oderunt, et orandum pro his qui nos persequuntur, ut pro quibusdam etiam fratrum peccatis intelligatur non praeceptum esse, ut oremus: ne per imperitiam nostram divina Scriptura, quod fieri non potest, a se dissentire videatur. Sed utrum sicut pro quibusdam non est orandum, ita etiam contra aliquos orandum sit, nondum satis apparuit.

Generaliter enim dictum est: *Benedicite et nolite maledicere* (Rom. XII, 14), et illud, *nemini malum pro malo reddentes* (ib. 17). Pro quo autem non oras, non etiam contra illum oras (I Per. III, 9); potes enim certam ejus poenam videre, et penitus desperatam salutem, et non quia odisti eum, ideo pro illo non oras; sed quia sentis nihil te posse proficere, et orationem tuam non vis repelli a justissimo judice.

Sed quid agimus de his contra quos oratum a sanctis

---

[1] Serm. 15 in Ps. 25, nn. 7, 8.

accepimus, non ut corrigerentur, nam hoc modo potius pro ipsis oratum est; sed ad ultimam illam damnationem: non sicut contra Domini traditorem per Prophetam, nam illa praedictio futurorum, non optatio supplicii fuit; sed sicut in Apocalipsi Joannis legimus martyres orare ut vindicentur (Apoc, VI, 10), cum ille primus martyr ut lapidatoribus suis ignosceretur, oraverit (Act. VII, 59). Sed hinc non oportet moveri. Quis enim audeat affirmare, cum illi sancti candidati se vindicari petierint, utrum contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera et plena justitiae et misericordiae vindicta martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt.

Ad cujus eversionem nititur Apostolus, dicens: *non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (Rom. VI, 12). Destruitur autem et evertitur peccati regnum, partim correctione hominum, ut caro spiritui subjiciatur; partim damnatione perseverantium in peccato, ut ita justitia ordinentur, ut justis cum Christo regnantibus molesti esse non possint. Intuere apostolum Paulum, nonne tibi videtur in seipso Stephanum martyrem vindicare, cum dicit: *non sic pugno tamquam aerem verberans, sed castigo corpus meum et servituti subjicio* (I, Cor. IX, 26)?

Nam hoc in se utique prosternebat, et debilitabat, et victum ordinabat, unde Stephanum ceterosque christianos fuerat persecutus.

Quis ergo convincit Martyres sanctos non talem suam vindictam a Domino esse deprecatos, cum etiam finem hujus saeculi, in quo tanta exitia pertulerunt, ad suam vindictam licenter optare? Quod qui orant, et pro inimicis suis orant qui sanabiles sunt, et contra illos non

orant qui insanabiles esse voluerunt: quia Deus quoque puniendo illos non est malevolus tortor, sed justissimus ordinator. Sine ulla ergo dubitatione diligamus inimicos nostros, beneficiamus his qui oderunt nos, et oremus pro eis qui nos persequuntur [1].

Ante te omne desiderium meum: quale desiderium debeat esse ante oculos Dei, considera. Nunquid ut moriatur inimicus noster, quod quasi juste optant homines? Nam aliquando oramus quod non debemus.

Illud quod quasi juste orant homines, videamus. Nam orant ut moriatur aliquis et ad illos hereditas veniat. Sed et illi qui orant ut moriantur inimici, audiant Dominum dicentem: *orate pro inimicis vestris* (Mt. V, 44). Non ergo hoc orent, ut moriantur inimici; sed hoc orent, ut corrigantur et mortui erunt inimici: jam enim correcti, non erunt inimici [2].

Laudans invocabo Dominum et ab inimicis salvus ero (Ps. XVII, 4). Hymnus est enim canticum laudis. Laudans invoca, non reprehendens. Quando enim invocas Deum, ut premat inimicum tuum, quando de malo alieno gaudere vis, et ad hoc malum invocas Deum, participem eum facis malitiae tuae. Si ergo participem eum facis malitiae tuae, non ergo laudans invocas, sed reprehendens.

Talem enim putas Deum, qualis tu es. Unde tibi alio loco dicitur: *Haec fecisti et tacui, suspicatus es iniquitatem, quod ero tui similis* (Ps. 49, 21). Laudans ergo invoca Deum: noli eum putare similem tibi, ut similis fias illi.

Sic ergo lauda Dominum, ut nolis male inimicis tuis.

---

[1] Serm. Domini in Monte, nn. 76, 77.

[2] Enar. in Ps. 37, n. 14.

Et quantum eis, inquis, velim bonum? Quantum tibi. Non enim de tuo accepturi sunt ut boni sint, aut quod illis dabitur tibi minuetur. Inimicus tuus, quia malus est, inimicus est: fit bonus, et amicus erit, et socius erit: ut simul velis possidere quod amabas, jam frater erit. Laudans ergo invoca, hymnum dic Deo tuo [1].

180.—Exemplum insigne sancti Stephani martyris. Diligite proximos tamquam vos ipsos. Sed quis est proximus? Omnis homo proximus tuus est. Nonne duos parentes habuimus omnes? Factus est nobis unus pater, et de uno patre una mater: unus de nullo, sed a Deo factus est, et una de illo. Attendite genus nostrum: de uno fonte manavimus; et quia ille unus in amaritudinem versus est, omnes ex oliva oleaster facti sumus.

Venit et gratia. Generavit unus ad peccatum et ad mortem, tamen unum genus, tamen proximos sibi omnes; tamen non solum similes, sed etiam cognatos. Venit unus contra unum: contra unum qui sparsit, unus qui colligit. Sic contra unum qui occidit, unus qui vivificat. *Sicut* enim *in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur* (I, Cor. XV, 22). Sed quomodo de illo omnis qui nascitur moritur; sic in Christo omnis qui credit, vivificatur.

Habete itaque caritatem, fratres mei. Exposui vobis vestem nuptialem, exposui vobis vestem. Laudatur fides. Sed habete fidem cum dilectione. Ista est vestis nuptialis. Amate invicem qui Christum diligitis: amate amicos, amate inimicos. Non sit vobis durum. Quid ergo perditis, ubi multam acquiritis?

Quid pro magno rogas Deum, ut moriatur inimicus

[1] Enar. in Ps. 39, n. 4.

tuus? Non est vestis ista nuptialis. Attende ipsum sponsum in cruce pro te pendentem, et pro suis inimicis Patrem rogantem: *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Lc. XXIII, 34). Vidisti sponsum ista dicentem, vide et amicum sponsi cum veste nuptiali invitatum.

Benedictum Stephanum attendite, quomodo increpat judaeos, tamquam saevus, tamquam iratus: *dura cervice, et non circumcisi corde et auribus, vos restitistis Spiritui sancto. Quem prophetarum non occiderunt patres vestri* (Act. VII, 51, 52)? Audisti quomodo lingua saeviat.

Adhuc tu paratus es dicere in quemlibet, atque utinam in eum dicas, qui Deum offenderit, non qui te. Offendit Deum et non increpas; offendit te, clamas: ubi est vestis illa nuptialis?

Audistis ergo quomodo saevierit Stephanus: audite quomodo dilexerit. Offendit eos quos increpat, lapidatus est ab eis. Et cum undique furentium manibus, et lapidum ictibus premeretur et tunderetur, prius ait: *Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum.* Deinde posteaquam pro se stans oravit, pro illis qui lapidabant eum, genu fixit et dixit: *Domine, ne statuas eis hoc delictum*; ego moriar in carne, non illi in corde. Et hoc dicto, obdormivit (Act. VII, 58).

Post haec verba nihil addidit, dixit et abiit: novissima ejus oratio pro inimicis fuit.

Discite habere vestem nuptialem. Ita et tu fige genua, et collide frontem in terra, et accessurus ad mensam Domini, ad convivium sanctarum Scripturarum, noli dicere: si moriatur inimicus; Domine, si quid a te merui, occide inimicum meum. Quod si forte dicis, non times ne tibi respondeat: si occiderem inimicum tuum, te prius

occiderem? An gloriaris, quia modo invitatus venisti? Cogita, paululum ante quid fuisti. Nonne me blasphemasti, nonne me irrisisti, nonne nomen meum de terra delere voluisti? Sed plaudis tibi, quia invitatus venisti.

Si te occidissem inimicum, quem facerem amicum? Quid male orando doces me, quod non feci in te? Imo ego, dicit tibi Deus, doceam te, ut imiteris me. In cruce pendens dixi: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Lc. XXIII, 34). Docui hoc militem meum. Esto tyro meus contra diabolum. Aliter invicte nullo modo pugnabis, nisi pro tuis inimicis oraveris.

Dic plane, dic ut inimicum tuum persequaris; sed scienter dic, distingue quod dicis. Ecce homo est inimicus tuus: responde mihi, quid in illo inimicetur tibi. Numquid hoc quod homo est, inimicatur tibi? Non. Sed quid? Quod malus est. Quod homo est, quod ego feci, non tibi inimicatur. Dicit tibi: ego hominem feci non malum; factus est malus per inobedientiam, qui potius zabulo obedivit, quam Deo.

Quod ipse fecit, hoc tibi inimicatur, unde malus tibi inimicus est, non unde homo est. Audio enim hominem, et malum: unum nomen est naturae, alterum culpae: sano culpam, et servo naturam. Hoc tibi dicit Deus tuus. Et ecce vindico te, occido inimicum tuum, de illo tollo quod malus est, servo quod homo est: numquid si fecero illum hominem bonum, non occidi inimicum tuum, et feci amicum tuum?

Sic roga quod rogas, ut non homines pereant, sed ipsae inimicitiae pereant. Si autem hoc oras, ut homo moriatur, malus oras contra malum, et cum dicis, occide malum; respondet tibi, quem vestrum?

Extendite ergo dilectionem, non usque ad conjuges

et filios vestros. Ista dilectio etiam in pecoribus et passeribus invenitur. Scitis istos passeres et hirundines quemadmodum diligant conjuges, simul ova fovent, simul pullos nutriant, grata quadam et naturali bonitate, nulla cogitata mercede.

Non enim dicit passer: nutriam filios meos, ut cum senuero, pascant me. Nihil horum cogitat, gratis amat, gratis pascit: affectum parentis exhibet, retributionem non requirit. Et vos, novi, scio, sic amatis filios vestros; non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis (II Cor. XII, 14). Hinc etiam multi excutatis avaritiam vestram, quia filiis vestris acquiritis, eisque servatis.

Sed extendite dilectionem, crescat ista dilectio: amare autem filios et conjuges, nondum vestis illa nuptialis est. Habete fidem ad Deum. Prius diligite Deum. Extendite ad Deum; et quos poteritis, rapite ad Deum. Filius est, uxor est, servus est, rapiatur ad Deum. Peregrinus est, inimicus est, rapiatur ad Deum. Rape, rape inimicum, rapiendo non erit inimicus. Sic proficiatur, sic caritas nutriatur, ut nutrita perficiatur: sic vestis nuptialis induatur, sic imago Dei, ad quam creati sumus, proficiendo resculpatur. Veritas quaeritur in Dei imagine, non vanitas. Amando enim veritatem, imago illa, ad quam creati sumus, resculpatur, et proprius nummus Caesari nostro reddatur.

Moneta Christi homo est. Ibi imago Christi, ibi nomen Christi, munus Christi, et officia Christi [1].

Qui odit fratrem suum homicida est (I, Jo. III, 15). Non venenum parasti, non ad percutiendum inimicum cum gladio processisti, non ministrum sceleris praepa-

[1] Serm. 90 de verb. Mt. cp. XXII, nn. 7-10.

rasti, non locum, non tempus: postremo ipsum scelus non fecisti: tantum odisti, et prius te quam illum occidisti. Discite ergo justitiam, ut non oderitis nisi vitia, homines ametis. Hoc si tenueritis, et hanc justitiam feceritis, ut homines etiam vitiosos sanari malitis potius quam damnari, bonum opus in vinea fecistis. Sed exercete vos in hoc, fratres mei.

Ecce post sermonem fit missa catechumenis: manebunt fideles, venietur ad locum orationis. Scitis quo accessuri sumus, quid prius Deo dicturi sumus? *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Mt. VI, 12). Agite ut dimittatis.

Sed non vult dimittere anima tua, et contristatur, quia dicis ei: noli odisse. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me* (Ps. 41, 6)? Quare tristis es? Noli odisse, ne perdas me. Quare conturbas me? Spera in Deum. Langues, anhelas, aegritudine sauciaris; non potes tibi tollere odium. Spera in Deum, medicus est, pro te pependit in ligno, et nondum est vindicatus. Quid vis vindicari? Ideo enim odisti ut vindeceris.

Vide pendentem Dominum tuum, vide pendentem, et tibi de ligno tamquam de tribunali praecipientem. Vide pendentem, et tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, si vindicari vis: vide pendentem, audi precantem: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

Sed potuit hoc facere, dicis mihi: ego non possum. Ego enim homo sum, ille Deus: homo ego, ille Deus homo. Deus ergo ut quid homo, si non corrigitur homo?

Sed ecce tibi loquor: o homo, multum est ad te imitari Dominum tuum, attende Stephanum conservum tuum. Certe Stephanus homo erat quod tu. Sed quod

fecit, nonnisi donante illo, quem rogas et tu. Vide tamen quid fecerit.

Irati judaei et mala pro bonis reddentes, ad lapides cucurrerunt, Dei famulum lapidare coeperunt. Hic proba, sancte Stephane, dilectionem tuam; hic, hic te videamus, hic spectemus, hic victorem diaboli triumphatoremque cernamus.

Videamus si diligis lapidantes. Si enim odisti, et odisse potuisti, nunc est tempus quando lapidaris, tunc maxime odisse debes. Videamus si reddis duritiam cordis lapidibus duris, lapidibus qui te lapidant.

Videamus, carissimi, spectemus magnum spectaculum. Ecce Stephanus lapidatur, sit constitutus quasi ante oculos nostros. Eia membrum Christi, eia athleta Christi, inspice illum qui pro te pependit in ligno. Crucifigebatur ille, tu lapidaris. Ille dixit: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tu quid dicis, audiam. Videam te, ne forte possim imitari vel te.

Primo beatus Stephanus stans oravit pro se et ait: Domine Jesu, accipe spiritum meum. Deinde positis genibus pro lapidatoribus orans, Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum. Hoc dicto obdormivit.

O felix somnus, et requies vera. Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare. Sed paululum quaeso te, sancte Stephane, expone mihi hoc, nescio quid, quare pro te stans orasti, et pro inimicis genu fixisti? Respondet fortasse quod intelligimus. Pro me stans oravi, quia pro me, qui recte Deo servivi, oravi, orando et impetrando non laboravi. Qui pro justo orat, non laborat, ideo stans pro se oravit.

Ventum est ut oraret pro judaeis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus sanctorum, pro lapidatori-

bus suis, attendit nimiam et magnam esse impietatem ipsorum, quae difficile donari posset, et genu fixit.

Fige genu in hac vinea, o fortis operarie, fige, inquam, genu in opere hujus vineae, fortissime operarie. Magnum opus tuum, egregium et laudandum multum. Multum altum fodisti, qui odium inimicorum de corde exuisti [1].

181.—Pro peccatoribus. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas et mendaces.* Unde enim insaniae mendaces? Insania mendax, sanitas verax. Quae vides, bona putas, falleris: sanus non es, nimia febre phreneticus factus es, verum non est quod amas. Laudas aurigam [2], clamas aurigae, insanis in aurigam. Vanitas est, insania mendax est. Non est, ait, nihil melius, nihil delectabilius.

Quid facio febrienti? Si est in vobis misericordia, orate pro talibus. Quia et ipse medicus plerumque in desperatione convertitur ad eos qui circumstant lacrimantes in domo; qui pendent ex ore ejus audire sententiam de aegroto et periclitante, stat anceps medicus, non videt bonum quod promittat, timet malum pronuntiare, ne terreat: modestam plane iste concipit sententiam; bonus Deus omnia potest, orate pro illo.

Quem itaque comprehendam istorum insanorum, quis me audiat, quis eorum nos non miseros dicat? Quia cum eis non insanimus, amisisse nos putant magnas et varias voluptates, in quibus ipsi insaniunt; nec vident quia mendaces sunt. Quando illi ovum do vel invito, vel ca-

---

[1] Serm. 49 de verb. Mich. nn. 7-10.

[2] Aurigam vocabant, qui curules equos in circo regebat et agitabat. In aurigas stat Concil. Arelatensis I, can. 4.

licem salutarem porrigo saucio; et quomodo reficiam, quando invenio? Ne inedia deficiat, et ad sanitaten non perveniat, hortor ut reficiat: pugnos parat, saevire vult in medicum. Et si percusserit, diligatur, et si injuriam fecerit, non relinquatur; rediturus est ad mentem, gratias acturus.

Quam multi hic cognoscunt se, vident se invicem, et loquuntur de se in Ecclesia Dei; in Ecclesiae sanctae gremio attendunt studia sua jam bona circa verbum Dei, circa officia et obsequia caritatis, ad frequentandum gregem Christi non recedere de Ecclesia, vident et loquuntur ad invicem de invicem.

Certe ista sunt, certe gaudemus de talibus. Si gaudemus de talibus, non desperemus de talibus. Oremus pro ipsis, fratres carissimi, inde crescit numerus sanctorum, de numero qui erat impiorum.

Et non respexit in vanitates et insanias mendaces. Ille vicit, talem equum junxit, pronuntiat, quasi divinus vult esse: affectat divinitatem, amittendo fontem divinitatis; et saepe pronuntiat, et saepe fallitur. Quare hoc? Quia insaniae mendaces sunt. Quare autem aliquando proveniunt quae dicunt? Ut abducant insanos, ut amando ibi speciem veritatis, incurrant laqueum falsitatis: retro sint, relinquantur, amputentur.

Si membra nostra erant, mortificentur: *mortificate,* inquit, *membra vestra quae sunt super terram* (Colos. III, 5). Sit spes nostra Deus noster. Qui fecit omnia, melior est omnibus: qui pulchra fecit, pulchrior est omnibus: qui fortia, fortior: qui magna, major est: quidquid amaveris, ille tibi erit. Disce amare in creatura Creatorem, et in factura Factorem: ne teneat te quod ab illo factum est, et amittas eum a quo et ipse factus es. Ergo beatus

vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mendaces [1].

Dicit apostolus Joannes: *Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non ad mortem, postulabit, et dabit illi Dominus vitam qui peccat pro illo dico ut roget* (I Jo. V, 16). Aperte enim ostendit esse quosdam fratres pro quibus orare non nobis praecipitur, cum Dominus etiam pro persecutoribus nostris orare jubeat (Mt. V, 44).

Nec ista quaestio solvi potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, quae inimicorum persecutione graviora sint...

Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitatur (Vid. Retract. Lib. I, cp. 19, n. 7). Peccatum non ad mortem est, si quisquam non amorem a fratre alienaverit, sed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter et Dominus in cruce ait: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Lc. XXIII, 34): nondum enim gratiae Spiritus Sancti participes facti societatem sanctae fraternitatis inierant.

Et beatus Stephanus in Actibus Apostolorum orat pro eis a quibus lapidatur, quia nondum Christo crediderant, neque adversus illam communem gratiam dimicabant. Et apostolus Paulus propterea credo non orat pro Alexandro, quia jam frater erat, et ad mortem, id est, invidentia fraternitatem oppugnando, peccaverat. Pro his autem qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, orat ut eis ignoscatur. Sic enim dicit:

[1] Enar. in Ps. 39, n. 8.

Alexander aerarius multa mihi mala ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus, quem et tu devita: valde enim restitit nostris sermonibus (II Tim. IV, 14). Deinde subjungit pro quibus orat, ita dicens: *in prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur* [1].

Sicut sustinuit anima mea, pro nihilo salvos facies eos. Hoc dico quod sustinui. Loquebatur propheta expertus. Omnes sustineat anima mea; foris latrantes, intus occultantes sustineat. Forinsecus veniens, quasi fluvius venit tentatio, in petra te inveniat, impingat non dejiciat; fundata est domus supra petram. Intus est, incolet et abscondet; ut palea tibi vicinetur, intret tribula tentationum; tu purgaris, illa comminuitur.

Sicut sustinuit anima mea etc. Docuit et pro ipsis orare.

Nempe incolent et abscondent, nempe dolosi, nempe simulatores atque insidiatores sunt: tu ora pro eis, et noli dicere: nunquid et talem hominem Deus correcturus est, tam malum, tam perversum? Noli desperare: quem roges attende, non pro quo roges. Magnitudinem morbi vides, potentiam medici non vides? incolent et abscondent: sicut sustinuit anima mea. Sustine, ora: et quid fit? Pro nihilo salvos facies eos. Sic illos salvos facies, ut nihil tibi sit, id est, ut nullus labor tibi sit. Hominibus desperati sunt, sed tu verbo curas: non laborabis in curando, quamvis nos stupeamus inspiciendo [2].

182.—Pro infidelibus et haereticis. Pervenimus in ea, quae ad fidem veram et catholicam pertinere firmissime

---

[1] Serm. Domini in Monte, lib. I, cp. 22, n. 73.

[2] Enar. in Ps. 55, nn. 11, 12.

scimus, in quibus ita nobis ambulandum est, adjuvante illo atque miserante, cui dicimus: *deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua* (Ps. 85, 11), ut ab eis nullo modo deviemus.

Quoniam ergo propitio Christo christiani catholici sumus; scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate et libero arbitrio.

Scimus pro eis, qui nolunt credere, nos qui jam credimus recta fide agere, cum Deum oramus ut velint.

Scimus pro eis, qui ex illis crediderunt, tamquam de beneficiis, recte atque veraciter et debere nos Deo agere gratias et solere.

Jam vero haec brevi expositione percurram.

Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, nonnisi sua libera credere voluntate: tum potius illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda et agenda fit liberum? Quomodo dicitur quod per legem Dei atque doctrinam Scripturarum fiat, quod eadem Scriptura dixit: praeparatur voluntas a Domino (Prov. VIII, juxta LXX); ac non potius per occultam inspirationem gratiae Dei; quandoquidem pro eis, qui eidem doctrinae contradicentes nolunt ei credere, ipsum Deum fide recta rogamus ut velint?

Quomodo Deus expectat voluntates hominum, ut praeveniant eum quibus det gratiam; cum gratias et non immerito agamus de iis, quibus non ei credentibus, et ejus doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordia praerogavit, eosque ad se ipsum potentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit?

Ut quid et inde gratias agimus, si hoc ipse non fecit?

Ut quid tanto magis eum magnificamus, quanto magis nolebant credere, quos credidisse gaudemus, si gratia divina voluntas in melius non mutatur humana?

Apostolus Paulus: *eram,* inquit, *ignotus facie Ecclesiis Judaeae, quae sunt in Christo; tantum autem audiebant, quia qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem quam aliquando vastabat; et in me magnificabant Deum* (Gal. I, 22).

Ut quid magnificabant Deum, si non Deus ad se ipsum cor illius viri suae gratiae bonitate converterat, quando ut ipse confitetur, misericordiam consequutus est, ut fidelis esset, ea fide, quam aliquando vastabat (I Cor. VII, 23)? Ipsum etiam verbum quod posuit, quem nisi Deum hoc tam magnum bonum fecisse declarat? Quid est enim, in me magnificabant Deum, nisi in me Deum magnificum praedicabant? Quomodo autem eum magnificum praedicabant, si magnum illud factum de Pauli conversione ipse non fecerat, et quo pacto ipse fecerat, si volentem credere ex nolente ipse non fecerat?

Nempe manifestum est ex illis sententiis, quas pertinere ad catholicam fidem negare non sineris, non solum omnibus verum etiam singulis id confici, ut confiteamur gratia Dei praeveniri hominum voluntates, et per hanc eas potius praeparari, quam propter earum meritum dari.

Sed inter haec reperies fortasse aliquid, quod negandum vel dubitandum putes, et unde nos operosius disputare compellas.

Nunquid et orare prohibebis Ecclesiam pro infidelibus, ut sint fideles: pro iis qui nolunt credere, ut velint credere, pro iis qui ab ejus lege doctrinaque dissentiunt, ut legi ejus doctrinaeque consentiant, ut det illis Deus

quod per prophetam promisit (Baruch, II, 31), cor cognoscendi eum et aures audiendi, quas utique acceperant, de quibus Salvator ipse dicebat: *Qui habet aures audiendi, audiat?*

Nunquid ubi audieris sacerdotem Dei ad altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis, Amen?

Nunquid postremo apostolum Paulum pro Judaeis infidelibus habentem talia vota culpabis? De quibus ait: *bona voluntas quidem cordis mei, et deprecatio ad Deum sit pro illis in salutem* (II Thes. III, I, 2). Qui etiam Thessalonicensibus dicit: De cetero, fratres, orate pro nobis, ut verbum Domini currat et glorificetur sicut etiam apud vos, et ut eruamur ab iniquis et malis hominibus. Non enim omnium est fides.

Quomodo curreret et glorificaretur verbum Dei, nisi ad fidem conversis eis, quibus praedicaretur; quandoquidem jam credentibus dicit: quemadmodum et apud vos? Scit certe hoc ab illo fieri, quem vult rogari ut hoc faciat, ut etiam eruatur ab iniquis et malis hominibus: qui profecto et aliis orantibus non erant credituri. Propter quod addit: non enim omnium est fides: tanquam diceret, non enim apud omnes etiam vobis orantibus glorificabitur verbum Dei. Quia ipsi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam aeternam, praedestinati in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum et electi in ipso ante mundi constitutionem (Eph. I, 4, 5); sed ideo Deus per orationes credentium nondum credentes credere facit, ut ostendat quia ipse facit. Nemo est enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogari se praecepit ut faciat.

Haec et alia testimonia divina, quae commemorare longum est, ostendunt Deum gratia sua auferre infidelibus cor lapideum, et praevenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam praeparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. Hoc et gratiarum actio indicat quod oratio: oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus.

Qui enim est orandus ut faciat, illi est actio gratiarum reddenda cum fecerit. Unde idem dicit Apostolus ad Ephesios: *Propter hoc et ego, audita fide vestra in Domino Jesu, et dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis* (I, 15).

Loquimur autem nunc de ipsis initiis, cum homines qui erant aversi et adversi, convertuntur ad Deum, et velle incipiunt quod nolebant, et habere fidem quam non habebant; quod ut fiat in eis, oratur pro eis, quamvis non oretur ab eis. Ipsi enim *quomodo invocabunt, in quem non crediderunt* (Rom. X, 14)? Cum vero factum fuerit quod oratur, ei qui fecit aguntur gratiae, et pro eis et ab eis.

De precationibus autem jam fidelium, quas et pro se et pro aliis fidelibus faciunt, ut proficiant in eo quod esse coeperunt, et de gratiarum actionibus quia proficiunt, confligendum esse tecum non puto: contra Pelagianos est iste conflictus, tibique nobisque communis. Illi quippe omnia ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia, ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non a Domino putent esse poscenda: tu autem si ea, quae de te audio vera sunt, initium fidei, ubi est etiam initium bonae, hoc est, piae voluntatis, non vis donum esse Dei, sed ex nobis nos habere con-

tendis ut credere incipiamus; cetera autem religiosae vitae bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quaerentibus, pulsantibus donare consentis.

Nec attendis ideo pro infidelibus Deum rogari ut credant, quoniam Deus donat et fidem; ideo pro eis et qui crediderint Deo gratias agi, quoniam donavit et fidem.

Quamobrem ut hunc ad te sermonem aliquando concludam, si negas orandum esse, ut qui nolunt credere, velint credere; si negas agendas esse Deo gratias, quoniam credere voluerunt, qui nolebant credere, aliter tecum agendum est, ut non sic erres, aut si errare persistis, ne mittas alios in errorem.

Si autem quod de te magis credo, sentis atque consentis orare nos Deum debere ac solere pro nolentibus credere, ut velint credere, et pro eis qui adversantur et contradicunt legi ejus atque doctrinae, ut ei credant eamque sectentur; si sentis atque consentis debere nos etiam agere gratias ac solere pro talibus, cum ad fidem ejus doctrinamque conversi volentes ex nolentibus fiunt, oportet sine dubitatione fatearis voluntates hominum Dei gratia praeveniri, et ut bonum velint homines, quod nolebant, Deum facere, qui rogatur ut faciat, et cui nos novimus agere gratias dignum et justum esse cum fecerit. Dominus tibi det intellectum in omnibus [1].

Ergo fratres mei, ut noveritis etiam fidem a Domino Deo esse nobis, orate pro illis qui nondum crediderunt. Si quis habet amicum forte infidelem, moneo illum ut oret pro illo. Vere opus est ut ego illum monean? Maritus christianus est, uxor infidelis est: non orat pro uxore sua ut credat? Uxor est christiana, maritus infidelis est: non orat mulier religiosa pro marito suo ut credat?

[1] Epist. 217 ad Vitalem, nn. 15-30.

Quando hoc orat qui orat, quid orat nisi ut Deus det illi fidem? Ergo donum Dei est fides. Nemo se extollat, nemo sibi arroget, quasi sibi aliquid dederit. *Qui glorietur in Domino glorietur* [1].

183. — **Brevis ac caritativa divi Augustini oratio pro haereticis.** Deus magne, Deus omnipotens, Deus summae bonitatis, quem inviolabilem atque incommutabilem credi atque intelligi fas est, Trina unitas, quam catholica Ecclesia colit, supplex oro, expertus in me misericordiam tuam, ne homines, cum quibus mihi a pueritia in omni convictu fuit summa consensio, in tuo cultu a me dissentire permittas [2].

184.—**Possumus et debemus pro defunctis exorare.** Die nono aegritudinis suae, quinquagesimo et sexto anno aetatis suae, trigesimo et tertio aetatis meae, anima illa religiosa et pia matris meae corpore soluta est.

Premebam oculos ejus, et confluebat in praecordia mea moestitudo ingens, et transfluebat in lacrimas, ibidemque oculi mei violento animi imperio resorbebant fontem suum usque ad siccitatem, et in tali luctamine valde male mihi erat. Tum vero ubi efflavit extremum spiritum, puer Adeodatus exclamavit in planctum atque ab omnibus nobis coërcitus tacuit. Hoc modo etiam meum quiddam puerile quod habebatur in fletus juvenili voce cordis, coërcebatur et tacebat.

Neque enim decere arbitrabamur funus illud quaestibus lacrimosis gemitibusque celebrare; quia his plerumque solet deplorari quaedam miseria morientium, aut quasi omnimoda extinctio. At illa nec misere mo-

---

[1] Serm. 168 Galat. cp. VI, n. 7.

[2] De duab. animab. cont. Manich. n. 24.

riebatur, nec omnino ficta, rationibusque certis tenebamus.

Quid ergo erat quod intus mihi graviter dolebat, nisi ex consuetudine simul vivendi dulcissima et carissima repente disrupta vulnus recens? Gratulabar quidem testimonio ejus, quod in ea ipsa ultima aegritudine obsequiis meis interblandiens appellabat me pium, et commemorabat grandi dilectionis affectu numquam se audisse ex ore meo jaculatum in se durum aut contumeliosum sonum.

Sed tamen quid tale, Deus meus, qui fecisti nos, quid comparabile habebat honor a me delatus illi, et servitus ab illa mihi? Quoniam itaque deserebar tam magno ejus solatio, sauciabatur anima mea, et quasi dilaniabatur vita, quae una facta erat ex mea et illius.

Cohibito ergo a fletu illo puero, Psalterium arripuit Evodius, et cantare coepit psalmum. Cui respondebamus omnis domus: *misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (Ps. 101, 1). Audito autem quid ageretur, convenerunt multi fratres ac religiosae feminae: et de more illis quorum officium erat funus curantibus, ego in parte ubi decenter poteram, cum eis qui me non deserendum esse censebant, quod erat tempori congruum disputabam, eoque fomento veritatis mitigabam cruciatum tibi notum, illis ignorantibus et intente audientibus, et sine sensu doloris me esse arbitrantibus.

At ego in auribus tuis, ubi eorum nullus audiebat, increpabam mollitiem affectus mei, et constringebam fluxum maeroris, cedebatque mihi paululum, rursusque impetu suo ferebatur, non usque ad eruptionem lacrimarum, nec usque ad vultus mutationem, sed ego sciebam quid corde premerem. Et quia mihi vehementer displi-

cebat tantum in me posse haec humana, quae ordine debito et sorte condicionis nostrae accidere necesse est, alio dolore dolebam dolorem meum, et duplici tristitia macerabar.

Cum ecce corpus elatum est, imus, redimus sine lacrimis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi, sed toto die graviter in occulto maestus eram, et mente turbata rogabam te ut poteram, quo sanares dolorem meum: nec faciebas, credo commendans memoriae meae, vel hoc uno documento omnis consuetudinis vinculum, etiam adversus mentem, quae jam non fallaci verbo pascitur.

Visum etiam mihi est ut irem levatum, quod audieram inde in balneis nomen inditum, quia graeci βαλανεῖον dixerint: quod anxietatem pellat ex animo. Ecce et hoc confiteor miseridordiae tuae, Pater orphanorum, quoniam lavi, et talis eram qualis prius quam lavissem. Neque enim exsudabit de corde meo maeroris amaritudo. Deinde dormivi et evigilavi, et non parva ex parte mitigatum inveni dolorem meum; atque ut eram in lecto meo solus, recordatus sum veridicos versus Ambrosii tui; tu es enim

Deus creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine:
Noctem sopora gratia,
Artus solutos ut quies
Reddat laboris usui,
Mentesque fessas allevet,
Luctusque solvat anxios.

Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conversationemque ejus piam in te, et sancte in nos blandam atque morigeram, qua subito destitutus sum; et libuit flere in conspectu tuo de illa et pro illa, de me et pro me. Et dimisi lacrimas quas continebam, ut effluerent quantum vellent, substernens eas cordi meo; et requievi in eis, quoniam ibi erant aures tuae, non cujusquam hominis superbe interpretantis ploratum meum.

Et nunc, Domine, confiteor tibi in litteris. Legat qui volet, et interpretur ut volet, et si peccatum invenerit flevisse me matrem exigua parte horae, matrem oculis meis interim mortuam, quae me multos annos fleverat, ut oculis tuis viverem, non irrideat; sed potius, si est grandi caritate, pro peccatis meis fleat ipse ad te patrem omnium fratrum Christi tui.

Ego autem jam sanato corde ab illo vulnere in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi, Deus noster, pro illa famula tua longe aliud lacrimarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animae quae in Adam moritur. Quamquam illa in Christo vivificata (I Cor. XV, 22), etiam nondum a carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribusque ejus; non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore ejus contra praeceptum tuum.

Et dictum est a Veritate Filio tuo: *si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis* (Mt. V, 22). Et vae etiam laudabili vitae hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiae. Quisquis autem tibi enumerat

vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se homines homines; *et qui gloriatur, in Domino glorietur* (I Cor. X, 17). Ego itaque, laus mea et vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meae deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum quae pependit in ligno: et sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis.

Scio misericorditer operatam, et ex corde dimisisse debitoribus suis; dimitte illi et tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in judicium (Ps. 142, 2). *Superexaltat misericordia judicium* (Jac. II, 13), quoniam eloquia tua vera sunt, et promisisti misericordiam misericordibus (Mt. V, 7). Quod ut essent, tu dedisti eis, qui misereberis cui misertus eris, et misericordiam praestabis cui misericors fueris (Rom. IX, 15).

Et credo jam feceris quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba, Domine (Ps. 118, 108). Namque illa imminente die resolutionis suae non cogitavit suum corpus suntuose contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulcrum patrium. Non ista mandavit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei praetermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis (Colos. II, 14), qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, et quaerens quid objiciat, et nihil inveniens in illo quo vincimus.

Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium quo nos emit, ut nos auferat ei? Ad cujus

pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo a protectione tua disrumpat eam. Non se interponat nec vi, nec insidiis leo et draco; neque enim respondebit illa nihil se debere, ne convicatur et obtineatur ab accusatore callido; sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet quod pro nobis non debens reddidit.

Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli et post quem nulli nupta est, cui servivit fructum tibi afferens cum tolerantia (Lc. VIII, 15, 15), ut eum quoque lucraretur tibi. Et inspira, Domine meus, Deus meus, inspira servis tuis fratribus meis, filiis tuis dominis meis, quibus et voce et corde et litteris servio, ut quotquot haec legerint, meminerint ad altare tuum Monnicae famulae tuae, cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio.

Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, et fratrum meorum sub te patre in matre catholica, et civium meorum in aeterna Jerusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu usque ad reditum, ut quod a me illa poposcit extremum, uberius illi praestetur in multorum orationibus per confessiones, quam per orationes meas [1].

185.—Admonet nos beatus Apostolus, ut de dormientibus, hoc est, mortuis carissimis nostris, non contristemur sicut et ceteri qui spem non habent (I Thes. IV, 12), spem scilicet resurrectionis et incorruptionis aeternae. Nam ideo et dormientes eos appellat Scripturae veracissima consuetudo, ut cum dormientes audimus,

[1] Confess. Lib. IX, cp. XI, n. 28; cp. XII et XIII.

evigilaturos minime desperemus. Unde etiam cantatur in psalmo: *numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat* (Ps. 40, 9)? Est ergo de mortuis eis qui diligunt, quaedam tristia quodam modo naturalis. Mortem quippe horret non opinio, sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex poena quam praecesserat culpa.

Quapropter si animalia quae ita creata sunt, ut suo quaeque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam; quanto magis homo, qui sic fuerat creatus, ut si vivere sine peccato voluisset, sine termino viveret? Hinc itaque necesse est ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus; quia etsi novimus eos non in aeternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum praecedere secuturos; tamen mors ipsa quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideo non admonuit Apostolus, ut non contristemur, sed non sicut ceteri qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur; inde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana condicio, hinc sanat divina promissio.

Proinde pompae funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturae, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum.

Orationibus vero sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari; ut cum eis misericordibus agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt.

Hoc enim a patribus traditum, universa observat

Ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiae celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quae per dilectionem operatur, ejusque sacramentis, de corporibus exierunt, frustra illis a suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hic essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, et sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum praecedentibus consequentia ista redduntur. Non enim actum est, nisi cum hic viverent, ut eos haec aliquid adjuvarent, cum hic vivere destitissent. Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam.

Permittantur itaque pia corda carorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili, et consolabiles lacrimas fundant condicione mortali; quas cito reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire, et ad meliora transire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, sive quae funeribus, sive quae dolentibus adhibentur, ne sit justa querela dicentium: *sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, et consolantes et non inveni* (Ps. 68, 21).

Sit pro viribus cura sepeliendi et sepulcra construendi; quia et haec in Scripturis sanctis inter bona opera

deputata sunt: nec solum in corporibus patriarcharum aliorumque sanctorum, et humanis cadaveribus quorumcumque jacentium; verum etiam in ipsius Domini corpore praedicati atque collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant haec homines erga suos officia postremi muneris, et sui humani lenimenta maeroris. Verum illa quae adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis observantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritaliter amant [1].

Si sederis cenare ad mensam potentis, considerans intelligi quae apponuntur tibi; et sic mitte manum tuam, sciens quia talia te oportet praeparare (Prov. XXIII, 1, 2). Nam quae mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus et sanguis ejus, qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est considerare et intelligere quae apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere manum, ut scias quia talia te oportet praeparare, nisi quod jam dixi, quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere? Sicut enim ait etiam apostolus Petrus: *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (I Petr. II, 21). Hoc est talia praeparare.

Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt: quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio, quo et ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet ut quemadmodum ipsi, et nos talia praeparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic

---

[1] Serm. 172 de verb. Apost. I Thes. IV.

eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus; quia impleverunt ipsi caritatem, qua Dominus dicit non posse esse majorem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt [1].

Quod tunc erat dolendum, nunc auferendum est, non aspere, sed sicut scriptum est, *in spiritu lenitatis et mansuetudinis* (Gal. VI, 1). Dant enim mihi fiduciam litterae tuae indices germanissimae caritatis, ut tecum tamquam mecum audeam colloqui. *Non ergo aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine, severitas autem exercenda est in peccata paucorum.* Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.

Ita prius movebuntur spiritales vel spiritalibus proximi, quorum auctoritate, et lenissimis quidem sed instantissimis admonitionibus cetera multitudo frangatur.

Sed quoniam istae in coemeteriis ebrietates et luxuriosa convivia, non solum honores martyrum a carnali et imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum; mihi videtur facilius illic dissuaderi posse istam foeditatem ac turpitudinem, si et de Scripturis prohibeatur, et oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosae, atque omnibus potentibus sine typho et cum alacritate praebeantur: neque vendantur, sed si quis pro religione aliquid pecuniae offer-

[1] In Joan. Evang. Tract. 84, n. 1.

re voluerit, in praesenti pauperibus eroget. Ita nec deserere videbuntur memoriae suorum, quod potest gignere non levem cordis dolorem, et id celebrabitur in Ecclesia quod pie et honeste celebratur. Haec interim de comessationibus et ebrietatibus dicta sint [1].

186.—Quaeris a me utrum prosit cuique post mortem quod corpus ejus apud sancti alicujus Memoriam sepelitur.

Et dicis videri tibi non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium pro suis ista curantium. Adjungis etiam vacare non posse, quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit; ut hinc et illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando ejus corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quaesita sanctorum.

Sed cum haec ita sint, quomodo huic opinioni contrarium non sit, quod dicit Apostolus: *omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quae per corpus gessit, sive bonum sive malum* (II Cor. V, 10). Haec quippe apostolica sententia ante mortem admonet fieri, quod possit prodesse post mortem: non tunc, quando jam recipiendum est quod quisque gesserit ante mortem.

Verum haec ita solvitur quaestio, quoniam quodam vitae genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvet ista defunctos; ac per hoc secundum ea quae per corpus gesserunt, eis quae post corpus religiose pro illis facta fuerint, adjuvantur.

Sunt enim quos nihil omnino adjuvant ista, sive pro

---

[1] Epist. 22 ad Aurel. nn. 5, 6.

eis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis, quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis. Genere igitur vitae, quod gessit quisque per corpus efficitur ut prosint vel non prosint quaecumque pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quaeritur post hanc vitam.

Ita fit ut neque inaniter Ecclesia vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat; et tamen ferat unusquisque secundum ea quae per corpus gessit, sive bonum sive malum, reddente Domino unicuique secundum opera ejus. Ut enim hoc quod impenditur, possit ei prodesse post corpus, in ea vita acquisitum est, quam gessit in corpore.

Poterat inquisitioni tuae sufficere mea brevis ista responsio, sed quae alia moveant, quibus respondendum existimo, parumper attende.

In Machabaeorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium (II Mach. XII, 43). Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae Ecclesiae quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

Sed utrum aliquid prosit animae mortui locus corporis sui, operosius inquirendum est [1].

Proinde ista omnia, id est, curatio funeris, condicio sepulturae, pompa exequiarum magis sunt vivorum solatia, quam subsidia mortuorum.

---

[1] Confer lib. de cura gerenda pro mortuis, nn. 3, 4, et lib. I de Civit. Dei, cp. XI-XIII, ubi exponit sanctus Doctor erroneas paganorum doctrinas circa sepulturam corporum.

Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla. Praeclaras exequias in conspectu hominum purpurato illi diviti turba exhibuit famulorum; sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium praebuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahae gremium sustulerunt (Lc. XVI, 22).

Rident haec illi contra quos defendendam suscepimus Civitatem Dei. Verumtamen sepulturae curam etiam eorum philosophi contempserunt; et saepe universi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, ubi postea jacerent, vel quibus bestiis esca fierent, non curaverunt, licuitque poetis de hac re plausibiliter dicere: *Caelo tegitur qui non habet urnam* (Lucan.); quanto minus debent de corporibus insepultis insultare christianis, quibus et ipsius carnis membrorumque omnium reformatio, non solum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis puncto reddenda et redintegranda promittitur?

Nec ideo tamen contemnenda et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum ac fidelium, quibus tamquam organis et vasis ad omnia bona opera sancte usus est spiritus. Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes major affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque conjunctius, quam quaelibet indumenta gestamus. Haec enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.

Unde et antiquorum justorum funera officiosa pie-

tate curata sunt, et exequiae celebratae, et sepultura provisa; ipsique cum viverent de sepeliendis, vel etiam tranferendis suis corporibus filiis mandaverunt (Gen. XXIII, 3; XXV, 9; XLVII, 30). Et Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, tes e angelo commendatur (Tob. II, 9; XII, 2). Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus religiosae mulieris bonum opus praedicat (Mt. XXVI, 10), praedicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit: et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum, diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt (Jo. XIX, 38).

Verum istae auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus, sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam.

Ubi et illud salubriter dicitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viventibus et sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiaeque persolvitur.

Sunt quidem et alia quae sancti Patriarchae de corporibus suis vel condendis vel transferendis prophetico spiritu dicta intelligi voluerunt (Gen. XLVII, 50): non autem hic locus est ut ea pertractemus, cum sufficiant ista quae diximus.

Sed si ea quae sustentandis viventibus sunt necessaria, sicut victus et amictus, quamvis cum gravi afflictione desint, non frangunt in bonis perferendi tolerandique virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, sed

exercitatam faciunt fecundiorem: quanto magis cum desunt ea quae curandis funeribus condendisque corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros in occultis piorum sedibus jam quietos. Ac per hoc, quando ista cadaveribus christianorum in illa magnae urbis, vel etiam aliorum oppidum vastatione defuerunt, nec vivorum culpa est, qui non potuerunt ista praebere, nec mortuorum poena, qui non potuerunt ista sentire. Haec est mea de sepulturae causa atque ratione sententia. Quam propterea ex alio libro meo in istum transtuli, quia facilius hoc a me recenseri potuit, quam idipsum alio modo eloquendum fuit [1].

Quod si verum est, profecto etiam provisus sepeliendis corporibus apud Memorias sanctorum locus, bonae affectionis humanae est erga funera suorum; quoniam si nonnulla religio est ut sepeliantur, non potest nulla esse quando ubi sepeliantur attenditur.

Sed cum talia vivorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus appareat, non video quae sunt adjumenta mortuorum, nisi ad hoc ut dum recolunt ubi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tamquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent.

Quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent. Sed non ob aliud vel Memoriae vel Momunenta dicuntur ea quae insignita fiunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant et admonendo faciunt cogitari; nam et Memoriae nomen id apertissime ostendit,

---

[1] De Civit. Dei, lib. I, cp. XIII.

et Monumentum eo quod moneat mentem, id est, admoneat, nuncupatur.

Cum itaque recolit animus ubi sepultum sit carissimi corpus, et occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus carissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.

Verum etsi aliqua necessitas vel humari corpora, vel in talibus locis humari nulla data facultate permittat, non sunt praetermittendae supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia; ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi.

Si autem deessent istae supplicationes, quae fiunt recta fide ac pietate pro mortuis, puto quod nihil prodesset spiritibus eorum, quamlibet in locis sanctis exanima corpora ponerentur.

Cum ergo fidelis mater fidelis filii defuncti corpus desideravit in basilica martyris poni, siquidem credidit ejus animam meritis martyris adjuvari; hoc quod ita credidit, supplicatio quaedam fuit, et hoc profuit, si quid profuit.

Et quod ad idem sepulcrum recurrit animo, et filium precibus magis magisque commendat, adjuvat defuncti spiritum, non mortui corporis locus, sed ex loci memoria vivus matris affectus.

Simul enim et quis et cui commendatus sit, non uti-

que infructuose religiosam mentem precantis attingit. Nam et orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt; quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus; sed hinc magis se ipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius.

Et nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri nisi motu animi praecedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui ut fierent ista, praecessit, quia facta sunt crescit. Verumtamen si eo modo quisque teneatur, vel etiam ligetur, ut haec de suis membris facere nequeat, non ideo non orat interior homo, et ante oculos Dei in secretissimo cubili, ubi compungitur, sternitur.

Ita etiam cum plurimum intersit ubi ponat corpus mortui sui qui pro spiritu ejus Deo supplicat, quia et praecedens affectus locum elegit sanctum, et illic corpore posito recordatus locus sanctus eum qui praecesserat renovat et auget affectum: tamen etiamsi non possit, ubi religiosus animus elegit, humare quem diligit, nullo modo debet a supplicationibus necessariis in ejus commendatione cessare. Ubicumque enim jaceat vel non jaceat defuncti caro, spiritui requies acquirenda est; qui cum inde exiret, secum abstulit sensum, quo interesse possit quomodo quisque sit, sive in bonis, sive in malis: nec ab ea carne expectat adjuvari vitam suam, cui praebeat ipse vitam, quam detraxit excedens, et redditurus est rediens, quoniam non caro spiritui, sed spi-

ritus carni etiam ipsius resurrectionis meritum comparat, utrum ad poenam an ad gloriam reviviscat [1].

Tempus quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est vel requie vel aerumna, pro eo quod sortita est in carne cum viveret.

Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynae in Ecclesia fiunt. Sed eis haec prosunt qui cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt.

Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat ista post mortem, nec tam malus ut non ei prosint ista post mortem: est vero talis in bono, ut ista non requirat, et est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo se autem speret quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quae pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicae sunt adversa sententiae, qua dictum est: *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quae per corpus gessit, sive bonum sive malum* (Rom. XIV, 10, et II Cor. V, 18). Quia etiam hoc meritum sibi quisque dum in corpore viveret, comparavit, ut possint ei ista prodesse. Non enim omnibus prossunt: et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitae quam quisque gessit in corpore?

Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offe-

[1] De cura geren. mortuor. nn. 6, 7.

runtur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus prosunt, ad hoc prosunt, ut sit plena remissio.

Post resurrectionem vero facto universo completoque judicio, suos fines habebunt civitates duae, una scilicet Christi, altera diaboli; una bonorum, altera malorum: utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi, vel ulla condicio moriendi; istis in aeterna vita vere feliciterque viventibus, illis infeliciter in aeterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utrique sine fine [1].

187.—Non orandum pro damnatis, sive angelis sive hominibus. Sed in beatitudine isti alius alio praestabilius, in miseria vero illi alius alio tolerabilius permanebunt.

Frustra itaque nonnulli, imo quamplurimi, aeternam damnatorum poenam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt; non quidem divinis Scripturis adversando, sed pro suo motu dura quaeque moliendo, et in leniorem flectendo sententiam, quae putant, in eis terribilius esse dicta quam verius.

Non enim obliviscetur, inquiunt, misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas (Ps. 76, 10). Hoc quidem in psalmo legitur sancto; sed de his sine ullo scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiae nuncupantur, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur.

---

[1] Enchirid. de fide etc. n. 29.

Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est, ut damnationem opinentur posse finiri eorum, de quibus dictum est: *et ibunt isti in supplicium aeternum* (Mt. XXV, 46): ne isto modo putetur habitura finem quandoque felicitas etiam illorum, de quibus e contrario dictum est: justi autem in vitam aeternam.

Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se (Ps. 30, 20), tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta comparari, si illa sit aeterna, ista autem sint quamlibet multis saeculis longa. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio a vita Dei, et omnibus erit ipsa communia, quaelibet homines de varietate poenarum, de dolorum revelatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur: sicut manebit communiter omnium vita aeterna sanctorum, qualibet honorum distantia concorditer fulgeant [1].

Quia vita aeterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque aeternum quibus erit, finem procul dubio non habebit.

Hoc autem et adversus eos valet, qui suas agentes causas contra Dei venire verba, velut misericordia majore conantur; ut ideo videlicet vera sint, quia ea quae dixit homines esse passuros, pati digni sunt, non quia passuri sunt.

Donabit enim eos, inquiunt, precibus sanctorum suorum, etiam tunc tanto magis orantium pro inimicis suis, quanto sunt utique sanctiores, eorumque efficacior est oratio, et exauditione Dei dignior, jam nullum haben-

---

[1] Enchir. ib.

tium omnino peccatum. Cum ergo eadem perfectissima sanctitate, et cuncta impetrare valentibus mundissimis et misericordissimis precibus, etiam pro angelis non orabunt, quibus paratus est ignis aeternus, ut Deus sententiam suam mitiget, et reflectat in melius, eosque ab illo igne faciat alienos?

An erit forsitan quisquam, qui et hoc futurum esse praesumat, affirmans etiam sanctos Angelos simul cum sanctis hominibus, qui tunc aequales erunt angelis Dei, pro damnatis et angelis et hominibus oraturos, ut misericordia non patiantur, quod veritate merentur pati?

Quod nemo sanae fidei dixit, nemo dicturus est.

Alioqui nulla causa est, cur non etiam nunc pro diabolo et angelis ejus oret Ecclesia, quam Magister Deus pro inimicis suis jussit orare.

Haec igitur causa, qua fit ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos esse novit inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet ut in illo tunc judicio etiam pro hominibus aeterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret.

Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est poenitentiae fructuosae. Nam quid maxime pro eis orat, nisi, *ut det illis Deus,* sicut dicit Apostolus, *poenitentiam, et resipiscant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem* (2 Tim. 2,26)?

Denique si de aliquibus ita certa esset, ut qui sunt illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen praedestinati sunt in ignem aeternum ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso.

Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis:

nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiae, ita tamen sunt praedestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, et filii efficiantur Ecclesiae.

Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus aeterno igne puniendis, quae causa est, ut neque nunc, neque tunc oretur pro angelis malis: quae itidem causa est, ut quamvis pro hominibus, tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis.

Nam pro defunctis quibusdam, vel ipsius Ecclesiae, vel quorumdam piorum exauditur oratio: sed pro his quorum in Christo regeneratorum nec usque adeo vita in corpore male gesta est, ut tali misericordia judicentur digni non esse, nec usque adeo bene, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere [1].

APPENDIX AD CAPUT IX

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 188. *Orandum est pro praelatis.*—189. *Pro regibus seu pro humanis potestatibus.*—190. *Pro cognatis.*—191-192.—*Pro inimicis.*—193-194. *Pro defunctis.*—195. *Pro omnibus orare debemus.*

188.—Oraneum est pro praelatis. Gaudeo et exulto post exilium, et orationes vestras exigo, cum quibus ad Asiam perrexi, cum quibus reversus sum, cum quibus pelagus transfretavi, et adjutus vestris orationibus felicitar navigavi: nec enim navim citra vos ingressus sum, nec exivi citra

[1] De Civitate Dei, lib. XXI, cp. 24, nn. 1, 2.

vos, aut in ecclesia sine vobis, sed avulsus quidem eram corpore, connexus autem caritate.

Videbam namque Ecclesiam vestram, et in pelago et in exultatione gaudebam. Tale enim quid significat caritas, quae nescit angustari; intrabam in ecclesiam, adstabam altari, orationes offerebam, et dicebam: Domine, conserva Ecclesiam quam mihi tradidisti. Ego quidem corpore absens sum, sed tua misericordia praesens est, quae me illuc perduxit, et plus quam merebam concessit. Et quia amplificavit, multitudo testatur praesentium. Florere video vineam, et nusquam spinae, neque sentium ulla vestigia; exultant oves et numquam lupus. Quod si etiam alicubi repertus fuerit, demutatur et fit ovis.

Tanta enim vestra est fides et caritas, ut aemulatione vestra ceteros provocetis. Ipse Dominus vos conservavit, et ipse me reduxit, et in infirmitate positus orationum vestrarum sensi auxilium, quas mihi cotidie in suffragium postulo. Peregrinatio mea coronavit civitatem vestram. Et quia diligebatis ex initio, nunc omnibus manifestum est. Sic enim me absentem tamquam praesentem habuistis.

Nam in Asia cum essem ad corrigendas Ecclesias, hinc illo venientes nuntiabant nobis, dicentes: inflammasti civitatem. Et certe caritas tempore solet marcescere, vestra autem dilectio cotidie augmentabatur. Et quem ita absentem diligebatis, praesentem credo quod melius ametis. Iste meus thesaurus, hae sunt meae divitiae. Et ideo vestras orationes requiro. Orationes vestrae murus mihi et munimen sunt.

Noli dicere, ego languidus sum, quomodo potero pro sacerdote orare. Audi Scripturam dicentem: *oratio autem fiebat continua* (Act. XII). Et ecclesiastica oratio solvit vincula Petri, et Pauli dilatavit praedicationis fiduciam. Oratio caminum ignis exstinxit, oratio conclusit ora leonum, oratio seditionem compescuit, oratio paradisum aperuit, oratio caeli cardines reseravit, oratio sterilem fecundavit, oratio Cornelii caelos penetravit, oratio publicanum justificavit. Tale a vobis munimem requiro, talem gratiam postulo: et Deus gloriae suscipiens orationes nostras, det mihi in apertione oris mei sermonem, quo possim creditum mihi populum instruere ad salutem per Christum Dominum nos-

trum, cum quo est Deo Patri cum Spiritu sancto honor, gloria, et potestas in saecula saeculorum (1).

Unusquisque enim vestrum res suas curat, et de eis est sollicitus; nos autem simul omnium; stamus in ea parte belli quae laborat, adversus nos diabolus laborat vehementius. In bellis enim ante alios omnes belli ducem sternere conatur adversarius. Propterea illuc omnes currunt conjunctis clypeis: propterea magnus et tumultus unoquoque conante eum de medio tollere, et clypeis illum circumtegunt ac muniunt, illius caput volentes conservare.

Audite quid Davidi dicat totus populus: non Davidi meipsum conferens haec dico, non ita insanio; sed populi erga principem ostendere volens benevolentiam: *ne egrediarias*, inquit, *ad bellum nobiscum, ne extinguatur lucerna Israel* (II Reg. XXI, 17). Vide quantum parcebant seni.

Vestris precibus valde egeo; nemo me, ut dixi, ex immodica humilitate hac privet ope et auxilio. Si res nostrae floreant et sint in bona existimatione, vestrae quoque erunt splendidiores; si nobis prospere fluat doctrina, ad vos transibunt divitiae. Audi prophetam dicentem, *num seipsos pascunt pastores* (Ezech. XXXIV, 2)?

Vides Paulum has preces poscentem assidue? Audis quod Petrus sic ereptus sit e carcere, quoniam assidue pro eo fiebat oratio? Plane credo futurum ut vestrae preces multum possint, quae cum tanto consensu fiunt. Quantum existimatis nostram exuperare vilitatem, pro tanto populo ad Deum accedere et rogare? Nam si ipse tantam non habeo fiduciam, ut pro me precer, multo minus ut pro aliis. Est enim eorum qui sunt vitae probae et bonae existimationis, et Deum rogare ut sit aliis benignus et propitius; est eorum qui ipsum sibi reddiderunt benevolum; qui autem ipse quoque offendit, quomodo rogabit pro alio? Sed tamen quoniam paternis vos complector visceribus, quoniam audet caritas, non solum in ecclesia, sed et domi ante alia fundo preces pro vestra sanitate animae et corporis. Nullae enim aliae preces sacerdoti aeque conveniunt, atque pro bonis populi Deum adire et apud eum intercedere.

---

1 Homil. de regres. ex Asia in Constantin. ipsius Chrys.

Nam si Job statim surgens tam multa faciebat pro filiis carnalibus, quanto magis nos debemus facere pro spiritualibus?

Cur autem haec dico? Quia si nos pro vobis omnibus preces fundimus et oramus, etsi tantum absumus a rei magnitudine, multo magis justum est ut vos hoc faciatis. Nam unum quidem rogare pro multis, magnae est audaciae et quod multa eget fiducia; multos autem, cum simul convenerint pro uno precari, non est grave nec importunum. Non enim suae virtuti fidens hoc facit unusquisque, sed multitudini et consensui quem semper maxime respicit Deus et eo movetur ac placatur. *Ubi enim fuerint duo aut tres congregati in nomine meo,* inquit, *illic sum in medio eorum* (Mt. XVII. 20).

Si ubi sunt duo aut tres congregati, est in medio, multo magis apud vos. Quod enim per se precans quispiam non potest accipere, hoc accipiet precans cum multitudine.

Quare? Quoniam etsi non virtus propria, sed tamen consen us magnam habet vim: ubi fuerint, inquit, duo aut tres congregati. Cur dixit duo? Nam si unus fuerit in nomine tuo, cur non es illic? Quoniam volo omnes simul esse, et non esse divulsos. Nos ergo alter alterum communiamus, caritate conjugamus ac colligemus: nemo nos separet.

Si quispiam accusat, si quispiam molestia est affectus, ne id verset animo, seu apud proximum, seu apud nos. Nam a vobis peto gratiam, ut accedatis et expostuletis et excusationem a nobis accipiatis. *Corripe,* inquit, *ne forte non dixerit: corripe, ne forte fecerit; et si fecerit, ne addat amplius* (Eccli. XIX, 14).

Aut enim excusamus, aut condemnati veniam petimus, et de cetero tentamus ne in eadem incidamus. Hoc et vobis confert et nobis. Nam vos quidem absque ratione forte accusantes, cum veritatem rei intellexeritis, corrigimini; nos autem ignoramus peccasse, et corrigimur. Vobis quidem sine discrimine agere non prodest; nam illis constituta est poena qui verbum otiosum emittunt: nos autem crimina tam vera quam falsa repellimus: falsa quidem, falsa esse ostendentes; vera autem, ea non amplius facientes.

Omnino necesse est, ut cui tam multa sunt curae, et igno-

ret et peccet ex ignoratione. Nam si unusquisque vestrum habens domum, uxoremque et filios et servos quos regat, alius quidem plures, alius vero pauciores, in tam paucis tamen et numeratu tam facilibus, multa peccare non ut vult cogitur, aut nesciens, aut volens aliquid corrigere: multo magis nos qui tanto praesumus populo.

Et vos adhuc multiplicet Dominus, et vos benedicat parvos cum magnis. Nam etsi ex multitudine magna nascitur sollicitudo, non cessamus tamen precari ut ea cura nobis crescat, et augeatur haec multitudo fiatque multiplex et infinita. Nam patres quoque, etsi numerosa soboles eos saepe cruciat, nullum tamen volunt amittere.

Omnia vobis et nobis aequalia, et eadem sunt bonorum capita: non ego quidem majori copia, vos autem minori, sacrae sumus mensae participes, sed utrique eam similiter tangimus. Si autem ego prior, non magni refert; nam et inter liberos major natu prior manum extendit ad epulas; sed ex eo tamen nihil accrescit, sed sunt nobis omnia aequalia: salutaris et quae animas nostras continet vita, cum eodem honore datur utrisque. Non ego quidem alterius ovis, vos autem alterius, sed ejusdem omnes sumus participes; idem baptisma habemus utrique, uno dignati sumus spiritu, ad idem regnum utrique contendimus, fratres Christi similiter sumus, omnia sunt nobis communia.

In quonam ego supero? In curis, in laboribus, in sollicitudinibus, eo quod pro vobis doleo. Sed nihil est hoc dolore suavius. Nam et mater dolens pro filio, dolore delectatur, de suis natis est sollicita, laetatur sollicitudinibus. Atqui sollicitudo quidem per se res est amara, sed quando ea fuerit pro filiis, multam habet voluptatem. Multos ex vobis genui, sed postea fuerunt dolores partus. Nam apud matres quidem corporales prius sunt dolores, et tunc est partus: hic autem ad ultimam usque respirationem sunt dolores, ne post partum sit aliquid abortivum; idque ego desidero. Nam etsi alius saepe genuit, ego autem curis dilanior; neque enim ex nobis generamus, sed totum est Dei gratiae.

Si autem ambo parimus per spiritum, non aberraveris, si et eos qui ex me nati sunt, meos appellaveris. Haec omnia cogitate, et manum prorrigite, ut sitis nostra gloriatio,

et nos vestra in die Domini nostri Jesu Christi, quem detur omnibus nobis cum fiducia videre, in Christo Jesu Domino nostro [1].

Haec magna est nostra securitas, ut caritate vestra perpetuo fruamur. Nam qui fruitur caritate, precibus etiam omnino fruetur. Hoc vero quantum sit bonum, inde licet colligere.

Paulus ille, qui tertium in caelum raptus fuerat, qui audiverat arcana verba, qui omnes naturae necessitates subegerat, qui perfecta deinceps in securitate permanebat, precibus etiam discipulorum indigebat, ac dicebat: *orate pro me, ut liberer ab infidelibus* (Rom. XV, 30); et rursus, *orate ut detur mihi sermo in apertione oris mei* (Eph. VI, 19). Et ubique videtis ipsum et discipulorum orationes postulare, et cum obtinuerit, gratias illis agere.

Nam ne forte dicat aliquis eum prae nimia humilitate ad discipulorum preces confugere, virtutem illarum ostendit, cum ita loquitur (II Cor. I, 10). *Qui de tantis mortibus nos eripuit; speramus autem, quoniam et adhuc eripiet adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis, ut ob donationem, quae in nobis est, per multos gratiae pro nobis agantur* [2].

189.—Pro regibus seu pro humanis potestatibus. *Obsecro igitur primum omnium fieri orationes pro omnibus hominibus, pro regibus et pro omnibus qui in sublimate sunt constituti, ut securam et quietam vitam agamus in omni pietate et sanctitate* (I Tim. II, 1, 2).

Quid sibi vult, primum omnium? Id est in cultu cotidiano. Et hoc sentiunt initiati, quomodo cotidie fiant precationes et vespere et mane; quomodo pro toto mundo, pro regibus et omnibus qui magistratum gerunt, obsecrationem emittamus.

At dicet forte quispiam, illum non pro omnibus dixisse, sed pro fidelibus.

Cur ergo dixerit, pro regibus? Reges enim seu Imperatores tunc veram religionem non sectabantur, sed longo tem-

---

[1] In Epist. II ad Thes. homil. IV, nn. 3, 4.

[2] Homil. II de prophetar. obscuritate, n. 4.

pore impii impiis succedebant. Deinde ne res adulatio esse videretur, prius dixit, pro omnibus, ac deinde pro regibus. Si enim dixisset pro regibus tantum, fortasse quis hoc suspicatus esset. Deinde quia verisimile erat ut christianus animus haec audiens torpesceret, neque monitum hoc admitteret, si pro gentili mysteriorum tempore preces oporteret offerri; vide quid dicat, et quomodo lucrum apponat, ut sic ille admonitionem admitteret: ut securam, inquit, et quietam ducamus vitam. Id est, illorum salus nobis tranquillitatem parit; sicut et in epistola ad Romanos hortans illos ut obediant principibus, dicit: *si non propter necessitatem, propter conscientiam* (Rom. XIII, 5).

Deus enim principatus constituit ad communem utilitatem. Quomodo ergo non absurdum fuerint ipsos quidem ideo militare et arma circumferre, ut nos in tranquillitate vivamus; nos autem non supplicationes offerre pro iis qui periculo subeunt et militant? Itaque non adulatio illud est, sed secundum justitiae rationem agitur. Nisi enim illi servarentur, et si bella non prospere gererent, nostra haud dubie turbis et tumultibus plena forent; nam vel nos bellum gerere oporteret, profligatis illis et caesis, aut undequaque fugere et errare. Sunt enim illi velut obices praemissi, qui eos qui intus manent in pace conservent [1].

190.—Pro cognatis. Abraham justus non exprobravit uxori ob ejus sterilitatem; sed quietus erat data sibi a Deo uxore contentus, ac naturae Dominum precabatur, ut naturae vincula solveret, neque uxori exprobavit. Unde vero constat eum non exprobasse? Ex ipsa Scriptura. Si exprobasset, hoc quoque Scriptura dixisset, neque tacuisset; siquidem et praeclara facinora, et vitia justorum commemorat, ut haec fugiamus, illa aemulemur.

Cum igitur apud filium ejus nurus ipsius Rachel lamentaretur, et ille objurgaret, expressit utrumque, nec celavit Scriptura. Cum enim dixisset: *da mihi liberos, si autem non, moriar*: quid ille ait? *Numquid Deus ego, qui privavi te fructu ventris* (Gen. XXX, 1)? Muliebris postulatio et a

[1] In Epist. I ad Tim. Homil. VI, n. 1.

ratione aliena. Marito dicis da mihi liberos, et naturae Dominum praetermittis? Idcirco et ille cum illam increpando respondisset, absurdam ejus petitionem repressit, et a quo petendum esset, docuit. At non ita Abraham, neque tale quidquam ipse dixit, neque apud istum illa conquesta est aut lamentata.

Hinc castitatem docemur simul et fidem. Nam cum Deum precetur, fidem ejus indicat; cum vero nequaquam uxorem ejiciat, id ejus manifestam reddit castitatem; cum autem non exprobet, neque desperet, id patientiam ejus et animi moderationem, multamque modestiam et amorem erga uxorem ostendit. Neque enim, quemadmodum nunc multi factitant, qui in ejusmodi aerumnis ad beneficia praestigiasque confugiunt, illa superflua, inutilia, noxia, animaeque letifera ille fecit, sed omissis omnibus his, cunctisque contemptis rebus humanis, ad naturae Dominum, qui poterat his solus mederi, recurrit.

Audite haec, mariti, discite, uxores, imitemur justum omnes. Nihil pluris faciat uxor, quam virum: nihil magis vir diligat quam uxorem. Hoc omnium nostrum vitam tuetur, uxorem cum viro concordare, hoc mundum continet universum. Nam quemadmodum concusso fundamento totum corruit aedificium; sic etiam cum dissidia inter conjuges oriuntur, tota vita nostra subvertitur.

Vide namque: mundus ex urbibus constat, urbes ex domibus, ex viris atque uxoribus domus. Si igitur inter viros et uxores pugna consurgat, dum ista turbantur, etiam urbes evertuntur: quod si urbes turbentur, universum etiam orbem omnino necesse est tumultibus, bellis, pugnisque compleri.

Propterea Deus istius rei maxime curam gerit; propterea uxorem ejici non sinit, praeterquam ob solam fornicationem. Quid igitur si contumeliosa sit, dicet aliquis, si profusa sit et sumptuosa, et innumeris aliis vitiis scateat? Patienter fer omnia, neque propter vitia ejice, verumtamen vitia corrige. Propterea tu capitis locum tenes, ut corpori scias mederi. Nam neque si corpus nostrum innumeris sit confossum vulneribus, illud a capite separamus. Ne igitur uxorem quoque separes a te ipso: nobis enim corporis loco est uxor.

Quam ob causam beatus etiam Paulus aiebat: *viri diligere uxores sic debent, ut corpora sua* (Ephes. v. 28).

Et pro uxoribus eadem lex datur: sicut tuum caput amas et colis, uxor, ita virum tuum cole: neque enim sine causa tantam istius rei rationem habemus. Scio quot bona conciliet istud, si nullum inter virum et uxorem dissidium oriatur; scio quot malorum occasiones pariat, si inter se contendant. Tunc enim non divitiae, non felicitas, quam boni afferunt liberi, non multitudo liberorum, non magistratus ac principatus, non gloria, non honor, non deliciae, non sumptus, non alia quaevis felicitas uxorem exhilarare, vel virum poterit, si inter se rixentur.

Huic potissimum rei prae ceteris omnibus studeamus. Vitiosa est uxor, fac quod Isaac fecit, Deum precare. Si enim ille precum assiduitate debilitatem solvit naturae, multo magis nos, si assidue Deum oramus, poterimus vitia voluntatis corrigere.

Si te Deus viderit studio suae legis observandae tolerare patienterque ferre delicta uxoris, ad illam docendam te juvabit, ac patientiae tibi mercedem rependet. *Unde enim scis, vir,* inquit, *si uxorem salvam facies? Aut unde scis uxor, si virum salvum facies* (I Cor. VII, 16)? Noli autem animum despondere, noli desperare. Fieri enim potest, ut ipsa quoque salva fiat: quod si se non corrigat, tu tamen patientiae mercedem non amittes; sin autem ejeceris, unum illud primum peccasti, quod legem transgressus fueris, et adulter apud Deum judiceris: *quicumque enim ejecerit uxorem suam,* inquit, *excepta fornicationis causa facit eam moechari* (Mt. v. 32).

Saepenumero autem accepta difficiliori, peccatum admisisti, nec tamen ullam relaxationem aut quietem nactus est.

Sin meliorem assumpseris, non permittitur tibi, ut sincera voluptate perfruaris ex secunda, ob dimissionem prioris, cum inde tibi adulterium imputetur; est enim adulterium priorem dimittere. Cum igitur aliquam videris oriri difficultatem vel in matrimonio, vel in aliquo rerum statu, Deum precare: hic solus optimus e malis emergendi modus.

Magna quippe est orationis armatura. Hoc et saepenumero dixi, et nunc dico, neque dicere cessabo; licet peccator

sis, converte oculos tuos in publicanum qui repulsam non tulit, qui tam multis se peccatis expiavit.

Visne intelligere quonta res sit oratio? Non tam valet amicitia apud Deum quam oratio. Neque meus est hic sermo: neque enim auderem tanti momenti rem ex mea sententia definire, audi ex Scriptura, quod amicitia non perfecit, id ab oratione esse perfectum. Quis ex vobis est, qui habet amicum, et veniens dicet ei, amice, commoda mihi tres panes; et ille respondens dicet illi: ostium clausum est, pueri sunt in cubili, noli mihi molestus esse. Dico enim vobis, etsi quod amicus ejus sit, non dabit ei, propter importunitatem tamen ejus dabit ei quotquot habet necessarios (Lc. XI, 5-8).

Vides quo pacto quod non potuit amicitia, hoc assiduitas potuerit? Nam quoniam fuit amicus, qui petebat, ne propterea rem illum perfecisse censeres, dixit, etsi quod amicus ejus sit, non dabit ei, propter importunitatem ejus dabit ei. Licet id amicitia non praestet, inquit, assiduitas tamen praestabit id quod amicitia minime potuit.

Et ubi tandem id accidit? In publicano. Neque enim erat amicus Deo publicanus, sed amicus est factus; itaque licet inimicus sis, assiduitate fies amicus. Vide etiam Syrophoenissam, et audi quid illi dicat: *non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus* (Mt. XV, 26). Cur igitur id fecit, si bonum non est? Assiduitate mulier id bonum effecit; ut discas nos quibus digni minime sumus, iis per assiduitatem dignos evadere.

Haec ego dixi, ne dicas, peccator sum, fiduciam non habeo, preces non habeo. Ille fiduciam habet, qui se non habere illam putat; sicut is qui se fiduciam habere putat, fiduciam amisit, quemadmodum pharisaeus: qui vero seipsum abjectum putat et fiducia destitutum, is maxime exaudietur, quemadmodum publicanus.

Vide quam multa tibi exempla suppetant, Syrophoenissa, publicanus, latro in cruce, amicus in parabola, qui tres panes petebat, quique non tam propter amicitiam, quam propter assiduitatem obtinuit. Horum unusquisque si dixisset, peccator sum, et pudore suffusus et idcirco accedere non debeo, nihil promovisset. At quoniam illorum quis-

que non ad peccatorum suorum respexit magnitudinem, sed ad divitias magnitudinis Dei (Eph. III, 16), confidens et audax fuit, et quamvis peccator praeter dignitatem suam postulavit, et quae voluit quisque perfecit.

Haec igitur omnia mente versemus, et assidue preces fundamus, vigiles, confidentes, bonae spei pleni, multo cum studio. Quanto cum studio ceteri adversus inimicos preces fundunt, tanto cum studio nos pro inimicis et pro fratribus preces fundamus, et omnino cuncta que in rem nostram fuerint obtinebimus. Benignus est enim qui largitur, nec adeo nos desideramus accipere, ut desiderat ille largiri.

Haec igitur omnia cum sciamus, licet in infimum nequitiae profundum simus devoluti, ne sic quidem de salute nostra desperemus, sed bona etiam cum spe accedamus, nobisque persuadeamus omnino fore, ut quod petimus assequamur, si ex praescripto latarum ab ipso legum petamus [1].

191.—Pro inimicis. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Deo quippe gratiae agendae sunt etiam de bonis, quae aliis conferuntur; verbi gratia, quod solem suum oriri faciat super malos et bonos, quod pluat super justos et injustos. Vides ut ille non modo per orationem, sed etiam per gratiarum actionem nos conjugat et conglutinet?

Nam qui cogitur gratias agere Deo pro bonis proximi, cogitur etiam illum diligere, et erga illum bene affectus esse. Quod si pro iis qui proximi nobis sunt, oporteat gratias agere, multo magis pro iis qui ad nos vel palam vel clam accedunt, sive libenter sive inviti, pro iis etiam qui molesta inferre videntur; etenim ad utilitatem nostram omnia dispensat Deus.

Omnis igitur oratio nostra gratiarum actionem habeat. Quod si precari jubemur pro proximis, non pro fidelibus tantum, sed etiam pro infidelibus, cogita quantum sit malum adversus fratres orare. Quid dicis, ille te pro inimicis jussit orare, et tu contra fratrem precaris? Non contra illum precaris, sed contra te ipsum; Deum enim irritas, illa impia

[1] Homil. Non esse desperandum, nn. 5-8.

proferens verba: ita te exhibe illi, ita fac illi, percute illum, retribue illi. Haec procul sint a Christi discipulis, mansuetis, benignis. Ab ore quod tanto mysterio dignatum est, nihil amarum prodeat, nihil insuave proferat lingua, cui divinum corpus impositum est; puram illam servemus, ne maledicta per illam proferamus.

Nam si *contumeliosi regnum non possidebunt* (I Cor. VI, 10), multo minus illi qui imprecantur; necessarium enim est eum contumelia afficere qui imprecatur: contumelia autem et precatio longe ab invicem distant; imprecatio et oratio longo intervallo separantur.

Oras Deum ut sit propitius et tu contra alium precaris? *Si non remiseris, non remittetur tibi* (Mt. VI, 15): et tu non modo non remittis, sed Deum ne remittat rogas? Videsne nequitiae excessum? Si non remittenti non remittitur, quomodo remittetur ei, qui Deum rogat ne remittat? Non illi noces, sed tibi. Quare? Si enim exaudiendus eras in iis quae pro te precaris, propterea numquam exaudieris, qui exsecrando ore preces emittis; exsecrandum enim et impurum omnino est os hujusmodi, omni foetore plenum, omni immunditia.

Cum oporteret te de peccatis tuis tremere, et omni conatu illa curare, accedis ut Deum concites adversus fratrem tuum, nec times, nec de rebus tuis sollicitus es? Non vides quid tibi moliaris? Et quomodo Deum rogas?

Dum illum contra proximum precaris, peccata tua graviora facis, nec sinis ut ille tibi veniam concedat. Quomodo enim, inquit Deus, si vis me severe inquirere de malis contra te patratis, peccatorum tuorum contra me admissorum veniam tibi concedi postulas?

Discamus tandem esse christiani: si precari nesciamus, quod tamen admodum facile est, quid aliud sciemus? Discamus precari ut christiani; gentilium sunt illae preces, judaeorum sunt illae supplicationes: christiani vero sunt illis contrariae, veniam nempe et remissionem petere pro iis quae contra nos facta sunt. *Maledicimur*, inquit, *et benedicimus, persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur et obsecramus* (I Cor. IV, 12).

Audi Stephanum dicentem: *Domine, ne statuas illis hoc*

peccatum (Act. VII, 59). Non modo non adversus illos precabatur, sed etiam pro illis; tu vero non modo non pro illis precaris, sed contra illos. Sicut igitur ille admirabilis, ita et tu pessimus es homo. Quem admirabimur, dic mihi, eosne pro quibus oravit, an eum qui pro illis precatus est? Hunc utique; si vero nos, multo magis Deus.

Vis inimicum percuti? Ora pro illo, sed non ea mente, non ut percutiatur; hoc enim ita evenit, tu vero non id in scopo habeas. Nam beatus ille injuste omnia patiebatur, et precabatur pro percussoribus; nos autem plurima juste patimur ab inimicis.

Si autem is qui injuste patiebatur, non ausus est contra percussore orare; qui juste patimur, et non modo non precamur pro inimicis, sed etiam contra illos oramus, quo non supplicio digni sumus? Videris quidem illi plagam indigere, sed vere contra te gladium convertis, cum non permittas ut Judex tibi peccata tua condonet, dum illum irritas contra alium. *In qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis,* inquit: *et quo judicio judicabitis, judicabimini* (Mt. VII, 2). Simus ergo ad veniam proni, ut veniam consequamur a Deo.

Haec autem volo vos non audire tantum, sed etiam servare. Nunc vero verba solum memoria retinetis, imo fortasse ne verba quidem; sed cum recesseritis, si quis ex absentibus interrogaverit, quam rem tractaverimus, alii ne respondent quidem, alii gnari dicent argumentum quod tractavimus, quod oportet pro inimicis orare.

Ideo obsecro, si nihil ex dictis lucramini, ne dictis attendatis. Quae enim utilitas, majus crimen erit, gravius supplicium, quia post mille monita in iisdem manemus. Ideo Deus nobis orationem constituit, ut nihil mundanum vel humanum petamus.

Scitis vero, fideles, quaenam petere in oratione oporteat, et quomodo omnis oratio communis sit.

At non dictum fuit, inquies, quod pro infidelibus sit illic orandum. Quia nescitis orationis vim, neque altitudinem, nec thesaurum illius cognoscitis: si quis enim diligenter scrutetur, hoc etiam in illa inveniet. Cum enim precando dicitur, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra, nihil aliud

quam illud subindicatur. Quomodo? Quia in caelo nullus infidelis est, nullus qui offendat. Si ergo id de fidelibus tantum intelligendum esset, dictum non esset rationi consentaneum.

Nam si fideles voluntatem ejus facturi essent, infideles vero minime, voluntas ejus non sicut in caelo in terra fieret, sed quid? Sicut in caelo, inquit, nemo malus est, sic nec in terra sit; sed omnes ad tui timorem attrahe, omnes homines angelos facito, etiamsi inimici hostesque sint.

Non vides quantum cotidie Deus blasphemetur, quantum contumelia afficiatur et ab infidelibus, et a fidelibus, et per verba et per res ipsas? Quid ergo, an propterea solem extinxit, lunae cursum sustulit, caelum disrupit, terram concussit, mare exsiccavit, fontes aquarum sustulit, aerem confudit? Nequaquam: immo contra, solem oriri curat, pluviam demittit, fructus dat et annuos cibos blasphemis, insensatis, exsecrandis, persecutoribus; non uno die, non secundo, sed per totam vitam.

Hunc et tu imitare, hunc secundum humanas vires imitare. Pro inimico precare; *sic eris similis Patri tuo qui in caelis est* [1].

192. — *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est* (Mt. v. 16). Cum enim viderit infidelis te fidelem compositum, modestum, ornatum esse, mirabitur et dicet: vere magnus christianorum Deus: quales constituit homines, quales e qualibus fecit! Angelos ex hominibus reddidit.

Si quis contumeliam fecerit, non conviciantur; si quis percusserit, non aegre ferunt; si quis injuriam intulerit, pro iis qui se laeserint, orant; inimicum non habent; iram servare non norunt, nugari nesciunt, mentiri non didicerunt, pejerare non sustinent, immo nec jurare, sed linguam excidi mallent, quam ullum ex ore juramentum emittere. Haec illis praebeamus de nobis dicenda, et improbam juramentorum consuetudinem expellamus: et vel tantum Deo tri-

---

[1] In Epist. I ad Tim. II, homil VI.

buamus honorem, quantum vestimentis nostris pretiosioribus [1].

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam (Mt. v. 10). Ii qui persecutionem patiuntur, regnum caelorum lucrantur; ii vero, qui persequuntur, iram Dei in hereditatem accipiunt.

Haec non temere apud caritatem vestram agitamus, sed ut discamus adversus inimicos nostros non irasci; sed potius ut misericordia erga illos moveamur, illorumque gratia maerorem et planctum assumamus. Illi quippe male patiuntur, qui sine causa nobis adversantur.

Si animum nostrum ita comparemus, ut non irascamur, sed illorum gratia doleamus, etiam poterimus secundum Domini vocem pro illis orare, illoque modo multam nobis opem caelitus conciliare. Ideo quarta jam die apud vos sermonem habeo de oratione pro inimicis, ut admonitionis frequentia firmior sit doctrina, ut radices agat in animis vestris. Ideoque frequenter apud vos sermonibus instamus, ut irae tumorem tollamus, et fervorem sedemus, utque puri ad orationem accedatis.

Neque enim Christus inimicorum tantum gratia ad id hortatur, sed etiam nostri causa qui illis peccata remittimus. Plura enim accipis, quam das, cum iram tuam inimico dimittis. Quomodo plus accipio, inquies? Attende diligenter. Si inimico peccata dimittas, delicta tua in Christum perpetrata dimittuntur tibi [2].

Pater dimitte illis peccatum, non enim sciunt quid faciunt (Lc. XX II, 34). Imitemur itaque Dominum et pro inimicis precemur: eamdem enim cohortationem resumo, jam quinto die de eodem argumento dissero, non quasi inobsequentes vos arguens, absit; sed sperans vos obtemperaturos esse.

Quod si qui sint duri, iracundi et morosi, qui nostris circa orationem monitis non morem gerant, ex numero saltem dierum pudefacti, inimicitias et simultates deponent.

Imitare Dominum: crucifixus est, et pro crucifigentibus

---

1 Homil. IX ad popul. antioch. n. 5.
2 Homil. II de prodit. Jud. n. 1. Cf. etiam Homil. I, n. 1.

Patrem compellavit. Et quomodo possim, inquies, Dominum imitari? Si velis, poteris; nisi enim posses imitari, cur dixisset, *discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Mt. XI, 29)? Nisi posses imitari, non dixisset Paulus, *imitatores mei estote sicut et ego Christi* (I Cor. XI, 1).

Ceterum si non vis imitari Dominum, imitare conservum, Stephanum; etenim ille Dominum imitatus est. Et quemadmodum Christus inter crucifigentes, missa cruce, missis iis quae ad se spectabant, pro crucifigentibus se Patrem precabatur; ita et servus inter lapidantes, ab omnibus impetitus, excipiens lapidum ictus, misso dolore, quo hinc afficiebatur, dicebat: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (Act. VII, 59). Videsne quomodo loquitur Dominus, quomodo precetur servus? Ille dicit, *Pater, dimitte illis hoc peccatum; non enim sciunt quid faciunt*: hic vero, *ne statuas illis hoc peccatum.*

Ut vero discas illum studiose precari, non stans, lapidibus licet obrutus, orat, sed positis genibus cum compunctione loquitur, et cum multa commiseratione. Ita oraverunt et pepercerunt sanctus Paulus, Moyses, Samuel, David.

Quam igitur veniam consequemur, Domino et servis tum novi tum veteris Testamenti concitantibus ad orationem pro inimicis, si nos e contrario contra inimicos precemur? Ne, quaeso, ne id agamus, fratres. Etenim quanto plura exempla, tanto majus, si eos non imitemur, supplicium. Praestantius est pro inimicis quam pro amicis orare; non enim tantum hinc, quantum inde lucri refertis. *Si enim dilexeritis,* inquit, *eos qui vos diligunt, nihil magni facitis, etenim et publicani hoc faciunt* (Mt. v. 46). Itaque si pro amicis oremus tantum, ethnicis et publicanis nondum meliores facti sumus. At cum inimicos diligimus, Deo pro humana facultate similes efficimur, qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos [1].

Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade, prius reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum (Mt. XVI, 23, 24).

---

[1] De cruce et latr. homil. I, n. 5. Cf. etiam hom. II, n. 5.

O bonitatem, o benignitatem, quae omnem sermonem superat! Honorem suum despicit pro caritate erga proximum, ostendens se prius comminatum esse, non ex inimicitia quadam, vel ex cupiditate inferendi supplicii, sed ex amore ferventi. Quid enim hisce verbis mansuetius fingi possit? Interrumpatur, inquit, cultus meus, ut caritas tua maneat. Nam vere sacrificium est reconciliatio cum fratre.

Per haec omnia declarat hanc mensam non admittere eos, qui inimicitias mutuo exercent. Audiant initiati, qui cum inimicitiis accedunt; audiant et qui nondum sunt initiati, nam ad hos quoque sermo quodammodo pertinet. Offerunt enim et ipsi donum et sacrificium, orationem dico et eleemosynam. Quod enim haec sacrificium sint, audi prophetam dicentem: *sacrificium laudis honorificabit me* (Ps. 49, 23): et rursum, *immola Deo sacrificium laudis*; *et elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (Ps. 140, 2).

Itaque si orationem cum tali affectu proferas, melius est relinquere orationem, et ad te cum fratre reconciliandum properare, tuncque orationem offerre. Propter hoc enim omnia facta sunt; propter hoc Deus homo factus est, et omnia illa est operatus, ut nos congregaret. Hic igitur laedentem ad laesum misit, in oratione vero laesum ducit ad laedentem, et reconciliat. Illic enim ait: *dimittite hominibus debita* (Mt. VI, 14): hic vero, si habet aliquid contra te, vade ad eum. Imo vero hic mihi videtur laesum mittere: quapropter non dicit, reconcilia te ipsum fratri tuo, sed reconciliare; et videtur quidem hoc de laedente dici; sed totum ex persona laesi dicitur. Si enim illi reconciliatus fueris, inquit, per tuam erga eum caritatem, me etiam habebis propitium, et cum multa fiducia poteris sacrificium offerre [1].

Ego autem dico vobis: *diligite inimicos vestros et orate pro calumniatibus et persequentibus vos* (Mt. XVIII. 44). Si quis vero haec accurate exploraverit, aliud videbit additamentum his longe majus. Non enim solum jussit diligere, sed et pro iis orare. Videsne quos ascenderit gradus, et quomodo nos in ipsum virtutis culmen constituerit?

Consideres velim eos a principio enumerans. Primus gra-

[1] In Mt. homil. XVI, n. 9.

dus est, non injuriam inferre; secundus, ubi incepta e t injuria, non illam pari vice ulcisci; tertius, non inferre in laedentem idipsum quod passus es, sed quiescere; quartus, seipsum offerre ad malum patiendum; quintus, plura illi praebere, quam ipse velit qui malum intulit; sextus, non odio habere illum, qui talia egerit; septimus, ipsum etiam diligere; octavus, ipsi benefacere; nonus, Deum etiam pro ipso precari. Vidistine philosophiae culmen? Ideo etiam splendidum ille praemium habet. Quia enim magnum praeceptum erat, ac strenuo opus habebat animo, magnaque diligentia, mercedem illi constituit talem, qualem nulli priorum.

Non enim terram hic commemorat, ut cum de mitibus ageret, non consolationem et misericordiam, ut cum de lugentibus et de misericordibus; non de regno caelorum; sed quod omnium mirabilissimum erat, quod fierent Dei similes, quantum possunt homines ipsi esse similes: *ut sitis*, inquit, *similes Patris vestri, qui in caelis est* [1].

Adversus illos, Anomaeos, disceptandi finem faciamus, et ad orandum convertamur, tanto magis pro illis rogantes et supplicantes, ut ab insania absistant, quanto magis illi impie agunt. Hoc enim gratum acceptumque erit Deo, servatori nostro (I Tim. II, 4), *qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* [2].

Orate pro calumniantibus vos (Lc. VI, 28) quod pro solis iis quos admodum diligimus, facere solemus. Ac Christus quidem pro calumniantibus orare jussit, nos autem dolos concinnamus, et maledicentibus benedicere jussit, eosdem innumeris maledictis oneramus [3].

Heri quidem dicebam multos esse qui negligenter orant, et oscitantes, se extendentes, ac perpetuo se huc illuc vertentes, omnem incuriam prae se ferunt: hodie vero vitium aliud quod precibus intervenit multo perniciosius illo reperi.

Nam multi Deo preces offerunt non pro suis delictis, neque ut veniam peccatorum suorum petant, sed hoc studium omnem conferunt adversus inimicos; ac perinde faciunt ac

---

[1] In Mt. Homil. XVIII, nn. 5, 6; Homil. XIX, nn. 8, 9.

[2] Hom. V de incomprehensib. n. 5.

[3] De compunct. ad Demetr. libr. I, n. 4.

si quis ensem acuat, nec adversus hostes illo genere armorum utantur, quod est seipsos gladio suo transfigere.

Hoc autem malignus ille excogitavit, ut nos omni ex parte perdamus, et dum negligentes sumus, et dum studium aliquod adhibemus.

Hi enim hac sua in precibus incuria Deum irritant, dum per hanc negligentiam contemptum prae se ferunt; illi vero studium exhibent, sed in salutis suae perniciem exhibent.

Sed opere pretium fuerit verba orationis audire, et quo pacto puerilis verba sint mentis et animi infantilis. Me quidem pudet illa dicere, necesse est tamen omnino ea ut dicamus, et indoctam linguam illam imitemur.

Quaenam igitur illa sunt verba? Vindica me de inimicis meis: ostende illis me quoque Deum habere.

Non tum Deum nos habere discunt, mi homo, cum nos indignamur, et irascimur, et aegre ferimus: sed cum modesti sumus, mites et humani, omnemque philosophiam exercemus.

Ita quoque dixit Deus: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in caelis est* (Mit. V, 16).

Non animadvertis injuriam te facere Deo, cum Deum adversus inimicos rogas? Quo tandem pacto, inquit, Deo fit injuria? Quoniam ipse dixit: *Orate pro inimicis vestris* (Mt. V, 44), et divinam hanc legem invexit.

Cum igitur legislatorem rogas, ut suas violet leges, et hortaris, ut suis contrarias leges ferat, et eum qui prohibuerat, ne adversus inimicos orares, precaris ut te adversus inimicos orantem audiat: non oras, dum id facis, neque hortaris, sed legislatori contumeliam infers, et in eum insolescis, qui bona tibi largiturus erat, quae occasione precum obveniunt.

Et quo pacto fieri, quaeso, potest, ut audiaris dum oras, si eum qui est auditurus irrites? Haec enim dum facis, in barathrum salutem tuam compellis, et in praecipitium ruis, dum inimicum in conspectu Regis percutis. Quamvis enim manibus id non facias, verbis tamen eum percutis [1].

---

[1] Homil. de non evulg. peccata frat. n. 11.

193.—Orandum pro defunctis. *In Joppe erat quaedam discipula, nomine Tabitha. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Audientes autem discipuli miserunt rogantes Petrum, ne pigritaretur transire ad eos. Exurgens vero Petrus, venit cum illis. Et cum ascendisset in cenaculum, positis genibus oravit, et conversus ad corpus dixit: Tabitha surge* (Act. IX 36-40).

Non omnia permittit Deus signa cum eadem facilitate fieri. Hoc autem illis proderat. Non enim tantum aliorum salutem curabat sed etiam ipsorum. Qui ergo umbra sua tot homines curabat nunc tot tantaque facit ad illam excitandam.

Petrus ejicit foras plorantes. Ubi enim lacrimae sunt, non oportet tantum mysterium perfici; imo ubi sunt miracula, non decet esse lacrimas. Audite, quaeso, etsi non quid simile jam fiat, tamen nunc etiam in mortuis magnum mysterium perficitur. Dic autem mihi, si nobis sedentibus Imperator quempiam in regiam vocaret, an flendum et lugendum esset? Angeli adsunt de caelo missi, indeque venientes, ab ipso rege missi, ut conservum suum vocent, et tu ploras? Nescis qualis sit mysterium illud, quam horrendum, quam tremendum, ac vere hymnis gaudioque dignum? Vis discere hoc non esse tempus lacrimarum? Dei sapientiae maximum hoc est mysterium. Anima quippe ceu domum quampiam deserens, pergit ad Dominum suum, tu vero luges? Pergit enim ad aliam lucem, solvitur quasi ex vinculis carceris, quasi ex agone quodam egreditur.

Sed adjuvemus mortuos.

Ne circa monumenta, ne circa sepulcralia operam demus. Patrocinare viduis, hoc sepulcrale officium est maximum. Dic nomen: omnes illas jube pro ipso preces et supplicationes emittere: hoc Deum placabit etiamsi non per illum at propter illum alius auctor sit eleemosynae.

Et hoc argumentum est divinae clementiae. Viduae, circumstantes et lacrimantes non a praesente sed a futura morte possunt eruere. Multi ab eleemosynis aliorum pro se factis adjuti sunt.

Multas Deus nobis salutis dedit vias, modo non negligamus. Quid ergo, inquies, si quis pauper sit? Rursus dicam?

Eleemosynae copia non ex datis pensatur, sed etiam ex proposito. Tantum ne des minus, quam facultates ferant, et totum solvisti.

Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynae: haec omnia Spiritus disposuit, volens ut nos mutuo juvemus. Vide namque: contempsisti opes, inductus ad quid generosum praestandum; et tu ipsi salutis, et ille tibi eleemosynae auctor fuit.

Ne dubites, ipsum quid boni decerpturum esse. Non frustra clamat diaconus: *Pro iis qui in Christo defuncti sunt, et pro iis qui illorum memoriam faciunt:* non diaconus hanc emittit vocem, sed Spiritus sanctus: dico autem donum ejus. Quid dicis? In manibus est hostia, et omnia parata prostant; adsunt angeli, archangeli; adest Filius Dei, cum tanto horrore adstant omnes: adstant illi clamantes omnibus silentibus: et putas haec frustra fieri? Ergo et alia frustra, et quae pro Ecclesia, et quae pro sacerdotibus offeruntur, et quae pro plenitudine fidelium? Absit; sed omnia cum fide fiunt.

Quid putas pro martyribus offerri, quod vocentur in illa hora? Licet martyres sint, etiam pro martyribus magnus honor nominari Domino praesente, dum mors illa perficitur, horrendum sacrificium, ineffabilia mysteria. Quemadmodum enim sedente imperatore, quaecumque voluerit quispiam, perficit; ubi autem surrexerit, quaecumque dixerit, frustra dicit; ita et tunc, quandiu prostant mysteria, omnibus honor maximus est in memoria haberi.

Vide enim: annuntiatur tunc mysterium horrendum, quod pro mundo seipsum Deus dederit: cum miraculo illo opportune memorat ille eos, qui peccaverunt. Sicut enim quando triumphalia regum ducuntur, tunc celebrantur etiam quotquot victoriae socii fuerunt, dimittuntur etiam ii, qui in vinculis sunt, ob temporis celebritatem; elapso autem tempore, qui nihil assequutus est, nullo fruitur; ita sane hic, triumphalium tempus est. Nam ait: *quotiescumque manducatis panem hunc, mortem Domini annuntiatis* (I Cor. XI, 26).

Itaque ne utcumque accedamus, nec temere haec fieri putemus. Alioquim autem martyres memoramus, et hoc in fidem, quod jam Dominus mortuus non sit; et hoc signum est mortuam esse mortem, quod ille mortuus fuerit. Haec

cum sciamus, consideremus quantas possumus consolationes defunctis conferre, vice lacrimarum, vice fletuum, vice monumentorum, eleemosynas nempe, orationes, oblationes; ut et illi et nos promissa consequamur bona, gratia et benignitate unigeniti Filii, quicum Patri et Spiritui sancto gloria, honor, imperium, nunc et semper et in saecula saeculorum [1].

Sed dicet aliquis: quomodo resurgunt mortui? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur, etc. (I Cor. XV, 35-45). *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale.* Non dicit autem, quare hoc, sed est contentus Dei ordinatione, habens sententiam quae procedit a rebus, testimonium ferentem optimae Dei administrationi, et ostendens quod res nostrae semper procedunt ad id quod est melius ac praestantius: simul etiam hinc quoque ei quod dicit fidem faciens. Nam si quae sunt minora evenerunt, multo magis quae sunt meliora sunt expectanda.

Cum ergo futurum sit ut talibus fruamur bonis, nos in hoc ordine collocemus, et ne defleamus eos qui excedunt, sed eos qui vitam male finiunt. Nam et agricola cum viderit dissolvi frumentum, non lamentatur, sed quandiu quidem videt solidum manere in terra, veretur et contremiscet; postquam autem fuerit dissolutum, laetatur. Initium enim futurae sementis est dissolutio. Sic nos quoque tunc laetemur, cum ceciderit domus in quam cadit interitus, quando homo fuerit seminatus. Nec mireris, si sepulturam vocarit sementem; ea enim est melior sementis.

Nam illi quidem succedit mors et labores, pericula et curae; huic autem, si recte vivamus, coronae et praemia; et illi quidem corruptio ac interitus et mors: huic autem interitu carere, incorruptio et immortalitas, et bona innumerabilia; in illa seminatione sunt complexus et voluptates et somnus; in hac autem vox solum e caelis descendens, et omnia simul repente perficiuntur. Et qui resurgit, non amplius deinceps adducitur ad vitam laboriosam, sed ad eam unde effugit dolor, luctus et gemitus.

[1] In Act. Apost. homil. XXI, nn. 3, 4.

Si autem defensionem requiris et patrocinium, et propterea virum defles, confuge ad omnium communem patronum, defensorem, servatorem et benefactorem Deum, ad inexpugnabile auxilium, ad facile et promptum adjumentum, ad perpetuam quae semper et ubique adest protectionem nos undique munientem.

At consuetudo res est desiderabilis et amabilis. Ego quoque id scio; sed si rationi motum animi commiseris, et apud te reputaveris quis sit qui accepit, et quod si forti animo tuleris, Deo mentem totam offers sacrificium; hunc quoque fluctum poteris vitare, et quod tempus facit, hoc faciet vita christiana et oratio.

Si autem mollis fueris et enervatus, tempore quidem desinet animi perturbatio, tibi autem nullam afferet mercedem.

Sed defuncto potes succurrere non lacrimis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus: non sunt enim haec temere excogitata, neque frustra eorum qui excesserunt in divinis mysteriis meminimus, et pro ipsis accedimus, rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit; sed ut inde eis sit aliqua consolatio: neque abs re is qui adstat altari dum veneranda peraguntur mysteria, clamat: *Pro omnibus qui in Christo dormierunt, et iis qui pro ipsis celebrant memorias*. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne haec quidem dicta essent. Non sunt enim res nostrae ludi scenici, absit: haec enim fiunt ordinatione Spiritus.

Eis ergo opem feramus, et commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat patris sacrificium; quid dubitas, an nobis pro eis qui excesserunt offerentibus, ipsis detur aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari. Et hoc ostendebat Paulus dicens; *ut in multis personis, eius quae in vobis est donationis per multos gratiae agantur pro vobis* (II Cor. 2, 11).

Ne nos pigeat opem ferre iis qui excesserunt, et pro eis oferre preces; est enim propositum orbis terrae commune piaculum. Propterea fidenter pro orbe terrae tunc rogamus, et cum martyribus eos vocamus, cum confessoribus, cum sacerdotibus. Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora; et fieri potest ut veniam

eis omni ex parte conciliemus, a precibus, a donis quae pro eis offeruntur, ab iis qui cum ipsis vocantur.

Cur ergo doles? Cur luges et lamentaris, quando defuncto potest tanta conciliari venia? At luges, quoniam es deserta et destituta, et perdidisti patronum ac defensorem? Sed numquam hoc dixeris, neque enim Deum perdidisti. Ideo quandiu eum habes, ipse erit tibi major et marito et patre et filio et socero; nam et illis viventibus is erat qui faciebat omnia. Haec ergo cogita, et dic sicut David: Dominus illuminatio mea et salvator meus, quem timebo (Ps. 26, 1)? Dic, tu es pater orphanorum, et judex viduarum; et ejus attrahe auxilium; et habebis eum nunc magis tibi providentem quam prius, quo in majorem redacta es inopiam [1].

194.—*Coarctor autem e duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos* (Philip. I, 23, 24). Bonum est dissolvi et esse cum Christo; nam et ipsa mors in numero rerum indifferentium est. Non enim mors malum est, sed post mortem poenas dare hoc malum est; neque etiam bonum est mors, sed postquam decesseris, cum Christo esse, id bonum est; quae post mortem, ea demum sunt vel bona vel mala.

Igitur non generatim eos qui moriuntur, lugeamus, neque de viventibus generatim gaudeamus; sed quid? Lugeamus peccatores non solum morientes, sed etiam viventes; de justis gaudeamus, non solum dum vivunt, verum etiam postquam mortui fuerint. Nam illi quidem etiam dum vivunt mortui sunt: hi vero etiam cum mortui fuerint, vivunt. Illi etiam dum hic sunt, omnium elicere misericordiam debent, quoniam Deum offendunt: hi vero illuc etiam translati beati sunt, quoniam ad Christum sunt profecti. Peccatores ubi sunt, procul a Rege sunt, propterea lacrimis digni; justi autem sive hic sive ibi, cum Rege sunt, atque ibi quidem multo magis ac proprius, non per speciem, non per fidem, sed facie ad faciem.

Non omnes igitur ploremus mortuos, sed eos qui in peccatis: hi lamentis digni, hi ejulatu, hi lacrimis. Quae enim

---

[1] In Epist. I ad Cor. homil. XLII, nn. 4, 5.

dic mihi, spes est una cum peccatis eo discedere, ubi peccata exuere non licet? Donec hic erant, magna forsitan erat spes, fore ut converterentur, ut meliores evaderent; at si infernum abierint, ubi nihil lucri poenitentia reportari potest, *nam in inferno quis confitebitur tibi* (Ps. 6, 6)? Lugeamus eos qui hoc modo decedunt, non id impedio; lugeamus, sed non praeter decorum, solum in anima lacrimas amaras quiete fundamus.

Luge infideles, luge eos qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt: hi vere lamentis digni, hi lacrimis: extra regiam sunt una cum iis qui poenae sunt obnoxii, una cum damnatis. Luge eos qui in divitiis sunt mortui, cum ex divitiis nullum animabus suis solatium comparassent: eos quibus abluendi peccata sua potestas facta erat, et noluerunt. Hos quidem nos omnes et publice et privatim, lugeamus, sed ita, ut a decoro non recedatur, ut gravitatem tueamur, ut ne nos ipsos ludibrio exponamus. Hos lugeamus non unum aut alterum diem, sed per omne vitae nostrae tempus. Lacrimae hae non sunt amentis perturbationis, at veri ac germani amoris; illae vero amentis plane affectionis, propterea etiam cito arescunt. Quae enim ex Dei timore proficiscuntur, semper durant.

Hos igitur lugeamus, opem pro viribus feramus, aliquos ipsius auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodo, quave ratione? Cum ipsi preces fundentes, tum alios ut pro ipsis fundant obsecrantes, ac pro ipsis frequenter dantes eleemosynas pauperibus.

Affert haec res aliquid solatii: audi enim Deum ita dicentem: *Protegam urbem hanc propter me, et propter David servum meum* (IV Reg. XX, 6). Si sola justi memoria tantum valuit, ubi praeterea pro mortuo fiant, quid non poterunt? Non frustra haec ab apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis, inquam, et horrificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt; noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus stat manibus passis ac coetus sacerdotalis et illud horrorem incutiens sacrificium; quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de iis,

qui in fide decesserunt; catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? Licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis; vult enim Deus, ut nobis mutuum auxilium afferamus.

Ecquid enim aliud causae sit, cur pro pace et bono mundi statu precari jusserit? Cur pro omnibus hominibus? Nam hic quidem inter omnes sunt etiam latrones, sepulcrorum effossores, fures, atque alii sexcentis scatentes malis: attamen pro omnibus precamur; erit enim fortasse quaedam ipsorum conversio. Quemadmodum igitur pro viventibus istis precamur, qui nihil a cadaveribus differunt; ita et pro illis etiam precari licet.

Job pro filiis sacrificia faciebat, et ipsos a peccatis liberabat, *nequid forte,* inquit, *cogitaverint in cordibus suis* (I, 5). Hoc modo consulitur liberis. Non dicebat, quod plerique nunc homines solent, opes illis relinquam: non dicebat, gloriam illis comparabo: non dicebat, mercabor principatum: non dicebat, agros emam: sed quid, ne quid cogitaverint in cordibus suis. Quae enim ex rebus illis utilitas, cum hic restent? Nulla. Illum, inquit, omnium regem propitium ipsis reddam, et nihil ipsis posthac deerit. Inquit enim, Dominus pascit me, et nihil mihi deerit (Ps. 22, 1). Haec est magna opulentia, hic thesaurus est: si Dei timorem habeamus, nullius rei egebimus; sin minus, tametsi regnum obtineamus, omnibus hominibus magis pauperes sumus. Nihil ei par inveniri potest, qui Deum timet, nam (Eccli. XXV, 14) *timor Domini super omnia se superposuit* [1].

195.—Pro omnibus orare debemus. Ob causam Deo gratias agendi, proque omnibus supplicandi, Ecclesiae leges ad hunc modum preces fieri jubent: non eas duntaxat quae pro fidelibus, sed eas etiam quae pro catechumenis adhibentur; siquidem lex ad supplicandum pro his, qui nondum initiati sunt, fideles excitat. Nam cum diaconus ait: *pro catechumenis oremus,* nihil aliud facit, quam ut universam fidelium multitudinem ad preces pro illis obeundas excitat.

---

[1] In Epist. ad Philip. homil. III, nn. 3, 4.

Atqui alieni adhuc sunt catechumeni: nondum enim corpori Christi insiti sunt, nec mysteriorum participes effecti, verum a spirituali grege adhuc divisi. Quod si ergo pro his orandum est, multo sane magis pro nostris membris. Ob idque etiam ait, *intente oremus*, ne videlicet eos tamquam alienos abdices ac rejicias, ne tamquam peregrinos non agnoscas. Nondum enim legem sancitam, atque a Christo invectam precationem habent; nondum liberius orandi potestatem nacti sunt, sed aliorum, qui mysteriis initiati sint, ope indigent. Etenim extra vestibula regia stant, logeque a sacris cancellis: eaque etiam de causa, cum tremendae preces fiunt, ablegantur. Quo fit, ut te quoque hortetur ut pro illis ores, quo membra tua fiant, nec jam peregrini atque alieni sint.

Illud enim *oremus*, non sacerdotes tantum, sed etiam ad populum spectat. Nam cum ait, *recte stemus, oremus,* omnes ad precandum hortatur; ac tum precationem auspicans, ait, *ut misericordissimus ac miserator Deus orationes eorum exaudiat.* Etenim ne dicas, quid est quod oremus, alieni sunt, nondum nobiscum conjuncti: unde Deum permovere possum, unde eum adducere, ut misericordiam ac veniam illis impertiat? Ne, inquam, haec quaerens, haereas, vide quomodo his verbis dubitationem tuam discutiat: *ut misericordissimus ac miserator Deus.* Audisti misericordissimus Deus? Perplexo jam animo esse desine; misericordissimus enim ille, omnium, hoc est, tam peccatorum quam amicorum, miseretur. Quocirca ne dixeris, quonam modo eorum causa Deum adibo, ipse enim eorum preces exaudiet. Quaenam porro alia catechumenorum precatio fuerit, quam ut ne catechumeni maneant?

Mox supplicationis quoque modum dictat. Quisnam autem ille est? Ut cordium ipsorum aures aperiat. Occlusae enim et obturatae adhuc sunt. Aures porro non externae hasce, sed mentis intelligit. *Ut audiant quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt; et instillet ipsis verbum veritatis,* ita ut interne in ipsos infundatur. Necdum enim, ut par est, veritatis verbum norunt. *Ut timorem suum in ipsis seminet.* At minime sufficit: alia enim ceciderunt secus viam, alia super petras.

Verum nos non ad hunc modum postulamus; sed sicut aratrum in pingui terra sulcos aperit, sic etiam hic ut fiat precamur, nempe ut in mentis imo innovati, semina injecta excipiant, ac quidquid audierint, accurate retineant. Unde etiam haec verba subnectit, *et confirmet fidem suam in animis eorum*. Hoc est, ut ne in superficie jaceat, sed alte radices agat. *Ut justitiae evangelium ipsis revelet.* Quid autem est justitiae evangelium? Nimirum quod justos efficit. *Ut det illis mentem divinam castam cogitationem, vitam cum virtute conjunctam.* Audiant haec fideles, qui vitae hujusce negotiis affixi sunt. Nam si iis, qui minime initiati sunt, haec postulare jubemur, animadvertas velim, quales nos ipsos esse oporteat qui haec aliis postulamus; siquidem id agendum est, ut vita nostra evangelio respondeat.

Quo etiam fit, ut precationis lex a doctrina ad vitam transeat. Postquam enim dixit, ut justitiae evangelium ipsis detegat, subjunxit, *ut det ipsis mentem divinam*, hoc est, ut Deus in ea habitet per justitiam: vitam etiam desiderat: *perpetuo quae ipsius sunt cogitare, quae ipsius sunt sapere, quae ipsius sunt meditari* [1].

---

[1] In Epist. 2 ad Cor. homil. 2. nn. 5-7.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Numeri paginam indicant

A

Adnotationes utilissimae, dum studio opera navatur 138.
Adoptio divina 14.
Advocatus precum nostrarum Christus 88; unde nostra fiducia provenit 88.
Affectio mentis in oratione 1, 20, 25, 26.
Afflictiones et oratio 56; vid. **Tribulationes**.
Amor erga proximum 53; vid. **Caritas, dilectio;** bonos mores non faciunt nisi boni amores 322.
Angeli legunt sine temporum syllabis aeternam Dei voluntatem 335; numquam eorum Codex clauditur 335; orant pro nobis 29, 335, 401; nostrasque preces Deo offerunt 29, 335; quo sensu audiant nostras orationes 336, 337; sacerdoti adsunt missam celebranti 407.
Anima humana, ejus natura atque origo 132-137.
Anna mater Samuelis optimum exemplar orationis 26, 42, 393, 416.
Apostoli pastores nostri 46; medici animarum nostrarum 19; regulam postulandi a Jurisperito caelesti acceperunt 46; ipsi quoque oraverunt 53.
Arbitrium liberum, gratia et oratio 196; et praescientia divina 112, 113; nisi esset, non leges ferrentur 200; ad bonum et ad malum se habet 170-172; agitur et agit 172, 176.
Assiduitas in oratione 5, 6, 21, 28, 34; maxime vero tempore tribulationis 66.
Auditio verbi Dei gignit et auget caritatem 148.

B

Baptismus parvulorum e traditione apostolica 135; est velut navis qua baptizatus mittitur in mare vitae spiritualis 159.
Beatitudo vera et falsa 296, 297, 310, 313, 355; aeterna et ejus proprietates 87, 265-267; philosophi et pelagiani propriis viribus eam efficere putabant 129.
Bellum spiritale indicitur baptizato 159; Deus invocandus, qui, veluti rex noster, arma nobis praebet 159, 160.

Benedictio mensae, pulcherrima formula a sancto Chrysostomo relata 414.

Bona alia temporalia, alia aeterna 289; aeterna absolute atque avide petenda 289 sqs.; temporalia condicionate 290; quae dantur et bonis et malis 320-322; interiora bona petenda, uti sunt virtutes 318-320; bona omnia per precationem obtinentur 33, 35; vid. **Neccesitas** orationis.

C

Canticum quid sit 9, 73.

Caritas unum e fundamentis orationis 16-22; in caritate semper oratur 6, 7; ejus clamor 64; praeceptum caritatis 63, 125, 129; duae alae caritatis dilectio Dei et proximi 342; est vestis nuptialis 435-437; ejus mensura 53; quomodo gignitur et augetur 148, 149; ad caritatem Scripturae sacrae ordinantur 63, 199; quantum magis regnat caritas, minus iniquitas 176; caritas Christi erga nos 64; vid. **Dilectio**.

Castitas donum Dei est 200; vid. **Continentia**.

Chananaea exemplar orationis 287, 288.

Christiani sumus propter vitam aeternam 45, 81, 158, 159, 399; in qualibet professione sunt boni et mali 364, 371; mali christiani cavendi 128, 129.

Christus:

Est *Deus* noster, fons de fonte, fons veritatis 47;
Pontifex et sacerdos noster 84, 87;
Caput nostrum 54, 55, 60, 62, 65, 82, 338-340; accepit de nobis nosque de ipso 57;
Rex noster, nosque regnum ejus 87;
Legislator noster 44;
Judex noster 45, 87, 88;
Advocatus noster 84-87;
Exemplar nostrum 83.

Est orationis doctor et magister 43-46, 93, 99-102;

Jurisperitus caelestis 44-46, 50; dictavit nobis preces et formulam orandi 46; hortatur nos ad orandum 38, 50; non orat ut Deus, sed exaudit 43, 47-49, 51, 60, 74. 80, 87, 99, 102; orat autem ut homo 47-49, 59, 66, 73, 74, 80; et quidem non ex indigentia 70, 102, 151; sed ex condescensione 99-103; et ut glorificet Patrem 105, 106; nosque doceat orare 44. Nullum dedecus ei obvenit ex oratione 50-54. Oravit ut *mediator* Dei et hominum 48, 86, 428; ejus oratio fuit sacerdotalis 50, 80, 84, 86-88. Oravit saepius in terra 68, 73; oravit die noctuque 51, 59, 61, 74, 82; in monte 58, 59, 83; quid significat haec oratio 83, 84; in deserto 48; in horto olivarum 51, 66, 107; in passione sua 43: in cruce 1, 59, 61, 66, 68, 75, 77, 80-82, 109, 430, 439.

Orat modo in caelo 82, 83, 87; aliquando jam non oravit 85 sqs.

Oravit pro se 52, 70; qua ratione et sensu 52 sqs. pro discipulis et nobis 46, 47, 50, 74-76, 80, 82, 90: pro inimicis et crucifigen-

tibus 75, 77, 100; ita nobis praebuit exemplum patientiae et caritatis 75, 79, 100; ut nos etiam oremus pro ingratis 75. Unio Christi orantis cum suis membris 49, 51, 55, 58, 64-68, 80, 82, 90, 340, 347. Haec doctrina non debet esse nova christianis 65-67.

Omnia per Christum et nomine ejus petenda 89-96; non est justa oratio nisi per Christum 89; Christus ipse invocandus 94, 159; quis vere invocat Christum 98.

Christus passus est tentationes ad nostrum exemplum 57.

Cithara quoddam instrumentum musicum, ejus significatio 345, 346.

Clamor cordis est oratio 2, 7-9, 268: clamor ad Deum non est voce, sed corde 269.

Cogitatio et peccatum seu nexus inter verbum mentis et peccatum externum 191.

Cognati pro eis orare debemus 477, 481.

Colloquium cum Deo est oratio 23, 29, 35.

Concionator debet orare 132, 379; praecipue immediate ante concionem 379, 380, 382; sit orator antequam dictor 379; pietateque magis orationum, quam oratorum facultate fructum in audientibus obtinebit 379; orandum est pro concionatoribus 131, 158, 402, 403, 425-427; pulchra divi Augustini oratio post concionem 383.

Concupiscentia refrenanda 194-198, 200, 240, 251; non vincitur sine gratia et oratione 201.

Condiciones orationis. Vid. Vol. 2, cp. X. Insuper numeri sequentes. Ut sit oratio ad *salutem* aeternam obtinendam 93, 94: Vid. **Bona, Objectum**; *occulta* 59; *pia* 116; *munda* 153; *continua* 5, 6.

**Confessio* dupliciter sumitur 26.

Consensio interna in peccatum 191.

Contemplatio patriae est finis actionum viae 85.

Continentia est donum Dei 190, 196, 201; et oratio 190-203; continentia linguae. Vid. **Lingua**.

Correctio vitiorum sine oratione obtineri nequit 220 sqs.

Correptio fructuosa esse nequit sine oratione 220 sqs.; praelati corripere debent ex officio pastorali 220; quamvis mali subditi corripi nolint 221; correptionis utilitas 222.

Crux: ejus excellentiae 108; efficacia 85; oratio est via ad Crucem Christi 1; crux novum altare sacrificii; in fronte fidelis quid significet 81; tribunal Christi 78; navis qua in caelum portamur 83; in ea Christus manus extendit 297; quid significat haec extensio 297.

D

Daemon versipellis est 341; mortis praepositus 58; eum oratio expellit 24, 36, 37, 41, 193; eique letale vulnus infligit 27, 32: oratio est telum acerrimum contra daemonum impetus 32; nihil diabolus potest contra orantes 230, 231; dum contemnit non orantes 34.

Daniel insigne orationis exemplar 30; oravit pro suis et peccatis populi 253, 254; initiavit et quodammodo significavit vitam religiosorum 364, 365.

David exemplar orationis 32, 42, 180; precibus victorias obtinebat 32.

Definitio orationis 1-3, 23, 29, 35.

Defuncti: triplex eorum status 457, 461, 467; tristitia ob carorum mortem naturalis 456, 457; pompae funeris potius sunt vivorum solatia, quam adjutoria mortuorum 456, 461; cura sepeliendi et sepulcra construendi laudanda 467; nam corpora defunctorum, maxime justorum honore afficienda 462; tamen nihil obest animae defectus sepulcri 462, 464, 466; adjuvantur plurimum orationibus, missae sacrificio, eleemosynis 456, 458, 463, 467; orationes pro mortuis e perpetua Ecclesiae traditione 454, 461, 465; sepulcrum apud Memorias martyrum et Ecclesias quo sensu prosit defunctis 460, 464. Non orandum pro damnatis 468-471; falsa pietas erga damnatos 468, 469.

Deprecatio quid sit 3, 20.

Desiderium et oratio 5-7, 131; continuum desiderium continua oratio est 299.

Deus non docetur nostris orationibus 111-115, 314; non flectitur oratione voluntas ejus 111 sqs. 314; differt, non negat exauditionem precum 94, 96, 237; aliquando non dat nisi orantibus 115; et hoc, ut verificetur ejus praescientia 111, 115, 128; ut exerceamur 121; ut ad ipsum confugiamus 121-123, 286; dat aliquando iratus, quod negat propitius 91, 296; differentiae inter preces, quas ad Deum dirigimus et ad homines 115.

Dilectio ad invicem 53; ad omnes extendenda 437, 438; ejus mensura 53: perfectio dilectionis diligere inimicos 77, 78, 432; nihil mirabilius in mandatis Dei dilectione inimicorum 190; Christus praebuit nobis exemplum et auxilium 54, 60-64, 430.

Distractiones in oratione 7, 15, 25; orationes sine distractione rarissimae 7; cor nostrum et cogitationes nostrae non sunt in potestate nostra 15.

Divisio orationis 5-9.

Divitiae non appetendae 165, 298, 310, 312; condicionate et moderate petendae 290, 292; multis nocuere divitiae 289; quae nec bonae nec male sunt ex sese 322, 323: eis utuntur mali homines in perniciem aliorum, boni in utilitatem 322, 325.

Donum divinum est oratio 11 sqs.; Jesus Christus maximum donum Dei 49.

E

Ecclesia est congregatio fidelium 349; sponsa et Corpus Christi 69, 72, 349; ejus unio cum Christo 55-58, 69; mons sanctus Dei 343, 349, 350; tabernaculum Dei 344, 346; templum Dei 348; ubique diffusa 56, 72; sitit peregrina 339, 340, 420. Est mater nostra, quam ceu Matrem diligere debemus 354, 355: Orat 55, 71, 90, 128, 217, 268, 337-342; et quidem efficaciter 402, 403;

extra Ecclesiam catholicam nemo exauditur ad vitam aeternam 343-354; ergo necessaria unio cum Ecclesia 353-356.
Effectus orationis: serenat et purgat cor 31-33, 117, 118; accendit fervorem 120; auget gaudium et promeretur auxilium in tribulatione 120: efficit homines templa Christi 39. Vid. **Excellentiae**, et Vol. 2.
Efficacia orationis 22, 32, 33, 36. 42. Vid. Vol. 2. cp. XI
Excellentiae orationis 22-29, 35, 39 sqs.
Excusatio in peccatis 193, 194, 229.
Exordium orationis 6.

F

Fervor spiritus unde procedit, et quomodo augetur 120; in oratione quam efficax 2, 20, 27, 28; e contrario oratio frigida et tepida 165.
Felicitas mundi falsa felicitas 355.
Fides est donum Dei, etiam ejus initium 16, 17, 210, 211, 445 sqs.; fons et fundamentum orationis 16-18, 21, 130, 198: si fides deficit, oratio perit 18; est in anima ut radix bona, quae pluviam in fructum ducit 340; altare in templo cordis humani 21. Fides ex auditu 16; fides et intelligentia 145; ejus progressus 145.
Philosophi errarunt circa beatitudinem 129.
Finis melior christiano pati pro Christo 206, 207.
Formulae precationis laudandae 28.
Fundamenta orationis 16 sqs. 27; honestae vitae 33.

G

Gemitus et oratio 11, 22, 26, 302, 305.
Gratia dicitur, quia gratuita 11, 208: non est, uti Pelagiani volebant, liberum arbitrium, nec remissio peccatorum, nec legis praeceptum 239; excitat et attrahit 19; sed non tollit actionem personalem 12. Vid. **Neccessitas** orationis, cum eadem fere doctrina tradatur a divo Augustino circa utramque.
Gratiarum actio 26, 27, 276.
Gratulatio distinguitur ab oratione 9.

H

Haeretici non sunt excludendi ab orationibus 444 sgs.
Honor proveniens ex orationis exercitio quantus 23, 28, 35.
Hortatio ad orationem 18, 38.
Hostes visibiles et invisibiles oratione vincendi 299 sqs. 341, 342.
Humilitas et oratio 52, 83.
Hymnus quid 9, 27, 434.

I

Ignorantia quaedam docta 333.
Incensum Deo suavissimum oratio pura 67.
Infideles non merentur fidem 16, 17. Vid. **Necessitas**: pro eis orandum 17, 415; eorum fides donum Dei 445-447.
Inimici diligendi, ac pro eis orandum 75, 77, 419, 420, 429-434. Vid. **Dilectio**.
Interpellatio quid sit 4; Christi pro nobis 4, 48, 82, 86; quo sensu Spiritus Sanctus interpellat pro nobis 12, 13, 26, 334.

J

Jaculatoriae quid sint 10, 11.
Justi debent orare ut perfecte subjiciant rationi partem inferiorem 421: multum eorum preces valent 359, 409; magna misericordia sunt praediti 408-411; non tamen fidendum nimis eorum orationibus propter peccata nostra 410; pro ipsis orandum est etiam 421. Vid. **Sancti**.
Justitia seu perfectio in quo sistit 420.

L

Lacrimae magnam efficaciam habent in oratione 11.
Languores spirituales sanantur oratione et gratia Christi 245-251.
Lectio spiritualis locutio Dei ad hominem 2.
Libertas humana et praescientia divina 112; et oratio 113; tanto liberior est voluntas, quanto sanior 173.
Lingua continenda 64, 67, 191; magna bona et mala ex usu linguae 322-324; multis modis peccatur in lingua 263; lingua perversa nocentior bestiis 259; facilitatem habet motus 262; ideo difficulter ab homine, non a Deo domatur 260, 261; oret ergo lingua, ut dometur lingua 263; melius remedium est silentium 264.
Linguae graecae magis credendum quoad textum Scripturarum 125.
Locus quilibet orationi aptus 109.
Locutio ad Deum oratio 2; quaenam recta locutio 133; ejus necessitas in oratione publica 112.
Lux Dei, veritas Dei 343, 344.

M

Mali homines cur sint in hoc mundo 63.
Malum magnum non vacare orationi 30.
Mandata divina cum gratia et oratione facilia 195, 198, 178; da quod jubes, et jube quod vis 195, 196, 238; mandata facimus ut promissa accipiamus 144.
Martyres certaverunt usque ad sanguinem 147; unio martyrum cum

Christo 52, 68; veri heroes Ecclesiae 231; contristati in passione, consolati in corona 356; calcaverunt mundi dulcedinem 357; orant pro nobis 82, 354-358, 401: injuria est pro martyre orare 357: petunt vindictam contra regnum peccati 433, 434

Martyrium pati quis potest in lecto 262, 263.

Mater virtutum oratio 36.

Mendici Dei sumus omnes 17.

Milites orare debent 396.

Misericordia Dei fundamentum nostrae orationis 27.

Monachus undenam dicitur 365: nomen est honoris 365, 366; monastica vita professio est angelica 411, 412: magnae ejus excellentiae 412, 413.

Monasteria peperit caritas 363, 366.

Mores bonos non faciunt nisi boni amores 322.

Moyses orationis exemplar 25, 41, 150.

Mulieres facilius et vehementius orant 415-417; nihil fortius muliere pia et prudente 415.

Multiloquium quid sit 11, 116, 118; in oratione omnino vitandum 11, 116, 120.

Munda oratio quaenam 153.

Munus divinum est oratio 11, 14.

N

Navis est cor hominis ventis tribulationum agitatum 273. Vid. **Crux**. Navis portans discipulos quid significet 83, 84.

Necessitas orationis *ex parte Dei* 111-122. Vid. **Deus**. *Ex parte hominis*, multiplex: *ex praecepto* 125-127.

— ad *salutem* necessaria est jugis oratio 127.

— ad *fidem* 127-129, 131, 164: quare alii credant, alii non credant, cum pro omnibus oretur 131.

— ad *intelligenda* quae sunt fidei 139, 140; progressus nostri intellectus in cognitione fidei 145.

— ad *sapientiam* 138-143, 158.

— ad *veritatem* habendam 131, 132, 137, 138. Oratio divi Augustini ad scientiam obtinendam 146.

— ad *caritatem* habendam et augendam 147, 154; media opportuniora ad caritatis progressum 147-150: quaelibet delectationes contemnendae pro caritate 142.

— ad *perfectionem* christianam 132-139, 149, 151-169.

— ad *continentiam* quocumque modo sumptam 190-203.

— ad *virginitatem* servandam 203-205.

— ad *obedientiam* adimplendam 187-190; et *praecepta* Domini observanda 161, 163, 170-185.

— ad *conversionem* obtinendam 128, 129, 154.

— ad *perseverantiam* sive agendi bene, sive usque ad finem perseverandi 128, 157, 205-216.

— ad *correptionem* faciendam 128, 129, 137-139, 214, 220-227; ad *correctionem* obtinendam 128, 214, 220-227.
— ad *hostes* visibiles et invisibiles superandos 229-234, 282-285.
— ad *tentationes* vincendas 127, 155, 160, 173, 234-240, 276, 273; ad *pericula* vitanda 38, 84.
— ad *concupiscentias* refrenandas 130, 240-251.
— ad *peccata* vitanda 251-259.
— ad *linguam* domandam 259-263.
— ad *solatium* in tribulationibus et tristitiis 264-274, 277-282.
— ad *bona omnia* obtinenda 285-288.
— ad *mala quaecumque* avertenda 274-276, 285-288; una spes in multis malis hujus vitae est oratio 274.
Ninivitae per orationem misericordiam consecuti sunt 31, 42.

O

Obedientia reddit orationem efficacem 80, 95, 376.
Objectum petitionis 91-93, 289 sqs.
Obsecratio quid sit 5.
Odium erga peccatum, opus hominis, non erga hominem, opus Dei 341; odium proximi duplex homicidium committit 438, 439; prius te quam inimicum occidisti 439.
Oratio est actus religionis 2; praecipuus post devotionem 2; imperari potest a caritate 3; quo distinguitur a petitione 5, 427, 428; sine oratione nihil magnificum fit 30; qui non orat mortuus est 30.

P

Partes orationis 3-5.
Patientia omnis dulcis est Deo 346.
Patria caelestis beata et secura 47, 82, 83, 265: cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam 266.
Paulus sanctus: pater et princeps servorum Christi 39; magnus precator 39, 40; postulat nihilominus ut pro ipso orent fideles 40, 158; non semper obtinuit quod petebat 69, 92, 146, 175.
Pax interior 421; socialis 429; aeterna, finis omnis actionis et sacramentorum 45, 45, 422.
Peccatores orare debent 25; secus nullus hominum orare posset 389 sqs. aliqui intense oraverunt 25; pro ipsis orandum est 441-444.
Peccatum originale 208; internum et externum 192; non possumus vivere sine ullo peccato 166, 168, 208; excepta B. V. Maria omnes dicere debemus: dimitte nobis debita nostra 255; nulla amicitia cum peccato habenda, impunitum esse non debet 230: ad ipsum vitandum opus est oratione 251-259.
Pelagiani et oratio 14, 15, 128. Vid. **Gratia**.
Perseverantia quotupliciter sumitur 206; finalis est donum Dei 205-

207, 210, 214; semper petenda in oratione 115, 116; suppliciter emereri potest 212; datur per Dominum nostrum Jesum Christum 216-219: perseverantia in orando 34, 94, 97.

Petrus solvitur e carcere vi precationum Ecclesiae 41; in tentatione cognovit vires suas 174; cum Christus rogavit, ne deficeret fides Petri, certissime non erat defectura 218.

Pietas sine oratione impossibilis 34, 36; necessaria ad efficaciam orationis 116.

Postulatio quid sit 4; quaenam recta 94.

Potentia orationis 23, 24, 32; nihil oratione potentius 23.

Praedicator forinsecus operatur 131, 132. Vid. **Concionator**.

Praelati duo habent, quod christiani sunt et praelati 422; praelati non propter suam, verum propter subditorum utilitatem 422, 423; non tam praeesse, quam servire debent praelati religiosi 369; compatientes igitur nobis, orate pro nobis 423; qui commodo sua sola respiciat, se pascit, non oves 423; pericula praelatorum majora quam subditorum 424; ideo orandum pro illis 424, 471-476; quod ex quodam debito faciendum est 41, 420-424; honor periculosus non privandus orationibus 425.

Praescientia Dei et oratio 112-115; et libertas humana 114.

Precatio quid sit 3, 4; radix et fundamentum virtutum 33; quid sit multum precari 11, 31; ejus necessitas 31.

Preces sunt nervi ac vita animae 37; magnaque arma 32.

Principes orare debent 397-400.

Profectus spiritualis et oratio 15, 132.

Providentia Dei et oratio 113.

Psalterium instrumentum musicum, quid significet 345, 346

Pueri orare debent 1, 2.

R

Rationalis creatura sola orat 334.

Reges orare debent 397, 398; exemplum Constantini et Theodosii imperatorum 399; quaenam eos qualitates ornare debent 398; pro ipsis preces fundendae 427-429, 476, 477.

Religiosi adunati in unum voce caritatis 152; caritas enim monasteria peperit 363, 366; vocatio religiosa est a Deo 363, 367; origo statu religiosi est apostolicus 363. Religiosus non caritativus, ut jumentum recalcitrat 367; religiosus tolerans pro murmure precem fundit 367; religiosi murmuratores ut rota carri 367; tales habitant in monasterio tantum corpore 367. Debent se invicem sustinere 368, 372; concorditer vivere 378; orationi instare 378:

Etiam in religione sunt imperfecti 371; seligendi quidem sunt, verum impossibile omnes malos arcere 370: ipsi se non noverunt, quanto minus tu eos noveris 370: inter religiosos et clericos sunt lilia et spinae 371; nullibi meliores, quam qui in monasterio profecerunt; nullibi pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt 374: scandalum pharisaeorum, cum audiunt in mo-

nasteriis caritatem non esse 371, 372: hoc provenit aliquando ex nimia laude vitae religiosae 364: in qualibet enim professione sunt sunt boni et mali 364.

Qui exit e monasterio fit vituperator et maledicus 372; exaggerat defectus contra caritatem, et tacet qui eum ob caritatem toleraverunt 373. Orare debent pro episcopis laborantibus 374, 377: religiosi obedientis citius exauditur oratio 376; non debent praeponere sanctum otium suum Ecclesiae necessitatibus 375.

S

Sacerdos est quasi pater totius orbis 404; officium sacerdotale facile, si perfunctoriae agatur, sed terribile apud Deum 360, 361; magnae excellentiae sacerdotii 405; qualis debet esse sacerdos 405; sunt boni et mali sicut in omni professione 364, 371: sunt lilia et spinae 371; incumbere debent studio sacrae Scripturae 361; praecipue orationi 361, 404-406; exauditur pro populo, etiamsi peccator sit 392; unio populi cum sacerdote orante et celebrante 403, 404.

Sancti multam apud Deum habent auctoritatem 307; exaudiuntur pro se ipsis 96; orant pro nobis 334, 354: orationes nostras in Verbo vident 334; efficacia orationum eorum e duplici radice provenit 334.

Sanctificatio nominis Dei 209; et nostra 209.

Sapientia est munus Dei 196.

Saulus conversus oratione S. Stephani 259, 358; elisus persecutor, erectus praedicator 359.

Scientia quaenam utilis 142, 143.

Scholastici et omnes qui studio incumbunt, orare debent 383-389; per Christum scientiam petere debemus 385, 386: castae deliciae studentium sacrae Scripturae 384; obedientia Ecclesiae via certa inveniendi veritatem 385, 388.

Scripturae divinae verus thesaurus noster 37.

Silentium cordis 6, 7, 191: melius remedium prae omnibus contra vitia linguae 264.

Soliloquium quid sit 9.

Spiritus sanctus est veritas 14; habitat in nobis 13; ejus dona 13; interpellat pro nobis 12, 13. Vid. **Interpellatio**. Spiritus orationis 13.

Stephanus S. multum valet ejus intercessio 358; oravit pro inimicis 430, 435, 439.

Susanna ferventer oravit 2, 8, 59.

T

Temperantia familiares angelos facit 37.

Templum Dei homo interior 111, 112.

Temporales res quomodo petendae 289 sqs. Deus non semper exaudit ad temporalia 61, 71, 73.
Tempus orationis 34; mala tempora homines mali 275; quales nos sumus, talia sunt tempora 275.
Tentatio est vita nostra in hac peregrinatione 56; ejus utilitas 57; Christus tentatur ad nostrum exemplum, utque magisterium praeberet 57; inde magna nobis exsurgit spes vincendi 58; magnum telum oratio in tentationibus 276; Deus tunc invocandus 276.
Tribulatio aptissima orationi 264-274; tunc orationes sunt puriores 278; accendit spiritum orationis 264; ejus utilitas 265 sqs. 278; multiplex tribulatio in hac vita 264, 270, 271; nullus dies sine tribulatione 266; magna tribulatio felicitas temporalis 265; acerbior tribulatio, mala conscientia 271, 272: nullum melius negotium in tribulatione quam ire in mentis interiora 267.

V

Verbositas in oratione vitanda 11, 116, 117, 120:
Vidua evangelii exemplar orationis 18, 38; vidua christiana orationi incumbat 20, 299.
Virginitas oratione atque humilitate servatur 202-204.
Virtutes omnes oratione obtinentur 29, 31, 35; eamque comitantur 42; oratio virtutis mater 36.
Vis orationis 28, 31, 32, 36; contra daemones 34 36. Vid. **Daemon**.
Vocalis oratio, ejusque utilitas 9.

DIVUS AUGUSTINUS SCIENTIFICE DIGESTUS

THEOLOGIA ASCETICA

VOLUMEN I ET II

DE ORATIONE

In preparatione

DE VITA ET PERFECTIONE CHRISTIANA
SECUNDUM DIVUM AUGUSTINUM

THEOLOGIA DOGMATICA

VOLUMEN I

DE SACRA SCRIPTURA JUXTA DIVUM AUGUSTINUM

(Proxime hoc volumen in lucem prodibit.)

DE ORATIONE

SECUNDUM DIVUM AUGUSTINUM

SUMMOSQUE DOCTORES ECCLESIAE JOANNEM
CHRYSOSTOMUM ET THOMAM AQUINATENSEM

ACCURANTE

R. P. EULOGIO NEBREDA

CORDIS MARIAE FILIO

THEOLOGIAE DOGMATICAE EX-PROFESSORE

Vol. II

BILBAO

Ed. ELÉXPURU HNOS.—TYPOGRAPHI S. RITUUM CONGR.

MCMXXIII

APPROBATIONES

Nihil obstat.
FRANCISCUS NAVAL, C. M. F.
Censor deputatus.

Imprimatur.
ANTHONIUS NAVAL, C. M. F.
Subdirector Gralis.

Nihil obstat.
ASSUMPTIO A GURRUCHAGA,
Censor.

Jul. an. 1919.

Imprimatur.
DR. JOS. LEONTIUS O. DE ZARATE.
Gubern. Eccus.

Victor. 24 Jul. an. 1919.

INDEX ANALITICUS

CAPUT X. De condicionibus orationis.

PAG.

Summa: 196. *Condiciones* ex objecto petitionis, *quod pertineat ad salutem.*—197. Ex subjecto orante: *Quod sit pro se.*—198. *Quod sit pia.*—199-202. *Quod sit munda et grata, nimirum in gratia et cum gratiarum actione.*—203. *Attentio et vigilantia in orando.*—204-205. *Contra attentionem laborant distractiones.*—206-210. *Quod sit affectuosa, fervens et caritativa.*—211-214. *Quod sit humilis et recta.*—215-216. *Quod sit occulta.*—217-219. Ex modo orandi, *quod sit perseverans et assidua.*—220. *Adminicula seu alae orationis sunt jejunium et eleemosyna.*—221-222. *Lacrimae multum orationem adjuvant*...... 1-73

APPENDIX AD CAPUT X

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 223-224. *Ars bene orandi, seu breve compendium condicionum orationis.*—225. *Quod sit ad salutem.*—226-228. *Quod sit munda et pura.*—229-231. *Quos sit attenta et vigilans.*—232. *Daemon maximus orationis inimicus.*—233. *Quod sit fervens et caritativa.*—234. *Profunditas orationis.*—235. *Quod sit humilis.*—236-239. *Quod sit occulta et solitaria.*—240-242. *Quod sit assidua et perseverans.*—243-245. *Insignia perseverantiae in oratione exempla.*—246. *Alia orationis adminicula*............ 74-132

CAPUT XI. De orationis efficacia, deque effectibus ejus.

Summa: 247-255. *Oratio semper exauditur ad salutem aeternam, non ad voluntatem petentis, neque ad utilitatem temporalem.*—256. *Aliquando Deus exaudit ad vindictam: terribile exemplum.*—257-258. *Curnam Deus aliquando non audiat.*—259-260. *Refelluntur communiores querelae contra efficaciam orationis.*—261-264. *Effectus orationis, solacium animae et remissio peccatorum.*—265. *Oratio miracula etiam aliquando patratur*.................. 133-186

APPENDIX AD CAPUT XI

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

PAG.

Summa: 266-267. *Modus auxilii voluntati Dei relinquendus.* —268-269. *Ad nostram utilitatem Deus nos aliquando non exaudit.*—270. *Efficacia orationis semper magna est.* —271-272. *Augetur haec efficacia cum accedunt eleemosyna et lacrimae.*—273-276. *Oratio in communitate facta est efficacior.*—277. *Ejus inefficacia provenit aliquando ex ipsis pro quibus oratur.*—278-280. *Miri orationis effectus ac fructus.*—281-282. *Est animae solacium repellitque tristitias.*—283. *Facilia reddit praecepta.*—284. *Purgat peccata* 187-216

CAPUT XII. De tempore, loco et situ orationis.

Summa: 285. *Tempus orationis: orandum per intervalla.*—286-288. *Per noctem et diem.*—289. *Ante prandium.*—290-293. *Praecipue tempore Quadragesimae et Sabbati sancti.*—294. *Locus orationis: ubique orare possumus.*—295-297. *Situs seu modus quoad corpus: regula tenenda. Potes quis orare sedens, stans, levans manus* 217-242

APPENDIX AD CAPUT XII

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 298. *Magna precandi facilitas.*—299-300. *Orare debemus initio diei, interdiu atque noctu.*—301. *Efficacia nocturnae orationis.*—302-303. *Oratio ante et post communionem eucharisticam.*—304. *Preces ante et post prandium.*—305. *Cantus et psalmodia post prandium.*—306. *Orare debemus diebus festis.*—307-309. *Omnis locus ad precandum opportunus.*—310. *Cujusdam sancti viri precatio* 243-268

CAPUT XIII. De oratione Dominica: expositio primae Partis.

Summa: 311. *Comparatio Symboli et orationis Dominicalis per modum introductionis.*—312. *Christus auctor hujus orationis.*—313. *Oratio dominicalis est compendium nostrae spei et omnium quae desiderare debemus.* — 314. *Brevissima expositio totius orationis.*—315. *Collatio orationis Dominicalis cum donis sancti Spiritus.*—316. *Di-*

PAG.

visio orationis in duas partes.—317. *Invocatio praeambula: Pater noster.*—318. *Christus et homines eumdem Patrem caelestem habent.*—319-320. *Expositio prioris partis:* prima petitio, *sanctificetur nomen tuum.*—321. Secunda: *adveniat regnum tuum.*—322. Tertia: *fiat voluntas tua*.. 269-300

CAPUT XIV. De oratione Dominica: expositio secundae Partis.

Summa: 323-325. *Quarta petitio: Triplex panis: materialis, eucharisticus, et veritatis seu intellectualis.*—326-328. *Quinta petitio.*—329-330. *Sexta petitio.*—331. *Septima petitio*.. 301-328

APPENDIX AD CAPUT XIV

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 332-333. *Duplex expositio Dominicae orationis*... 328-336

Elenchus operum divi Augustini ac locorum in hisce voluminibus citatorum................................ 337-340

Allegationes e sancto Ioanne Chrysostomo............... 341-342

Index rerum alphabeticus............................ 343-348

DE ORATIONE

SECUNDUM DIVUM AUGUSTINUM

CAPUT X. De condicionibus orationis.

Summa: 196. *Condiciones* ex objecto petitionis, *quod pertineat ad salutem.*—197. Ex subjecto orante: *Quod sit pro se.*—198. *Quod sit pia.*—199-202. *Quod sit munda et grata, nimirum in gratia et cum gratiarum actione.*—203. *Attentio et vigilantia in orando* —204-205. *Contra attentionem laborant distractiones.*—206-210. *Quod sit affectuosa, fervens et caritativa.*—211-214. *Quod sit humilis et recta.*—215-216. *Quod sit occulta.*—217-219. Ex modo orandi, *quod sit perseverans et assidua.*—220. *Adminicula seu alae orationis sunt jejunium et eleemosyna.* — 221-222. *Lacrimae multum orationem adjuvant.*

196.—Ex objecto: quod sit ad salutem. *Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis* (Jo. XV, 5). Manendo quippe in Christo, quid velle possumus nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod non est alienum a salute? Aliud quippe volumus quia sumus

in Christo, et aliud volumus quia sumus adhuc in hoc saeculo. De mansione namque hujus saeculi nobis aliquando subrepit, ut hoc petamus quod nobis non expedire nescimus. Sed absit ut fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quando petimus, nisi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo, cum verba ejus in nobis manent, quodcumque voluerimus petemus et fiet nobis. Quia si petimus et non fiet, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent verba ejus quae manent in nobis; sed quod habet cupiditas et infirmitas carnis, quae non est in eo et in qua non manent verba ejus. Nam utique ad verba ejus pertinet oratio illa quam docuit, ubi dicimus: *Pater noster qui es in caelis* (Mt. VI, 9). Ab hujus orationis verbis et sensibus non recedamus petitionibus nostris, et quidquid petierimus, fiet nobis.

Tunc enim dicenda sunt verba ejus in nobis manere, quando facimus quae praecipit, et diligimus qud promisit: quando autem verba ejus manent in memoria, nec inveniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice [1].

[1] In Jo. Evang. Tract. 81, n. 4. Cf. cp. VII et XI ubi alia plura ad rem pertinentia invenies. **Doctrina divi Thomae.**

Condiciones orationis. Quattuor sunt praecipuae condiciones orationis, ad quas facile reducuntur plures aliae, quae passim apud auctores recensentur.

Ponuntur, inquit D. Thomas, quattuor condiciones, quibus concurrentibus, semper aliquis impetrat quod petit: ut scilicet, pro se petat, necessaria ad salutem, pie, et perseveranter (2. 2. q. 83, a. 1 ad 3).

Istae condiciones non hoc modo requiruntur ad efficaciam impetrandi, quasi nihil impetretur si aliqua desit; quia etiam quandoque aliquis pro alio orans auditur: sed quia his positis semper oratio efficaciam habet impetrandi, quia impetrationis virtus magis est ex proposito ejus cui oratur, quam ex orantis merito; et ideo quandoque peccatores orantes audiuntur, quando eorum oratio divino proposito concordat (IV, D. XV, q. IV, a. 7, q. 3 ad 1).

Prima condicio desumitur *ex parte objecti*, nimirum, quod ad salutem aeternam pertineat.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum (Jo. XVI, 24).

Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale, sed spiritale gaudium est, et quando tantum erit, ut

---

Quando id quod petitur, utile est ad beatitudinem hominis, quasi pertinens ad ejus salutem, meretur illud non solum orando, sed etiam alia bona opera faciendo; et ideo indubitanter accipit quod petit, sed quando debet accipere (ib.).

Ad hoc quod oratio sit efficax apud Deum, oportet ut ea petat homo, quae dignum est exspectare a Domino (Comp. Theol. ad Regin. Part. 2, cp. 6).

Secunda condicio desumitur *ex parte orantis*, nimirum ut oret pro se. Quia vero homo non potest alii mereri vitam aeternam ex condigno, ideo per consequens nec ea quae ad vitam aeternam pertinent, potest aliquando aliquis ex condigno alteri mereri. Et propter hoc non semper ille auditur qui pro alio orat. Ideo ponitur quod pro se oret (2. 2. q. 83, a. 1 ad 3).

Tertia condicio desumitur cum ex parte orantis, tum ex *modo orandi*, et alias in se includit. Quod sit *pia:* ad hanc possunt reduci sequentes, quas divus Thomas commemorat pluribus locis suorum operum (2. 2. q. 83, aa. 13, 14; IV, D. XV, q. IV, a. 2: In Evang. Jo. XVI, lect. VI; in Ep. ad Ephes. VI, lect. V; in Colos. cp. IV; in Philip. IV, lect. I; in I Thes. V, lect. 2; in I Tim. 2, lect. 2).

Omnes condiciones quae requiruntur ex parte orantis inquantum est orans, includuntur in hoc quod dicit *pie*, quod includit omnes circumstantias virtutis, quibus ordinantur actus *ex parte agentis* (IV, D. XV, q. IV, a. 7, q. 3 ad 6).

a) quod sit *attenta*. In omni oratione requiritur attentio, sed haec quaestio praecipue habet locum in oratione vocali. Dupliciter aliquid dicitur necessarium: uno modo per quod melius pervenitur ad finem, et sic attentio *absolute* orationi necessaria est.

Alio modo aliquid dicitur necessarium sine quo res non potest consequi suum effectum. Est autem triplex orationis effectus: *meritorius*, *impetratorius*, et quamdam *spiritualem refectionem* causans.

Meritorius est communis omnibus actibus caritate informatis; et ad hunc actum non requiritur ex necessitate, quod attentio adsit orationi per totum; sed vis primae intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam.

Impetratio est proprius effectus orationis: et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit.

Si autem prima intentio desit, oratio nec meritoria est nec impetrativa; illam enim orationem Deus non audit, cui ille qui orat non intendit.

Tertius effectus orationis est quem praesentialiter efficit, scilicet

ei aliquid jam non sit addendum, procul dubio tunc erit plenum. Quidquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam. Quidquid aliud petitur, nihil pe-

---

quaedam spiritualis refectio mentis; et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio (2. 2. q. 83, a. 13).

Attentio in oratione vocali. Triplex adhiberi potest: *a)* una quidem qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret; *b)* qua attenditur ad sensum verborum: *c)* qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, et ad rem pro qua oratur, quae quidem est maxime necessaria et hanc etiam possunt habere idiotae; et quandoque in tantum abundat haec intentio, qua mens fertur in Deum, ut etiam aliorum omnium mens obliviscatur (2. 2. q. 83, a. 13; in I Cor. XIV, lec. 2).

Meritum est in omni oratione recte facta. Alius fructus est spiritualis consolatio et devotio concepta ex oratione. Quantum ad fructum devotionis spiritualis, privatur qui non *attendit* ad ea quae orat, seu non intelligit; sed quantum ad fructum meriti non est dicendum quod privetur; quia sic multae orationes essent sine merito, cum vix unum *Pater noster* possit homo dicere, quin mens ad alia feratur (In I Cor. XIV, lect. 2).

Attentio in oratione manere debet semper secundum virtutem, sed non requiritur quod semper maneat per essentiam actus. Manet autem secundum virtutem, quando aliquis ad orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obsequium reddendi, etiamsi in prosecutione orationis mens ad alia rapiatur; nisi tanta fiat evagatio quod omnino depereat vis primae intentionis; et ideo oportet quod frequenter homo cor revocet ad seipsum (IV, D. XV, a. 2, q. 4).

Constat quod plus lucratur qui orat et intelligit, quam qui tantum lingua orat, qui scilicet non intelligit quae dicit. Nam ille qui intelligit, reficitur et quantum ad intellectum et quantum ad affectum, quod est melius; sed mens ejus qui non intelligit est sine fructu refectionis intellectualis, quamvis possit esse quoad affectum (In I Cor XIV, lect. 3).

Voce mea ad Dominum clamavi (Ps. 3). Oratio debet esse attenta, et ideo dicit voce mea, scilicet cordis, quae sonat Deo, quo Moyses tacens ore, clamabat corde ad Dominum (Ex. XIV, 15). Vox enim quando non procedit ex corde non est mea.

Debet esse *recta*; tunc est recta, quando tendit quo debet, et ideo dicit, ad Dominum, ubi est auxilium (In Ps. 3).

Aliquando homo aliquid petit ore, sed cor ejus ad alia versatur; sed quando petitio est ex intimo desiderio cordis, tunc est Deo accepta, sed tunc non os tantum, imo cor petit: *Clamavi in toto corde*

titur; non quia nulla omnino res est, sed quia in tantae rei comparatione quidquid aliud concupiscitur, nihil est.

Duobus modis intelligi potest: *usque modo non petistis quidquam in nomine meo:* vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est, cog-

---

(Ps. 118, 143). *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret oratione hac* (2 Reg. VII, 27).

Contingit aliquando quod desiderium est intimum et quietum et non multum quaerit; sed quando est anxium, tunc vere quaerit, unde dicit: *exquisivi te*, id est, frequenter et diligenter quaesivit (In Ps. 26).

Distractiones in oratione. Mens humana propter infirmitatem naturae diu stare in altum non potest; pondere enim infirmitatis humanae deprimitur anima ad inferiora; et ideo contingit quod quando mens orantis ascendit in Deum per contemplationem, subito evagetur ex quadam infirmitate (2. 2. q. 83, a. 13 ad 2).

Si quis ex proposito in oratione mente evagetur, hoc peccatum est, et impedit orationis fructum: et contra hoc Augustinus dicit: Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore (Epist. 121).

Evagatio vero mentis quae fit praeter propositum, orationis fructum non tollit (ib. ad 3).

Quando aliquis ex proposito ad alia distrahit in orando, sine culpa non est, praecipue si in aliis sponte se occupat quae mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera. Si autem sine hoc quod percipiamus, mens ad alia evagetur, vel culpa caret, vel parvissima culpa est; nisi praecedens cogitatio, ex qua contingit evagatio talis, in culpa esse dicatur (IV, D. XV, q. IV, a. 2, q. 4 ad 2).

b) quod sit *devota*. Aliquando divus Thomas sumit devotionem pro non divagatione (In Eph. VI, lect. 3); aliquando pro puritate: Levantes puras manus, id est, orantes cum *devotione* cordis: elevatio manus significat elevationem cordis (In I Tim. 2, lect. 2).

Devotio est causa quod audiatur a Deo aliquis. Devotio est clamor cordis, qui excitat Deum ad audiendum (In Ps. 26, 7).

Oratio debet esse devota, ideo addidit clamavi, clamosa enim dicitur oratio propter magnitudinem affectus (In Ps. 3).

Patrem vocabis me (Jer. III, 19). Hoc autem dicimus non tantum sono vocis, quantum intentione cordis, quae quidem propter ejus magnitudinem clamor dicitur; sicut ad Moysem tacentem dicitur, quid clamas ad me (Ex. XIX, 13), scilicet intentione cordis (In Ep. ad Rom. VIII, lect. 3).

Procedit autem fervor ex abundantia caloris. Unde fervor spiritus dicitur, quia propter abundantiam divinae dilectionis totus homo fervet in Deum.

c) quod sit *humilis*, non praesumptuosa; quod fit quando homo

novistis; vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis.

Ut igitur in ejus nomine non nihil, sed gaudium plenum petant (quoniam si aliquid aliud petant, idem ali-

---

non putat se exaudiri propter merita sua, sed propter misericordiam divinam (In Eph. VI, lec. 3).

Recta. Ille qui publice orat, si exterius non gloriam hominum sed solius Dei quaerit, in occulto manet intentio et soli Deo orat per intentionem; etiamsi proximo quoque innotescat oratio ad aedificationem (IV, Dist. XV, q. IV, a. 2, q. 1 ad 1).

Perfecta, quod fit cum in omnibus recurrit quis ad orationem, vel orat pro omni bono (In Eph. VI, lect. 5).

Concorditer. Cum concordia petite. Impossibile est preces multorum non exaudiri (In. Ev. Jo. XVI, lect. 6).

Quarta condicio desumitur etiam e modo orandi; quod sit *perseverans.* Cum hac condicione habent quamdam conjunctionem assiduitas, continuatio et diuturnitas orationis. Divus Thomas aliquando promiscue eas usurpat, ex. c. Debet autem oratio habere tria, quod sit assidua, grata et vigilans: assidua, id est, cum perseverantia; vigilans, ut animus non sit pressus, grata, in gratiarum actione (In Colos. cp. 4).

Quaedam non negantur, dicit S. Augustinus, sed ut congruo dentur tempore, differuntur. Quod tamen potest impediri, si in petendo non perseverent. Et propter hoc dicit Basilius (Const. monach. cp. I): Ideo quandoque petis et non accipis quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel destitisti (2. 2. q. 83, a. 13 ad 2).

Tempore debito petitiones obtinentur. Non enim oportet statim decidere, si non accipiat; sed profecto dabitur, etsi ut in tempore congruo detur, differatur, ut magis crescat desiderium (In Ev. Jo. XVI, lect. 6).

Diuturnitas orationis. Oratio potest considerari in se et formaliter, prout nimirum est ascensus mentis in Deum, et in sua causa.

Ipsa oratio in se non potest esse assidua, quia oportet aliis operibus occupari.

Quantum vero temporis ipsi debeamus incumbere, dimetiendum est ex fine ipsius orationis. Uniuscujusque enim rei quantitas debet esse proportionata fini, sicut quantitas potionis sanitati.

Unde et conveniens est ut oratio tantum duret, quantum est utile ad excitandum interioris desiderii fervorem. Cum vero hanc mensuram excedit, ita quod sine taedio durare non possit, non est ulterius oratio protrahenda.

Et sicut hoc est attendendum in oratione singulari per compara-

quid nihil est): exhortatur dicens, petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum et accipietis. Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina fraudabit [1].

197.—Quod oret pro se. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Jo. XVI, 23). Qui sentit de Christo, quod de illo sentiendum est, ipse in nomine ejus petit: et accipiet quod petit si non contra

---

tionem ad intentionem orantis, ita etiam in communi oratione per comparationem ad populi devotionem (2. 2. q. 83, a. 14).

Prolixitas orationis non consistit in hoc quod multa petantur, sed in hoc quod affectus continuetur ad unum desiderandum (2. 2. q. 83, a. 14 ad 2).

In oratione divina assiduitas vel petitionum frequentia non est importuna, sed reputatur Deo accepta. Unde et Dominus ad petendum invitat, dicens: petite et dabitur vobis (Mt. VII, 7). In oratione vero quae ad hominem fit, petitionum assiduitas redditur importuna (Compend. Theol. Part. 2, cp. 2).

Aliquis continue orat, vel propter continuitatem desiderii, vel quia non intermittit, quin temporibus statutis oret, vel propter effectum sive in ipso orante, qui etiam post orationem remanet magis devotus, sive etiam in alio, nimirum cum aliquis suis beneficiis provocat alium ut pro se oret, etiam quando ipse ab orando cessat et quiescit (2. 2. q. 83, a. 14 ad 4).

Sine intermissione orate (I Thes. V). Ille semper orat, qui statutas horas non intermittit. Qui *continue* orat; sed tunc oratio sumitur pro effectu orationis.

Est enim oratio interpretatio seu explicatio desiderii, quia quando desidero aliquid, tunc illud orando peto; unde oratio est petitio decentium a Deo, et ideo desiderium habet vim orationis. Qui eleemosynam dat, facit ut alii orent pro illo (In Thes. V, lec. 2).

In oratione praecipue attenditur orantis devotio: et ideo tantum debet oratio protendi, quantum devotio orantis conservari potest; et ideo si diu possit devotio conservari, debet oratio esse diuturna et prolixa: si autem prolixitas fastidium vel taedium pariat, oratio non est diutius protrahenda (IV, D. XV, q. IV, a. 2, q. I).

Quandoque homo orat Deum et non exauditur, quia ipse non audit Deum praecipientem; sed qui obedit Deo et legi, tunc exauditur. Multum valet deprecatio justi assidua (Jac. V).

Illi exaudiuntur a Deo, qui noverunt pro inimicis orare, ut Ecclesia facit (In Ps. 35, 9).

[1] In Jo. Ev. Tract. 102, n. 2.

suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quaedam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait: *dabit vobis,* ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quae ad eos qui petunt, proprie pertinent.

Exaudiuntur quippe omnes sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est, dabit, sed dabitur vobis [1].

198.—Quod sit pia.—Sed quia magnum est nosse mysterium, quomodo Christus sit Dominus David et filius David, quomodo sit una persona homo et Deus: quomodo sit in forma hominis minor Patre, in forma Dei aequalis Patri; quomodo iterum dicit, et *Pater major me est* (Jo. XIV, 23), et, *Ego et Pater unum sumus* (id. X, 30): quia magnum est sacramentum ut capi possit, mores sunt informandi. Indignis enim clausum est, promerentibus aperitur.

Nec lapides, nec vestes, nec pugni, nec calces sunt quibus pulsamus ad Dominum. *Vita pulsat, vitae aperitur. Corde petitur, corde quaeritur, corde pulsatur, corde aperitur.*

Cor autem hoc quod recte petit, recte pulsat et quaerit, pium esse debet.

Primo amare Deum gratis; haec est enim pietas, nec sibi extra illum ponere mercedem, quam exspectet ex illo. Illo enim melius est nihil.

Et quid carum petit a Deo, cui Deus ipse vilis est? Terram dat, et gaudes, amator terrae et factus terra. Si

---

[1] In Joan. Tract. 102, n. 1.

gaudes quando dat terram; quanto amplius gaudere debes, cum seipsum tibi dat, qui fecit caelum et terram? Gratis ergo amandus est Deus [1].

199.—Quod sit munda et grata. Qui vult audiri a Deo, prius audiat Deum [2].

In me sunt, Deus, vota tua, quae reddam laudes tibi (Ps. 55, 12). Quid reddatis? An forte animalia illa quae offerebantur ad aras aliquando? Nihil tale offeras, in te est quod reddas. De cordis arca profer laudis incensum, de cellario bonae conscientiae profer sacrificium fidei. Quidquid profers, accende caritate. In te sint vota, quae reddas laudis Deo. Amo Deum meum, nemo hunc mihi eripit; quod illi dem, nemo mihi eripit, quia in corde inclusum est.

O divitiae interiores, quo fur non accedit! Ipse dederat Deus unde accipiebat; ipse ditaverat, unde illi offerebat quod amabat. Laudem a te quaerit Deus, confessionem tuam quaerit Deus. Sed de agro tuo aliquid daturus es? Ipse pluit ut haberes. De arca daturus es aliquid? Ipse instituit quod daturus es. Quid daturus es quod ab illo non accepisti? (I, Cor. IV, 7). De corde dabis? Ipse dedit fidem, spem, caritatem: hoc prolaturus, hoc sacrificaturus es [3].

Domine, angusta est domus animae meae quo venias ad eam: dilatetur abs te, ruinosa est, refice eam. Habet quae offendant oculos tuos, fateor et scio; sed quis mundabit eam, aut cui alteri praeter te clamabo, *ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo?* [4].

Inquisivi Dominum, et exaudivit me (Ps. 33, 5). Ubi

[1] Serm. 91 in Mt. XXII, n. 3.
[2] Serm. 17 in Ps. 49, n. 4.
[3] Enar. in Ps. 55, n. 19.
[4] Confes. lib. I, cp. V.

exaudivit? Intus. Ubi dat? Intus. Ibi oras, ibi exaudiris, ibi beatificaris. Orasti, exauditus es, beatificatus es; et non scit qui juxta te stat: gestum est totum in occulto, sicut Dominus in Evangelio dicit: *Intra in cubiculum tuum, claude ostium tuum, et ora in occulto, et Pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi* (Mt. VI, 6). Cum ergo intras in cubiculum tuum, intras cor tuum. Beati qui gaudent quando intrant ad cor suum, et nihil mali ibi inveniunt.

Attendat sanctitas vestra: quomodo nolunt intrare domos suas, qui habent malas uxores, quomodo exeunt ad forum, et gaudent; coepit hora esse, qua intrent in domum suam, contristantur: intraturi sunt enim ad taedia, ad murmura, ad amaritudines, ad aversiones, quia non est domus composita, ubi inter virum et uxorem pax nulla est, et melius illi est foris circumire. Si ergo miseri sunt, qui cum redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus evertantur; quanto sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur.

Ergo ut possis libens redire ad cor tuum, munda illud. *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Mt. V, 8). Aufer inde cupiditatum sordes, aufer labem avaritiae, aufer tabem superstitionum, aufer sacrilegia et malas cogitationes, odia, non dico adversus amicum, sed etiam adversus inimicum; aufer ista omnia; intra in cor tuum, et gaudebis ibi.

Cum ibi coeperis gaudere, ipsa munditia cordis tui delectabit te, et faciet orare: quomodo si venias ad aliquem locum, silentium est ibi, forte quies est ibi, mundus est locus; oremus hic, dicis: et delectat te compositio loci, et credis quod ibi te exaudiat Deus.

Si ergo loci visibilis te delectat munditia, quare te non offendit immunditia cordis tui? Intra, munda omnia, leva oculos tuos ad Deum, et statim te exaudiet. Clama et dic: *inquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eruit me.*

Quare? Quia cum fueris illuminatus, cum coeperis hic habere bonam conscientiam, restant tribulationes, quia restat aliquid infirmum, donec *mors absorbeatur in victoriam, et mortale hoc induat immortalitatem* (I Cor. XV, 53); necesse est ut in hoc saeculo flagelleris: necesse est ut aliquas tentationes suggestionesque patiaris. Mundabit Deus omnia, eruet te ab omni tribulatione, ipsum quaere.

Inquisivi Dominum et exaudivi me. Qui ergo non exaudiuntur non Dominum quaerunt. Intendat sanctitas vestra: non dixit, inquisivi aurum a Domino, et exaudivit me; inquisivi a Domino senectutem, et exaudivit me; inquisivi a Domino hoc aut illud, et exaudivit me. Aliud est aliquid inquirere a Domino, aliud ipsum Dominum inquirere. Inquisivi, inquit, Dominum, et exaudivit me.

Tu autem quando oras et dicis, occide illum inimicum meum, non Dominum inquiris, sed quasi facis te judicem super inimicum tuum, et facis quaestionarium [1] Deum tuum. Unde scis ne melior te sit cujus mortem quaeris, eo ipso forte, quia ille non quaerit tuam. Ergo noli aliquid a Domino extra quaerere, sed ipsum Domi-

[1] Quaestionarius idem est atque carnifex. Unde vetus scholiastes Juvenal. Sat. VI, ad illud: *sunt quae tortoribus annua praestent*, annotat, *salaria quaestionariis seu carnificibus.* Et in martyris Marcianae Actis n. 3, legitur: *Iratus judex talibus dictis virginem Deo dicatam, quaestionariorum manibus alapis caesam, in ludo gladiatorio jussit includi.*

num quaere, et exaudiet te, adhuc te loquente dicet, *ecce adsum* (Is. LXV, 24).

Quid est ecce adsum? Ecce praesens sum, quid vis, quid a me quaeris? Quidquid tibi dedero, vilius est quam ego; me ipsum habe, me fruere, me amplectere: nondum potes totus, ex fide continge me, et inhaerebis mihi; hoc tibi Deus dicit, et cetera onera tua ego a te deponam, ut totus mihi inhaereas, cum hoc mortale tuum ad immortalitatem convertero, ut sis aequalis angelis meis, et semper videas faciem meam, et gaudeas, et gaudium tuum nemo auferat a te; quia inquisisti Dominum, et exaudivit te, et ex omnibus tribulationibus tuis eruit te [1].

200.—*Tristis est anima mea usque ad mortem* (Mt. XXVI, 38). Qui haec verba dixit, quaedam membra sua in se figuravit. Plerumque enim mens bene credit et bene novit futurum hominem secundum fidem suam in gremio Abrahae: credit hoc, et tamen cum venerit alicujus articulus mortis, turbatur ex familiaritate quadam saeculi hujus; erigit auditum in illam vocem Dei internam, audit rationale carmen intrinsecus. Ita enim desuper in silentio sonat quiddam, non auribus, sed mentibus, ut quicumque audit illud melos taedio afficiatur ad strepitum corporalem, et tota ista vita humana tumultus ei quidam sit, impediens auditum superni cujusdam soni nimium delectabilis, et incomparabilis, et ineffabilis.

Et revera cum ita contingit ex aliqua perturbatione, vim patitur homo, alloquens animam suam: *ut quid tristis es, anima mea, et ut quid conturbas me*? An forte ideo quia difficile purgata vita invenitur, cum ille judicat

---

[1] Enar. II in Ps. 33, serm. 2, nn. 8, 9.

qui novit ad purum et liquidum judicare? Quia etsi probabilis jam vita est inter homines, ita ut homines quid jam reprehendant juste non habeant, procedit examen ab illius oculis, procedit regula exaequans non fallaciter, et invenit in homine quaedam quae reprehendat Deus, quae homines reprehendenda non videbant, nec ille ipse intus qui judicandus est. Haec timens anima forte conturbatur: alloquitur eam mens, quasi dicens, quid times de peccatis, quia non potes omnia devitare?

Spera in Dominum, quoniam confitebor illi. Quaedam sanat praesens allocutio, reliqua purgat fidelis confessio. Plane time, si justum te dicis; si non habes illam vocem ex alio psalmo: *ne intres in judicium cum servo tuo.* Quare ne intres in judicium? Quia misericordia tua mihi opus est. Nam si judicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? *Si iniquitates observaberis, Domine, Domine, quis sustinebit?* (Ps. 129, 3). *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (Ps. 142, 2). Ergo si non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia quicumque hic vivit, quantumlibet juste vivat, vae illi si cum illo in judicium intraverit Deus.

Nam ex alio propheta arrogantes et superbos identidem sic objurgat: ut quid vultis mecum judicio contendere? *Omnes dereliquistis me, dicit Dominus* (Jer. XI, 29). Noli ergo judicio contendere, da operam esse justus; et quantumcumque fueris, confitere te peccatorem, semper spera misericordiam. *Spera* inquit, *in Dominum, quoniam confitebor illi.* Quid illi confiteberis? *Salutare vultus mei, Deus meus.* Tu es salutare vultus mei, tu sanabis me. Aeger ad te loquor, agnosco medicum, non me jacto sanum; quod in alio psalmo dicitur, *ego dixi: Do-*

mine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi (Ps. 40, 5).

Haec vox, fratres, tuta est; sed vigilate in operibus bonis. Tangite psalterium, oboediendo praeceptis, tangite citharam, tolerando passiones. *Frange esurienti panem tuum* (Is. LVIII, 7), audisti ab Isaia: noli jejunium putare sufficere. Jejunium te castigat, non alterum reficit. Fructuosae erunt angustiae tuae, si alteri praestiteris latitudinem. Ecce fraudasti animam tuam: cui dabis quod tibi abstulisti, ubi pones quod tibi denegasti? Quam multos pauperes saginare potest intermissum hodie prandium nostrum.

Ita jejuna, ut alio manducante prandisse te gaudeas, propter orationes, ut exaudiaris. Ibi enim ait: *adhuc loquente te dicam, ecce adsum: si fregeris ex animo esurienti panem.* Quia plerumque fit a tristibus et a murmurantibus, ut careant taedio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. *Hilarem autem datorem diligit Deus* (II, Cor. IX, 7). Si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. Ergo ex animo fac ut ille qui intus videt adhuc loquente te dicat: *ecce adsum.*

Quam celeriter accipiuntur orationes bene operantium; et haec justitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, jejunium et eleemosynam. Tales nos inveniat, ut securos inveniat lux Dei, et veritas Dei, cum venerit liberare nos a morte, qui jam venit subire pro nobis mortem [1].

Ecce ego judico inter ovem et ovem, et arietes et hircos (Ezech. XXXIV, 17). Ego judico: magna securitas, ipse judicat, securi sint boni. Judicem ipsorum nullus adver-

[1] Enar. in Ps. 42, nn. 7, 8.

sarius corrumpit, nullus advocatus circumvenit, nullus testis illudit. Sed quantum securi sunt boni, tantum timeant mali. Non talis judicat cui aliquid abscondatur. Numquid enim Deus judicans quaesiturus est testes, per quos discat quis sis? Unde potest falli quis sis, qui noverat quis esses futurus? Te interrogat, non alium de te. *Dominus*, inquit, *interrogat justum et impium* (Ps. X, 6). Interrogat autem te, non ut discat a te, sed ut confundat te. Habentes ergo judicem talem, quem nemo contra nos fallit, nemo pro nobis; sic agamus, ut ejus judicium venturum non timeamus, sed expectemus et desideremus. Numquid enim frumenta timent, ne mittantur in horreum? Imo optant vehementer et desiderant. Numquid oves timent, ne ponantur ad dexteram? Imo nihil eis tam tardum est, quam donec fiat.

Hi vero ex animo et tota sinceritate dicunt, cum orant: Veniat regnum tuum. Mali vero hominis in his verbis et cor trepidat, et lingua titubat. Quomodo enim dicis, veniet regnum tuum? Ecce veniet: qualem te inveniet? Sic ergo age, ut securus ores. Et si quid forte inest in conscientia errati atque peccati, habes in ipsa oratione medicinam: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Voluit enim Deus sic te esse debitorem, ut habeas debitorem. Peccando quippe inimicum te facis Deo; sed attende ne forte tu habeas inimicum. Dimitte, et dimittetur tibi.

Danda est ergo opera purae conscientiae, et si forte aliquis inest scrupulus, praeveniamus faciem ejus in confessione. Praeveniamus eum, ne nos ipse praeveniat. Post confessionem non afferet ultionem, si et tu post confessionem non repetas iniquitatem. Praeveni antequam prae-

veniaris. Quia enim venturus est, certum est; perdes, si non desideras quod futurum est. Nam et te nolente venturus est. Numquid eum dilaturus es, recusando ne veniat? Sicut noverat horam qua judicari debuit, sic novit et horam qua debeat judicare. Veniet ille, tu vide qualis futurus sis.

Hodie inest scrupulus, hodie sit confessio, hodie renuntietur scrupulo, hodie dimittitur, hodie laxatur. Non est ut dicas, differt Deus veniam; tu noli differre medicinam tuam. Habes enim aliquid in animo quod te angat; et si angit, et sollicitat. Utique si in domo tua esset lapis offendens oculos tuos, juberes eum auferri de medio; maxime si aliquem paulo majorem hospitem in domo tua esses recepturus.

Cum ergo Deum invocas, in te vocas; quomodo veniet in te, cui locum quo recipias, non mundasti? Sed minus idoneus es auferre de corde tuo, quod tibi ipse fecisti? Ipsum invoca ut mundet; ipsum invita, ut intret; dum tamen quod facturus es, modo facias, cum loquitur monendo, et tacet judicando [1].

Nihil iniquum erat in manibus meis, sed munda oratio mea (Job. XVI, 18). Hinc enim erat munda oratio, qua veniam non injuste petebat, qui veraciter dabat.

Item quod dicit, vias enim ejus custodivi, et non declinavi a mandatis ejus, neque discedam (Job. XXIII, 11). Custodit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit; etsi aliquando ut infirmus offendit aut titubat: proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus.

[1] Serm. 47 in Ezech. n. 7.

Declinat autem a mandatis Domini atque discedit apostata; non ille qui, etiamsi habeat peccatum, confligendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eo perveniat ubi nulla cum morte contentio remanebit. In isto ergo conflictu induimur ea justitia, qua hic ex fide vivitur, et ea quodammodo loricamur. Assumimus quoque judicium, quo etiam contra nos pro nobis facimus, quando peccata nostra accusando damnamus; unde scriptum est, *justus ipse sui accusator est in primordio sermonis* (Prov. XVIII, 17). Hinc item dicit, *justitia vestitus eram, et circumdedi mihi judicium sicut clamydem* (Jo.b XXIX, 15). Nam et ista vestis belli magis solet esse quam pacis, ubi adhuc expugnatur concupiscentia, non ubi erit plena sine aliquo prorsus hoste justitia, novissima inimica morte destructa [1].

201.—Quod sit cum gratiarum actione. *In finem, in hymnis, intellectus ipsi David.* Quis sit finis, commemoramus breviter quia nostis. *Finis enim legis Christus est, ad justitiam omni credenti* (Rom. X, 4). Intentio ergo dirigatur in finem, dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? Quoniam quidquid agimus, ad illum referimus; et cum ad eum pervenerimus, ultra quod quaeramus non habebimus.

Dicitur enim finis qui consumit, dicitur finis qui perficit. Aliter quippe intelligimus cum audimus, finitus est cibus qui manducabatur; et aliter intelligimus cum audimus, finita est vestis, quae texebatur. In utroque audimus finitum est, sed cibus ut jam non esset, vestis ut perfecta esset.

Finis ergo noster perfectio nostra esse debet, perfectio

[1] De perfect. justit. hominis, nn. 25, 26.

nostra Christus. In illo enim perficimur, quia ipsius capitis membra sumus.

In hymnis, id est, in laudibus. Sive enim tribulemur et angustemur, sive laetemur et exultemus, ille laudandus est, qui et in tribulationibus erudit, et in laetitia consolatur. Laus enim Dei a corde et ore christiani recedere non debet, non ut laudet in prosperis, et maledicat in adversis; sed quemadmodum psalmus ille praescribit, *benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (Ps. 33, 1). Gaudes, agnosce Patrem blandientem; tribularis, agnosce Patrem emendantem. Sive blandiatur, sive emendet, eum erudit cui parat hereditatem. [1]

Immola Deo sacrificium laudis (Ps. 49, 14). O sacrificium gratuitum, gratia datum! Non quidem hoc emi quod offerrem, sed tu donasti: nam nec hoc haberem. Immola Deo sacrificium laudis. Et haec immolatio sacrificii laudis, gratias agere illi a quo habes quidquid boni habes, et cujus misericordia tibi dimittitur quidquid boni habes, et cujus misericordia tibi dimittitur quidquid tuum mali habes. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo preces tuas.

Hoc odore Dominus delectatur.

Immola ergo Deo sacrificium laudis. Lauda promittentem, lauda vocantem, lauda exhortantem, lauda adjuvantem: et intellige in qua tribulatione positus es. Invoca, erueris, glorificabis, permanebis.

Immola Deo sacrificium laudis, et hoc quodam modo vectigal indixerat, meditabatur sibi, et dicebat: Surgam cotidie, pergam ad Ecclesiam, dicam unum hymnum matutinum, alium vespertinum, tertium aut quartum

---

1 Enar. in Ps. 54, nn. 1, 2.

in domo mea, cotidie sacrifico sacrificium laudis, et immolo Deo meo.

Bene facis quidem, si hoc facis: sed vide ne jam securus sis, quia jam hoc facis, et forte lingua tua Deum benedicat, et vita tua Deo maledicat. Vide ne vivas male et cantes bene. *Peccatori enim dicit Deus, ut quid tu enarras justitias meas?* (Ps. 49, 16). Admonet illum, ut audiat: non ut deponat praedicationem, sed ut assumat oboedientiam [1].

Confitemini Domino et invocate nomen ejus (Ps. 104, I). In laude enim intelligenda est ista confessio, sicut est *confiteor tibi, Pater caeli et terrae* (Mt. XI, 25). Praemissa enim laude, invocatio sequi solet, ubi desideria precator alligat: unde et ipsa oratio dominica habet a capite brevissimam laudem, quod est, *Pater noster qui es in caelis* (Mt. VI, 9). Tunc quae petuntur, deinceps consequuntur.

Unde et alibi in Psalmo dicitur: *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum* (Ps. 74, 2). Quod alibi est planius: *laudans invocabo Dominum, et ab inimicis salvus ero* (Ps. 17, 4), ita et hic, confitemini, inquit, Domino et invocate nomen ejus: quod tale est ac si diceret: laudate Dominum et invocate nomen ejus. Exaudit quippe invocantem, quem laudantem videt, laudantem videt quem probat amantem. Verbo et opere laudate [2].

202.—Aeterna laudatio. Et quomodo laudabis Dominum Deum tuum? *Psallam Deo meo quandiu sum.* Qualis illa laudatio, psallam Deo meo quandiu sum? Videte,

[1] Enar. in Ps. 49, nn. 21-23.
[2] Enar. in Ps. 104, nn. 1, 2.

fratres mei, quale erit illud esse. Ubi sempiterna laudatio erit, sempiternum esse erit. Ecce modo es: nunquid psallis Deo tuo quandiu es? Ecce psallebas: avertisti te ad aliquod negotium, jam non psallis et es: ecce es et non psallis. Fortassis etiam cupiditate inclinatus ad aliquid, non solum non psallis, sed et offendis auditum ejus: et es tamen.

Quae erit illa laudatio, ubi quandiu es laudes? Sed quid ait. quandiu sum? Aliquando forte non erit? Immo aeternum erit ipsum diu et ideo vere diu erit. Nam quidquid finem habet in tempore, quamlibet longum sit, diu non est. Psallam Deo meo quandiu sum [1].

Meditatio praesentis vitae nostrae in laude Dei esse debet: quia exultatio sempiterna futurae nostrae vitae, laus Dei erit: et nemo potest idoneus fieri futurae vitae, qui non se ad illam modo exercuerit. Modo ergo laudamus Deum, sed et rogamus Deum. Laus nostra laetitiam habet, oratio gemitum.

Promissum est enim nobis aliquid quod nondum habemus: et quia verax est qui promissit, in spe gaudemus: quia tamen nondum habemus, in desiderio gemimus. Bonum est nobis perseverare in desiderio, donec veniat quod promissum est, et transeat gemitus, succedat sola laudatio.

Propter haec duo tempora, unum quod nunc est in tentationibus et tribulationibus hujus vitae, alterum quod tunc erit in securitate et exultatione perpetua, instituta est nobis etiam celebratio duorum temporum, ante Pascha et post Pascha. Illud quod est ante Pascha significat tribulationem, in qua modo sumus; quod vero nunc agimus post Pascha, significat beatitudinem, in

[1] Enar. in Ps. 145, n. 8.

qua postea erimus. Ante Pascha ergo quod celebramus, hoc et agimus; post Pascha autem quod celebramus, significamus quod nondum tenemus.

Propterea illud tempus in jejuniis et orationibus exercemus, hoc vero tempus relaxatis jejuniis in laudibus agimus. Hoc est enim *Alleluia,* quod cantamus, quod latine interpretatur, ut nostis, *laudate Dominum.* Ideo illud tempus ante resurrectionem, hoc tempus post resurrectionem Domini est.

Quo tempore significatur vita futura, quam nondum tenemus; quia quod significamus post resurrectionem Domini, tenebimus post resurrectionem nostram. In capite enim nostro nobis utrumque figuratum est, utrumque demonstratum est.

Passio Domini ostendit nobis vitam praesentis necessitatis, quia oportet laborare, et tribulari, et ad extremum mori. Resurrectio vero et clarificatio Domini ostendit nobis vitam, quam accepturi sumus, cum venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis. Et quidem modo mali omnes cantare nobiscum possunt, *Alleluia:* si autem in malitia sua perseveraverint, canticum vitae nostrae futurae labiis dicere potuerunt; ipsam vero vitam, quae tunc erit in ea veritate, quae nunc significatur, obtinere non possunt, quia noluerunt meditari, antequam veniret, et tenere quod venturum erat.

Nunc ergo, fratres, exhortamur vos, ut laudetis Deum, et hoc est quod nobis omnes dicimus, quando dicimus *Alleluia. Laudate Dominum,* dicis tu alteri, dicet ipse tibi. Cum se omnes exhortantur, omnes faciunt quod hortantur. Sed laudate de totis vobis, id est, ut non sola lingua et vox vestra laudet Deum, sed et conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Etenim laudamus modo

in Ecclesia quando congregamur: cum quisque discedit ad propria, quasi cessat laudare Deum. Non cesset bene vivere, et semper laudat Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando a justitia, et ab eo quod illi placet, declinas. Nam si a vita bona numquam declines, lingua tua tacet, vita tua clamat, et aures Dei ad cor tuum. Quomodo enim aures nostrae ad voces nostras, sic aures Dei ad cogitationes nostras.

Non potest autem fieri, ut habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes. Facta enim de cogitatione procedunt; nec quisquam potest aliquid facere, aut ad aliquid faciendum membra movere, nisi primo praecesserit jussio cogitationis.

Quomodo de interiori palatio, quidquid jusserit imperator, per imperium romanum emanat, quidquid videtis agere per provincias. Quantus motus fit ad unam jussionem imperatoris intus sedentis? Movet ille solum labia cum loquitur, et movetur omnis provincia, cum fit quod loquitur; sic et in unoquoque hominum intus est imperator, in corde sedet. Si bonus bona jubet, bona fiunt: si malus mala jubet, mala fiunt.

Cum possidet diabolus, quid potest jubere nisi mala? In tuo autem arbitrio Deus esse voluit cui pares locum: Deo an diabolo. Cum paraveris, qui possidebit, ipse imperabit. Ergo, fratres, non tantum ad sonum attendite; cum laudatis Deum, toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta. Et si est adhuc gemitus, tribulatio, tentatio, sperate transitura omnia, et illum venturum diem quo sine defectu laudabimus.

Ecce iste psalmus, quoniam manifestus est, currendus est nobis. Distribuit enim universam creaturam laudantem Deum, et tamquam hortatur ut laudet, quasi invenerit tacentem.

Laudate Dominum de caelis. Quasi invenerit tacentes in caelis laudem Domini, exhortatur ut surgant, et laudent. Numquam caelestia laudes Conditoris sui tacuerunt, numquam terrestria Deum laudare cesserunt. Sed plane sunt quaedam quae habent spiritum laudandi Deum in eo affectu, quo eis placet Deus. Nemo enim laudat, nisi quod ei placet.

Sunt autem alia, quae spiritum vitae et intellectum ad laudandum Deum non habent , sed quia et ipsa bona sunt, et in ordine suo integre disposita, et ad pulchritudinem universitatis referuntur, quam condidit Deus; ipsa quidem per se voce sua et corde suo non laudant Deum, sed cum ab intelligentibus considerantur, per ipsa laudatur Deus, quodam modo et ipsa laudant Deum.

Verbi gratia, laudant Deum in caelo omnia, quae habent spiritum vitae et intellectum purum ad eum contemplandum et sine fastidio et defectu diligendum. Laudant autem Deum in terra per intellectum discernendi bonum et malum, per intellectum cognoscendi creaturam et Creatorem, homines qui ista cogitent, quibus tribuit Dominus mentem discernendi ista, delectandi atque laudandi [1].

Vespere demorabitur fletus. Nolite timere, quia dixerat nobis psallite, et hic gemitus est, in psallendo exultatio, in orando gemitus. Geme de praesentibus, psalle de futuris: ora de re, psalle de spe. Vespere demorabitur fletus, et in matutinum exultatio. In matutino sperandum est, laetandum est; sed perferendum est modo et gemendum [2].

---

[1] Enar. in Ps. 148, nn. 1-3.
[2] Enar. II in Ps. 29, n. 16.

203.—Attentio et vigilantia in orando. *Benedictus Deus qui non amovit deprecationem meam et misericordiam suam a me* (Ps. 65, 19). Quandiu ergo hic sumus, hoc rogemus Deum, ut non a nobis amoveat deprecationem nostram et misericordiam suam, id est ut perseveranter oremus, et perseveranter misereatur.

Multi enim languescunt in orando et in novitate suae conversionis ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter: quasi securi fiunt.

Vigilat hostis, dormis tu. Ipse Dominus praecepit in Evangelio: *Quia oportet semper orare et non deficere* (Lc. XVIII, 1).

Et dat similitudinem de illo iniquo judice, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, quem interpellabat illa vidua cotidie ut audiret eam: et cessit taedio, qui non flectebatur misericordia: et ait sibi judex nequam: si nec Deum timeo, nec homines revereor, vel propter taedium quod mihi cotidie facit haec vidua, audiam causam ejus, et vindicabo eam.

Et ait Dominus: si judex nequam hoc fecit, Pater vester non vindicabit electos suos qui ad eum clamant die ac nocte? Ita dico vobis, faciet judicium eorum cito (Lc. 18, 4). Ergo noli deficere in oratione. Ille quod concessurus est, etsi differt non aufert: securus de pollicitatione ipsius noli deficere orando, et hoc ex beneficio ipsius est.

Propterea dixit: Benedictus Deus meus, qui non amovit deprecationem meam, et misericordiam suam a me. Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus [1].

---

[1] Enar. in Ps. 65, n. 24.

204.—Distractiones in oratione. *Lauda anima mea Dominum.* Natura animae praestantior est quam natura corporis, excellit multum, res spiritalis est, res incorporea est, regit corpus, movet membra, dirigit sensus, praeparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infinitarum imagines: et quis est tandem qui sufficiat laudibus animae? Et si in animae laudibus deficitur, quae laus est ejus qui animam condidit? Et tamen tanta est ejus gratia, ut dicat homo iste, lauda anima mea Dominum.

Quis potest laudare Deum? Si diceret, te ipsam lauda, fortasse deficeret: lauda, inquit, Deum.

Conare pietatis affectu, deficies in laudibus ejus. Expedit tibi deficere laudando Deum, quam proficere laudando te. Cum enim laudas Deum et non explicas quod vis, extenditur in interiora cogitatio tua, ipsa extensio capaciorem te facit ejus quem laudas.

Quis ergo est qui dicit, lauda anima mea Dominum? Caro non dicit. Sit licet corpus angelicum, inferius est quam anima, consilium superiori dare non potest. Infelix est ipsa anima, si a corpore expectat consilium. Caro bene oboediens famula est animae; illa regit, haec regitur; illa imperat, ista famulatur: quando potest caro dare hoc consilium animae?

Quis est ergo qui dicit, lauda, anima mea, Dominum? Totus homo, qui animam interpellat. Jam diu, inquit, occupata vixisti, et desideriorum diversitate verberata, portas plagas saucia, divisa per amores multos, ubique inquieta, nusquam secura: colligere ad te ipsam, quidquid tibi foris placebat, quaere quem habeat auctorem.

Omnia ista caeli et terrae simul bona valde, quia *fecit Deus omnia bona valde* (Gen. I, 31). Undique pulchri-

tudo operis, quae tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Non occuperis in eo quod factum est, et recedas ab illo qui fecit. Haec enim quibus occuparis, sub te fecit, quia sub se ipso te fecit. Si haerebis superiori, calcabis inferiora; si autem recedas a superiori, ista tibi in supplicium convertentur.

Itaque colligit se ad sanitatem quamdam et dicit, lauda, anima mea, Dominum.

Et quid est, fratres, nonne laudamus Dominum? Nonne cotidie hymnum non cantamus? Nonne cotidie pro modulo nostro sonat os nostrum, parturit cor nostrum laudes Dei? Magnum est quod laudamus, sed quo laudamus adhuc infirmum est.

Quando implet laudator excellentiam laudati? Ecce homo stat, cantat Deo aliquanto prolixius, et saepe labia moventur ad cantum, cogitatio autem per nescio quae desideria volat. Stabat ergo mens nostra quodam modo ad laudem Dei, et anima nostra per diversas cupiditates vel curas negotiorum hac atque illac fluitabat.

Quasi desuper attendit ipsa mens ad fluitantem hac atque illac et ejus inquietudinem molestiarum quasi conversa alloquitur: lauda, anima mea, Dominum. Quid est quod de aliis rebus satagis? Quid est quod te occupat cura rerum terrenarum atque mortalium? Sta mecum, lauda Dominum.

Et quasi ipsa anima praegravata, et non valens ista consistere, ut dignum est, respondet menti: laudabo Dominum in vita mea. Laudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter, quia quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino, et corpus quod corrumpitur, aggravat animam [1].

---

[1] Enar. in Ps. 145, nn. 4-6.

Cum in Scripturis sanctis fueris contemplatus normam justitiae, quantumcumque profeceris, invenies te peccatorem: profecisti, jam unum Deum colis, optime: jam es in numero membrorum Christi.

Jam incipe videre etiam illa peccata societatis humanae. Non occidis quemquam, non adulteras etc. jam justus es. Attende cetera, noli superbire. Nihil ne peccas in lingua, non prolaberis in verbum durum, quis illam domat? Sed ecce jam et ipsam frenasti; quamquam quis tantus ut hoc omni modo perficiat?

Sed ecce jam et ipsa frenasti: quid facis de cogitationibus tuis, quid facis de tumultu et caterva rebellantium desideriorum? Non eis das membra? Ita credo et video; sed tamen cogitationes aliquando inclinant et auferunt te plerumque in oratione genibus fixis. Corpus prosternis, collum curvas, confitearis peccata, Deum adoras: video corpus ubi jaceat, quaero ubi volitet animus.

Video membra jacentia: videamus si stat conscientia, videamus si fixa est in eum quem adorat; si non cogitationibus plerumque tamquam aestus maris abripitur, et tempestate tollitur in aliud atque aliud.

Modo si mecum loquereris, et subito averteres te ad servum tuum, et dimitteres me, non dico a quo aliquid petebas, sed cum quo ex aequo loquebaris: non mihi injuriam factam deputarem? Ecce quid facis cotidie Deo [1].

205.—Vix oratio sine distractione. *Jucunda animam servi tui, quoniam ad te, Domine, levavi animam meam* (Ps. 85, 4). Jucunda eam, quia levavi ad te eam. In terra

[1] Enar. in Ps. 140, n. 18.

enim erat et in terra amaritudinem sentiebat: ne in amaritudine contabesceret, ne omnem tuae gratiae suavitatem amitteret, levavi eam ad te: jucunda eam apud te. Solus enim tu es jucunditas, amaritudine plenus est mundus.

Recte certo admonet membra sua, ut sursum cor habeant. Audiant ergo et faciant: levent ad illum quod male est in terra. Ibi enim non putrescit cor, si levetur ad Deum. Frumentum si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares ad superiora. Frumento mutares locum, et cor permittis in terra putrescere? Frumentum levares in superiora, cor leva in caelum.

Et unde, inquis, possum? Qui funes, quae machinae, quae scalae opus sunt? Gradus affectus sunt; iter tuum, voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terra, in caelo es, si Deum diligas. Non enim sic levatur cor, quomodo levatur corpus. Corpus ut levetur, locum mutat: cor ut levetur, voluntatem mutat. Quoniam ad te, Domine, levavi animam meam.

Quia tu, Domine, suavis es ac mitis. Ideo jucunda. Tamquam taedio affectus ex amaritudine terrenorum indulcari voluit, et quaesivit fontem dulcedinis, et in terra non invenit. Quocumque enim se vertebat, scandala, timores, tribulationes, tentationes inveniebat. In quo homine securitas, de quo certum gaudium? Nec de se ipso utique: quanto magis de alio? Aut mali sunt, et necesse est eos pati, et sperare quia mutari possunt: aut boni sunt, et sic eos oportet diligere, ut timeamus, quia possunt mutari, ne mali sint. Ibi malitia eorum facit amaritudinem animae; hic sollicitudo et timor, ne labatur qui bene ambulat. Quocumque ergo se converterit, in terrenis rebus amaritudinem invenit; unde dulcescat non habet, nisi levet se ad Deum.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis. Quid est *mitis?* Portans me, donec perficias me. Vere enim, fratres mei, dicam tamquam homo in hominibus et ex hominibus; ferat quisque cor suum, intueatur sine adulatione, et sine palpatione. Nihil est enim stultius, quam ut se ipsum quisque palpet atque seducat. Attendat ergo et videat quanta aguntur in corde humano, quemadmodum ipsae plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum; et vult se tenere ut stet et quodammodo fugit a se, nec invenit cancellos quibus se includat, aut obices quosdam quibus retineat avolationes suas et vagos quosdam motus, et stet jucundari a Deo suo.

Vix est ut occurrat talis oratio inter multas orationes. Diceret unusquisque sibi contingere et alteri non contingere, nisi inveniremus in Scripturis Dei David orantem quodam in loco et dicentem: *quoniam inveni, Domine, cor meum ut orarem ad te* (II, Reg. VII,). Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, et ille sequi quasi fugitivum, et non posse comprehendere, et clamare ad Deum: *quoniam cor meum dereliquit me* (Ps. 39, 13).

Itaque fratres mei, attendens quod hic ait, suavis es tu et mitis, videor mihi videre ad hoc dixisse mitem Deum, quia patitur ista nostra, et expectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos; et quando illi eam dederimus, accipit grate, et exaudit, nec meminit tantas quas incondite fundimus, et accipit unam quam vix invenimus.

Quis enim est, fratres mei, homo, cum quo si coeperit amicus ejus colloqui et voluerit ille respondere collocutioni ejus, et viderit eum averti a se, et aliud loqui ad

alium, qui hoc ferat? Aut si forte interpelles judicem, et loqueris, dimittas eum et incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium et diversas res cogitantium; omitto et dicere noxias, omitto dicere aliquando perversas et inimicas Deo: ipsas superfluas cogitare injuria est ejus, cum quo loqui coeperas. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur, quando oras, Deo loqueris.

Sed quid? Desperandum est de genere humano, et dicendum jam ad damnationem pertinere omnem hominem, cui subrepserit aliqua cogitatio oranti, et interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, fratres, quae spes remaneat, non video. Porro quia est aliqua spes ad Deum, quia magna est ejus misericordia, dicamus ei: *Jucunda animam servi tui, quoniam ad te, Domine, levavi animam meam.*

Et quomodo eam levavi, quomodo potui? Quomodo tu vires dedisti? Quomodo eam fugientem apprehendere valui; et excidit tibi, quia quotiescumque ante me exstitisti, puta Deum dicere, tanta vana et superflua cogitasti, et vix mihi fixam et stabilem orationem fudisti?

Quia tu suavis es, Domine, ac mitis. Mitis es, tolerans me. Ex aegritudine defluo, cura et stabo: confirma et firmus ero. Donec autem facias, toleras me; quoniam tu suavis es, Domine, et mitis [1].

206.—Quod sit affectuosa, fervens et caritativa. *Auribus infige, Domine, orationem meam* (Ps. 85, 6). Magnus orantis affectus: auribus infige... id est, non exeat de auribus tuis oratio mea, fige illam ibi in auribus tuis. Quomodo parturivit, ut figeret orationem suam in au-

[1] Enar. in Ps. 85, nn. 6, 7.

ribus Dei? Respondeat Deus et dicat nobis: vis figam orationem tuam in auribus meis? Fige in corde tuo legem meam [1].

Dixi Domino, Deus meus es tu (Ps.139, 7). Magna vox orationis movet fiduciam. Numquid illorum non est Deus (ponentium scandala)? Cujus enim non est Deus, qui est verus Deus? Sed tamen proprie eorum est qui eo fruuntur, qui ei serviunt, qui libenter sub ipso sunt. Nam et mali quamvis inviti sub ipso sunt. Illi appellant Deum a quo coronentur; sub illo illi fugiunt a quo damnentur. Et iniquus qui non vult habere Dominum Deum suum, quo fugiet Deum omnium? Bonum est illi ergo, ut convertatur ad Deum omnium, faciatque illum conversione suum: et positus inter tales peccatores, seductores, hypocritas, superbos, dicat ad Deum, quem sui conversione sibi fecit Deum suum: *dixi Domino, Deus meus es tu.*

Percipe auribus, Domine, vocem deprecationis meae. Simplex quidem sententia est, et facilis ad intelligendum: sed tamen delectat forte cogitare, quare non dixerit; percipe auribus deprecationem meam, sed velut evidentius exprimens affectum animi sui, ait: vocem deprecationis meae, vitam deprecationis meae, animam deprecationis meae, non quod sonat in verbis meis, sed unde vivunt verba mea. Ceteri enim strepitus sine anima soni dici possunt, voces non possunt. Vox proprie animatorum est, vivorum est. Quam multi deprecantur Deum, et non sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo! Sonum deprecationis habere possunt, vocem non possunt: quia vita ibi non est. Hujus qui vivebat; quia Deum suum intelligebat, et a quo liberaretur videbat, et a

[1] Enar. in Ps. 85, n. 10.

quibus liberaretur sentiebat, ipsa erat vox deprecationis ejus [1].

Si affectu pio et sincera cordis caritate pulses, ille aperiet qui vidit unde pulses [2].

Psalmus qui modo cantatus est, brevis est numero verborum, magnus pondere sententiarum. Civitas quaedam in isto psalmo cantata et commendata est, cujus cives sumus, in quantum christiani sumus, et unde peregrinamur, quandiu mortales sumus, et ad quam tendimus, per cujus viam, quae omnino quasi dumetis et sentibus interclusa non inveniebatur, rex ipsius civitatis se fecit viam, ut ad civitatem perveniremus.

Ambulantes ergo in Christo et adhuc peregrinantes donec perveniamus, et suspirantes desiderio cujusdam ineffabilis quietis, quae habitat in illa civitate, de qua quiete dictum est hoc nobis esse promissum: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I, Cor. II, 9): ambulantes ergo, sic cantemus, ut desideremus.

Nam qui desiderat, etsi lingua taceat, cantat corde; qui autem non desiderat, quolibet clamore aures hominum feriat, mutus est Deo.

Videte quomodo erant amatores hujus civitatis ardentes, illi ipsi per quos haec dicta sunt, per quos haec nobis commendata sunt, quanto per eos affectu ista cantata sunt. Affectum istum generabat in eis amor civitatis, amorem autem civitatis infuderat Spiritus Dei. *Caritas,* inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* [3].

---

1 Enar. in Ps. 139, n. 10.
2 Enar. in Ps. 93, n. 1.
3 Enar. in Ps. 86, n. 1.

Exaudisti, Domine, vocem orationis meae. Exaudisti autem cum clamarem ad te (Ps. 30, 23). Clamor ad Deum non est voce, sed corde. Multi silentes labiis, corde clamaverunt: multi ore strepentes, corde averso nihil impetrare potuerunt. Si ergo clamas, clama intus, ubi audit Deus. Cum clamaren, inquit, ad te, exaudisti vocem orationis meae [1].

Pater noster qui es in caelis. Ubi vos Deum Patrem habere coepistis. Quae et dicitis in oratione, in cordibus vestris dicite. Sit orantis affectus et erit exaudientis effectus [2].

Multum peregrinata est anima mea (Ps. 119, 6). Ne peregrinationem corporalem intelligeres, animam dixit peregrinari. Corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus. Si amaveris terram, peregrinaris a Deo; si amaveris Deum, ascendis ad Deum. In caritate Dei et proximi exerceamur, ut redeamus ad caritatem.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Verum ut audiatis, fratres carissimi, non poteritis probare quam vera cantetis nisi coeperitis facere quod cantatis. Quantumlibet illud dicam, quomodolibet expenam, qualibuscumque verbis verser, non intrat in cor ejus, in quo non est opus ejus. Incipite agere, et videte quid loquamur. Tunc ad singula verba lacrimae profluunt, tunc psalmus cantatur, et facit cor quod in psalmo cantatur. Quam multi enim sonant voce, et corde muti sunt? Et quam multi tacent labiis et clamant affectu? Quia ad cor hominis aures Dei, sicut aures corporis ad os hominis, sicut cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur et multi in magnis cla-

[1] Enar. II in Ps. 30, serm. 3, n. 10.
[2] Serm. 56, n. 5.

moribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus et dicere: *multum peregrinata est anima mea: cum his qui oderant pacem, eram pacificus* [1].

207. — Fervor in oratione. *Oratio mea praeveniet te* (Ps. 87). Ut autem ista fervescat et exerceatur oratio, quod nobis quantum expediat, nullis, ut opinor, verbis explicari potest, differtur bonum quod in aeternum dabitur, et mala transitura crebrescunt. Ideo sequitur: *ut quid Domine, repulisti orationem meam?* Causa cognoscenda proposita est, non tamquam sine causa hoc faceret Dei culpata sapientia. Ad hoc enim oratio sanctorum dilatione tanti beneficii et tribulationum adversitate quasi repellitur, ut tamquam ignis flatu repercussus inflammetur ardentius [2].

Voce mea ad Dominum clamavi (Ps. 141). Sufficeret, voce mea ad Dominum clamavi; forte non frustra additum est, *mea*. Multi enim clamant ad Dominum, non voce sua, sed voce corporis sui. Homo ergo interior, in quo coepit habitare Christus per fidem (Eph. III, 17), voce sua, non in strepitu labiorum, sed in affectu cordis clamet ad Dominum.

Non ubi homo audit, ibi Deus audit; nisi voce pulmonum et laterum et linguae clames, homo te non audit, cogitatio tua clamor est ad Dominum. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.* Quod dixit, *clamavi,* exposuit cum dixit, *deprecatus sum.* Clamant enim ad Dominum et qui blasphemant.

In superiori versu clamorem posuit, in sequenti clamorem exposuit. Quasi exigeretur, quo clamore clamasti

[1] Enar. in Ps. 119, n. 9.
[2] Enar. in Ps. 87, n. 14.

ad Dominum? Ad Dominum? inquit, deprecatus sum. Clamor meus deprecatio mea: non convicium, non murmur, non blasphemia [1].

208.—*Qui seminat in lacrimis, in gaudio metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, tollentes manipulos suos* (Ps. 125). Audite, si adjuvante Domino, explicare potuero, quemadmodum ad omnes pertineat, *euntes ibant et flebant.*

Ex quo nascimur, imus. Quis enim stat? Quis non ex quo viam intravit, cogitur ambulare? Infans natus est, crescendo ambulat; mors finis est. Inde jam veniendum est, sed cum exultatione. Quis enim non hic plorat in via ista mala, quando ipse infans inde incipit? Est enim vita ista, ut quando gaudetur hic, time ne fallat; quando hic ploratur, roga ut evadas; et transit tribulatio, et venit tribulatio. Et rident homines, et plorant homines; et quod rident homines, plorandum est.

Sed plorat alius damnum suum, plorat alius pressuram suam. Justus unde? Primo de his omnibus: justus enim plorat veraciter plorantes steriliter. Plorat plorantes, plorat ridentes; quia et qui plorant de rebus vanis, inaniter plorant; et qui rident de rebus vanis, malo suo rident. Ille ubique plorat, plus ergo ipse plorat.

Sed venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Vides ergo hominem justum, cum facit opus bonum, hilarem esse? Ita plane hilarescit. *Hilarem enim datorem diligit Deus* (II, Cor. IX, 6).

Quando ergo plorat? Quando bona opera sua orando commendat. Orationes sanctorum voluit commendare psalmus, orationes peregrinantium, orationes in hac via

---

[1] Enar. in Ps. 141, n. 2.

laborantium, orationes amantium, orationes gementium, orationes aeternae patriae suspirantium, donec ea visa satientur qui nunc in maerore sunt constituti. Etenim, fratres mei, quandiu sumus in corpore peregrinamur a Domino. Non desiderat patriam peregrinatio sine lacrima. Si desideras quod non habes, funde lacrimas. Nam unde dicturus es Deo: *posuisti lacrimas meas in conspectu tuo?* (Ps. 55, 9). Unde dicturus es Deo; *factae sunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte?* (Ps. 41, 4) Unde? *Dum dicitur mihi cotidie, ubi est Deus tuus?* Quis justus non habuit istas lacrimas? Qui non habuit, peregrinum se esse non doluit. Qua fronte ad patriam venit, qui non absens suspiravit?

Nonne cotidie nobis dicitur, ubi est Deus tuus? Discite, fratres mei, discite de paucis esse. Bene vivite, ambulate viam Dei, et videte quia auditis, ubi est Deus tuus? Felices eritis, cum hoc audieritis; infelices, si dixeritis.

Quando enim defendimus fidem christianam, et respondetur nobis, ecce praedicatur ubique nomen Christi, quare abundant mala; quid aliud dicitur, nisi ubi est Deus tuus? Qui audit, gemit; quia qui dicit, perit.

Sunt lacrimae piorum, sunt lacrimae sanctorum, quas indicant orationes eorum. Bene operatur, et hilaris est; et plorat ut bene operetur, plorat quia bene operatus est. Plorando exigit bonum opus, plorando commendat bonum opus quod fecit. Crebrae ergo sunt lacrimae justorum, sed in ista via; numquid in patria? Quia venientes venient in exultatione portantes manipulos suos [1].

---

[1] Serm. 31 in Ps. 125, nn. 4-6.

209.—Quod sit oratio caritativa. *Tunc accedens Petrus ad Christum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei* (Mt. XVIII, 21)? Quaesivit utrum sufficeret septies. Respondit illi Dominus: *non solum septies, sed etiam septuagies septies*. Deinde narravit similitudinem valde terribilem: quia *simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui posuit rationem cum servis suis, in quibus invenit debitorem decem millium talentorum* (Ib. 22, 23). Et cum jussisset ut omnia quae habebat, et omnis ejus familia, et ipse venderetur, et debitum solveretur, advolutus genibus domini sui, rogabat eum dilationem, meruit remissionem.

At ille debito liber, sed iniquitatis servus, posteaquam egressus est a facie domini sui, invenit etiam ipse debitorem suum, qui debebat, non decem millia talentorum, quantum ipsius debitum fuit, sed centum denarios; coepit eum suffocatum trahere, et dicere: *redde quod debes*. At ille rogabat conservum, sicut et ipse rogaverat dominum; sed non talem iste invenit conservum, qualem ille dominum. Non solum remittere illi debitum noluit, sed nec dilationem dedit. Contortum rapiebat ad solutionem, jam debito dominico liber.

Displicuit conservis, et renuntiaverunt domino suo quid actum esset; et dominus fecit adesse servum, et dixit ei: *serve nequam, cum mihi tanta deberes, misertus tui, omnia dimisi tibi; nonne ergo et te oportebat miserere conservi tui, sicut et ego tui misertus sum* (Ib. 32, 33)? Et jussit omnia, quae illi dimiserat, exigi.

Ergo hanc similitudinem ad nostram instructionem proposuit, et admonendo perire nos noluit. *Sic,* inquit, *et vobis faciet Pater vester caelestis, si non remiseritis unusquisque vestrum fratri suo ex cordibus vestris* (Ib. 35). Ecce,

fratres, res in aperto est, admonitio utilis, et valde salubris oboedientia debetur, ut quod justum est, impleatur. Quia omnis homo et debitor est Dei, et debitorem habet fratrem suum. Quis est enim qui non sit debitor Dei, nisi in quo nullum potest inveniri peccatum? Quis est autem qui non habeat debitorem fratrem, nisi in quem nemo peccavit? Putasne quisquam in genere humano reperiri potest, qui non et ipse aliquo peccato obstrictus sit fratri suo? Debitor est ergo omnis homo, habens tamen et ipse debitorem. Ideo Deus justus constituit tibi regulam in debitore tuo, quod faciet et ipse cum suo.

Duo sunt enim opera misericordiae, quae nos liberant, quae breviter ipse Dominus posuit in Evangelio: dimittite et dimittetur vobis: date et dabitur vobis (Lc. VI 37). Dimittite et dimittetur vobis, ad ignoscendum pertinet. Quod ait de ignoscendo, et tu vis tibi ignosci quod peccas, et habes alium cui tu possis ignoscere. Rursus quod pertinet ad tribuendum beneficium; petit te mendicus, et tu es Dei mendicus.

Omnes enim quando oramus, mendici Dei sumus: ante januam magni patrisfamilias stamus, immo etiam prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere; et ipsum aliquid ipse Deus est. Quid a te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui dicit: *ego sum panis vivus qui de caelo descendi* (Jo. VI, 51)? Ignosci vobis vultis? Ignoscite, remittite et remittetur vobis. Accipere vultis? Date et dabitur vobis.

Ac per hoc omnes culpas, quae in nos committuntur, parati simus ignoscere, si nobis desiderâmus ignosci. Si enim consideremus peccata nostra, et numeremus quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatione, quid in-

numerabilibus motibus; nescio utrum dormiamus sine talento.

Ergo cotidie petimus, cotidie divinas aures orando pulsamus, cotidie nos prosternimus et dicimus: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quae debita tua? Omnia. Sic ergo et tu debitori tuo. Hanc ergo regulam ponis, hanc condicionem loqueris, hoc pacto et placito quando oras, commemoras ut dicas, dimitte nobis sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Omnia ergo dimitti peccata voluit, quando septuagies septies dixit. Nemo contra se teneat non ignoscendo, ne contra illum teneatur, quando orat. Dicit enim Deus: dimitte et dimittetur tibi; sed ego prior dimisi: dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te, et quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi. Non enim mentitur Veritas, non enim fallit aut fallitur Christus, qui subjecit dicens: sic et vobis faciet Pater vester qui in caelis est. Invenis Patrem, imitare Patrem. Si enim imitari non vis, exheredari disponis. Faciet ergo ita vobis, inquit, Pater vester caelestis, si non remiseritis unusquisque fratribus vestris ex cordibus vestris.

Ne dicas in lingua, ignosco, et corde differas. Supplicium enim ostendit tibi Deus, minando vindictam. Novit Deus ubi dicas. Vocem tuam homo audivit: conscientiam tuam Deus inspicit. Si dicis, dimitto, dimitte. Melius est cum clamas ore, et dimittis in corde, quam blandus ore, crudelis in corde.

Si ista monuerim, fratres mei, ut fratres nostros qui peccaverint, omni modo diligamus, de corde nostro caritatem in eos non dimittamus, et disciplinam, cum opus est, demus; ne per solutionem disciplinae crescat

nequitia, et incipiamus propter Deum accusari, quia recitatum est nobis: *peccantes coram omnibus corripe, ut ceteri timorem habeant* (I, Tim. V, 20).

Certe si quis, quod solum verum est, distinguit tempora, et solvit quaestionem, verum est. Si peccatum in secreto est, in secreto corripe. Si peccatum publicum est et apertum, publice corripe, ut ille emendetur, et ceteri timeant [1].

210.—Aviditatem quidem vestram tantam video, ut semper parati sitis audire verbum Dei; sed duae res sunt, quarum ratio non contemnenda est. Nam et infirmitas corporis nostri consideranda est, et ipsarum rerum quae exponuntur memoria. Interim quae audistis cogitate. Quid dixi? Quae manducastis ruminate. Sic enim eritis munda animalia, et apta epulis Dei.

Fructum autem vestrum in operibus, vestris advertite. Valde enim male digerit is qui bene audit et male operatur, quia Dominus Deus noster non deest pascere. Notum est omnibus, quia de pane quem accepimus, et quem erogamus, reddituri sumus rationem. Optime novit caritas vestra; non enim tacet nobis pagina divina, aut adulatur nos Deus. De isto loco quam liberi simus ad vos, potestis advertere; et si forte ego minus liber sum, vel omnes qui in loco vobis loquuntur, si minus liberi sumus. Certe ipse sermo Dei neminem timet. Nos autem sive timeamus, sive liberi simus, eum cogimur annuntiare, qui neminem timet: hoc vobis non homines, sed Deus praestitit, ut et per timidos liberum audiatis.

Excusationem in judicio Dei non habebitis, nisi vos in bonis operibus exercueritis, et eorum quae audistis,

---

[1] Serm. 83, nn. 1-8.

tamquam pluviae fructum congruum dederitis. Fructus congruus opera bona: fructus congruus sincera dilectio, non solum fratris, sed et inimici.

Supplicem nullum spernas, et cui dare non potes quod petierit, non eum spernas: si potes dare, da; si non potes, affabilem te praesta. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, non habeo. Caritas non de sacello erogatur, quia quidquid dicimus et quidquid diximus, et quidquid dicere potuerimus, vel nos, vel post nos, vel qui ante nos, finem non habent nisi caritatem; quia *finis praecepti caritas est, de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta* (I Tim I, 5).

Interrogate, quando rogatis Deum, corda vestra; videte quomodo transmittatis verbum istum, *dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Non eris orans, nisi istam precem dicas: si aliam dicas, non te exaudit ille, quia non ipsam tibi dictavit Jurisperitus, quem misit. Necesse est ergo, ut et quando verba nostra dicimus in oratione, secundum ipsam dicamus, et quando ipsa verba dicimus, bene intelligamus quod dicimus, quia manifestam illam esse Deus voluit. Si ergo non oraveritis, spem non habebitis: si aliter quam Magister docuit oraveritis, non exaudiemini: aut si in oratione mentiti fueritis, non impetrabitis. Ergo et orandum et verum dicendum est, et sic orandum est, quomodo ille docuit. Velis nolis, cotidie dicturus es: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Vis securus dicere? Fac quod dicis [1].

211.—Quod sit humilis et recta. Oratione tua vis contingere Deum? Humilia te. Iterum quia diximus vis

[1] Enar. I in Ps. 103, serm. I, n. 19.

contingere Deum, humilia te; ne carnaliter accipias, descendens in hypogeam ut ibi roges Deum. Nec hypogeam nec montem quaeras. In corde tuo habe humilitatem, et Deus tibi dabit altitudinem, veniet ad te, et erit in cubiculo tuo [1].

Maledictus omnis homo qui spem suam ponit in homine (Jer. XVII, 5). Ergo nec in te, quia et tu homo es. Si enim spem tuam posueris in alio homine, inordinate humilis eris; si autem spem tuam posueris in te, periculose superbus eris. Quid autem interest? Utrumque perniciosum: nihil horum eligendum. Inordinate humilis, non levatur; periculose superbus praecipitatur.

Ideo dicit Apostolus: *cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (Philip. II, 12). Vis audire quare cum tremore et timore? *Deus est enim qui operatur in vobis* (Ib. 13). Ideo cum timore et tremore; quia quod impetrat humilis, amittit superbus [2].

Ego clamavi quoniam exaudisti me, Deus. Ego libera et valida intentione preces ad te direxi; quoniam ut hanc habere possem, exaudisti me infirmius orantem. *Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.* Non deserat exauditio tua humilitatem meam [3].

Accedite ad Deum et illuminamini. Hoc dixit exhortator et amator ille, qui non solus vult amplecti quod amat, sed dicit quod ipse probavit. Spiritalis enim quidam in corpore Christi, vel ipse etiam Dominus noster Jesus Christus secundum carnem, caput exhortans membra cetera dicit, accedite ad eum et illuminamini. Aut

---

[1] Serm. 45, n. 7.
[2] Serm. 13 in Ps. 2, n. 3.
[3] Enar. in Ps. 16, n. 6.

potius christianus aliquis spiritaleis ad ipsum Dominum nostrum Jesum Christum invitat ut accedamus.

Sed accedamus ad eum et illuminemur; non quomodo ad eum accesserunt judaei, ut tenebrarentur. Accesserunt enim ad illum ut crucifigerent: nos ad eum accedamus, ut corpus et sanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur. Accedite ad eum et illuminamini, ecce gentibus dicitur. Unde accedunt gentes? Fide sectando, corde inhiando, caritate currendo. Pedes tui, caritas tua est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo praecepta dilectionis, Dei et proximi.

Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum: quia et ut curreres ipse hortatus est, et ipse suum lumen aspersit sic ut magnifice et divine se sequi possitis. Et vultus vestri non erubescent. Non erubescet vultus nisi superbi.

Sed dicet al quis, quomodo ad eum accedo? Tantis malis, tantis peccatis oneratus sum, tanta scelera claman de conscientia mea, quomodo audeo accedere ad Deum? Quomodo? Si humilliaveris te per poenitentiam. Sed erubesco, ais, poenitentiam agere. Accede ergo ad eum, et illuminaberis, et vultus tuus non erubescet. Si enim timor erubescendi revocat te a poenitentia, poenitentia autem facit te accedere ad Deum: non vides quia poenam gestas in vultu, quia ideo erubuit vultus tuus, quoniam non accessit ad Deum; ideo non accessit, quia non vult agere poenitentiam? Sicut attestatur propheta: *iste inops clamavit, et Dominus exaudivit eum.* Docet te quomodo exaudiaris. Ideo non exaudiris quia dives es.

Ne forte clamabas, et non exaudiebaris, audi quare. Iste inops clamavit, et Dominus exaudivit eum. Inops clama, et exaudit Dominus. Et quomodo clamabo inops? Ut etsi habes aliquid, non inde praesumas de viribus tuis: ut intelligas te indigentem, ut intelligas te tandiu esse pauperem, quandiu non habes illum qui facit te divitem [1].

Inclina, Domine, aurem, quoniam egenus et inops ego sum. Ergo non inclinat aurem ad divitem: ad inopem et egenum inclinat aurem, id est, ad humilem et ad confitentem, ad indigentem misericordia; non ad saturatum et extollentem se et jactantem quasi nihil ei desit, et dicentem: *Gratias tibi, quia non sum sicut publicanus iste* (Lc. XVIII).

Dives enim Pharisaeus jactabat merita sua: inops Publicanus confitebatur peccata sua.

Nec sic accipiatis, fratres, quod dixi: ad divitem non inclinat aurem suam, tamquam non exaudiat Deus eos qui habent aurum et argentum, et familiam et fundos, si sic forte nati sunt, aut eum locum rerum humanarum tenent; tantum meminerint quod ait Apostolus: *Praecipe divitibus hujus mundi non superbe sapere* (I Tim. VI, 17).

Qui enim non superba sapiunt, in Deo pauperes sunt: et pauperibus atque inopibus et egenis inclinat aurem suam.

Norunt enim spem suam non esse in auro et argento neque in illis rebus quibus ad tempus circumfluere videntur. Sufficit ut divitiae non illos perdant, ut non obsint, sat est; nam prodesse nihil possunt. Plane prodest opus misericordiae et in divite et in paupere: in divite

[1] Enar. II in Ps. 33, serm. 2, nn. 9, 10.

ex voluntate et opere, in paupere ex sola voluntate. Cum ergo talis est contemnens in se quidquid est unde superbus solet inflari, pauper Dei est; inclinat illi aurem suam, novit enim contribulatum cor ejus [1].

212.—*Subditus esto Domino, et obsecra eum* (Ps. 36, 7). Hoc sit vita tua oboedire praeceptis ejus. Hoc est enim subditum illi esse, et obsecrare donec det quod promissit. Perseveret bonum, perseveret et oratio. *Oportet enim semper orare et non deficere* (Lc. XVIII, I).

In quo appares subditus? Faciendo quod praecepit. Sed mercedem nondum accipis, forte quia capere nondum potes. Jam enim ille potest dare, sed tu non potes accipere. Exercere operibus, labora in vinea: finito die pete mercedem: fidelis est qui te adduxit ad vineam. Subditus esto Domino, et obsecra eum [2].

Egressus Jesus de Genezareth, secessit in partes Tyri et Sidonis, et ecce mulier chananaea etc. (Mt XV).

Chananaea ista mulier, quae modo nobis lectione evangelica commendata est, praebet nobis humilitatis exemplum: ab humilitate in alta surgere ostendit. Erat autem, sicut apparet, non de populo Israel, unde patriarchae, unde prophetae, unde parentes Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, unde ipsa Virgo Maria, quae peperit Christum. Non ergo ex isto populo erat haec mulier; sed erat ex gentibus.

Clamabat ergo avida impetrandi beneficii, fortiterque pulsabat; et dissimulabatur ab ea, non ut misericordia negaretur, sed ut desiderium accenderetur, sed, sicut ante dixi, ut humilitas commendaretur. Clamabat

---

1 Enar. in Ps. 85, nn. 2, 3.
2 Enar. I in Ps. 36, serm. I, n. 8.

ergo tamquam Domino non audiente, sed quod facturus erat in silentio disponente. Disciputi rogaverunt pro illa Dominum, et dixerunt: *dimitte illam, quia clamat post nos.* Et ille: *non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.*

Non erat missus Dominus nisi ad oves quae perierant domus Israel. Sed quia et populus quem non cognoverat, serviturus erat, in obauditu auris obauditurus erat, nec de illo tacuit ibi constitutus. Ait enim quodam loco idem Dominus: *Habeo alias oves quae non sunt de hoc ovili; oportet me et has adducere, ut sit unus grex et unus pastor* (Jo. X, 16).

Inde mulier ista erat; ideo non contemnebatur, sed differebatur. Non sum, inquit, missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel. Et illa clamando instabat, perseverabat, pulsabat, tamquam audisset, pete et accipe; quaere et invenies; pulsa et aperietur tibi. Institit, pulsavit. Nam et Dominus quando dixit haec verba, *petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (Mt. VII, 3); supra dixerat, *nolite sanctum dare canibus, neque projeceritis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos* (Ib. 6), id est, post contemptum margaritarum vestrarum etiam molesti sint vobis. Nolite ergo illis projicere quae contemnunt.

Et unde discernimus, tamquam responderent, qui sint porci, qui sint canes? Hoc in ista muliere demonstratum est. Nam illi mulieri instanti respondit hoc: *non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus.* Canis es, una es ex gentibus, idola adoras. Quid autem tam familiare canibus, quam lapides linguere? Non est ergo bonum panem filiorum tollere, et mittere canibus.

Illa si recederet post haec verba, canis accesserat, canis abscesserat; sed pulsando, homo facta est ex cane. Institit enim petendo, et ex ipso veluti convicio humilitatem ostendit, misericordiam impetravit.

Neque enim commota est, aut succensuit, quod canis appellata fuerit petens beneficium, rogans misericordiam; sed ait, *ita Domine:* dixisti me canem, plane canis sum, agnosco nomen meum. Veritas loquitur, sed non ideo a beneficio repellenda sum. Prorsus canis, *sed et canes edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum.* Modicum quodam et exiguum beneficium desidero: non mensam invado, sed micas quaero.

Videte quemadmodum humilitas commendata est. Canem illam Dominus dixerat. Non dixit, non sum; sed dixit, sum. Et Dominus continuo, quia se agnovit canem, *o mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti.* Tu te agnovisti canem, ego jam te agnosco hominem. O mulier, magna est fides tua, petisti, quaesisti, pulsasti, accipe, inveni, aperiatur tibi.

Videte, fratres, quemadmodum in hac muliere quae chananaea erat, id est, quae de gentibus veniebat, et typum, hoc est, figuram Ecclesiae gerebat, maxime humilitas commendata est. Etenim gens Judaea, ut ab Evangelio repelleretur, superbia inflata est, quod legem accipere meruisset, quod de ipsa gente patriarchae processerint, prophetae extiterint, Moysse Dei servus miracula magna, quae audivimus in psalmo, in Aegypto fecerit, per mare rubrum aquis recedentibus populum duxerit, legem acceperit, quam ipsi populo dederit (Ps. 105). Erat unde extolleretur gens Judaea, et per ipsam superbiam factum est, ut Christo nollet humiliari auctori humilitatis, repressori tumoris, medico Deo, qui

propter hoc, cum Deus esset, homo factus est, ut se homo hominem cognosceret.

Magna medicina. Haec medicina si superbiam non curat, quid eam curet nescio. Deus est, et fit homo: seponit divinitatem, id est, quemadmodum sequestrat, hoc est, occultat quod suum erat, apparet quod acceperat. Fit ille homo, cum sit Deus: et non se agnoscit fragilem, non se agnoscit peccatorem, non se agnoscit aegrotum, ut quaerat vel aegrotus medicum; sed quod est periculosius, sanus sibi videtur.

Ergo propter hoc ille populus non accessit, id est, propter superbiam; et dicti sunt ex arbore oleae, hoc est, de illo populo a patriarchis creato, fracti rami naturales, id est, judaei merito steriles spiritu superbiae; et in illa olea insertus est oleaster populus ex gentibus (Rom. XI, 17). Sic dicit Apostolus, quod oleaster insertus sit in olea, rami autem naturales fracti sint. Illi fracti propter superbiam; insertus oleaster propter humilitatem.

Hanc humilitatem ostendebat mulier dicens: ita Domine, canis sum, micas desidero. In hac humilitate etiam Centurio ille placuit; qui cum desideraret puerum suum a Domino curari, et Dominus diceret, *Ego veniam et curabo eum*; *respondit ille: Domine, non sum dignus qui sub tectum meum intres, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus* (Mt. VIII, 7).

Tecto non recipiebat, corde receperat. Quanto humilior, quanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implentur. Quid deinde, quid ad hoc Dominus, posteaquam dixit, non sum dignus qui sub tectum meum intres, ad eos qui sequebantur? *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel,* id est, in illo populo ad quem veni, non inveni tantam fidem, tam

magnam. Unde magnam? De minimo, id est, de humilitate grandem. Non inveni tantam fidem: similem grano sinapis, quanto minutiori, tanto ferventiori. Inserebat ergo jam Dominus oleastrum in oliva. Tunc hoc faciebat, quando dicebat, amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel, id est, tantam cum fide humilitatem.

Discamus aut teneamus humilitatem. Si nondum habemus, discamus; si habemus, non amittamus. Si nondum habemus, habeamus ut inseramur; si jam habemus, teneamus, ne praecidamur [1].

213.—Quia fides non est superborum, sed humilium, dixit ad quosdam, qui sibi justi videbantur, et spernebant ceteros, similitudinem hanc. *Duo homines ascenderunt in templum orare, unus pharisaeus, alter publicanus. Pharisaeus dicebat: gratias tibi, Deus, quia non sum sicut ceteri homines* (Lc. XVIII, 9-11). Diceret saltem sicut multi homines. Quid est sicut ceteri homines, nisi omnes praeter ipsum?

Ego, inquit, justus sum, ceteri peccatores. *Non sum sicut ceteri homines, injusti, raptores, adulteri.* Et ecce tibi ex vicino publicano majoris tumoris occasio. *Sicut,* inquit, *publicanus iste.* Ego, inquit, solus sum, iste de ceteris est. Non sum talis qualis iste, per justitias meas, quibus iniquus non sum. *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quaecumque possideo.*

Quid rogaverit Deum, quaere in verbis ejus, nihil invenies. Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est non Deum rogare, sed se laudare: insuper et roganti insultare. *Publicanus autem de longinquo stabat;* et Deo tamen ipse propinquabat. Cordis con-

[1] Serm. 77 de verb. Mt. XV, nn. 1, 8-15.

scientia removebat, pietas applicabat. Publicanus autem de longinquo stabat, sed Dominus eum de propinquo attendebat. *Excelsus enim Dominus, et humilia respicit* (Ps. 137, 6). Excelsos autem, qualis erat ille pharisaeus, a longe cognoscit. Excelsa quidem Deus a longe cognoscit, sed non ignoscit. Adhuc audi humilitatem publicani. Parum est, quia de longinquo stabat; nec oculos suos ad caelum levabat. Ut aspiceretur, non aspiciebat. Respicere sursum non audebat, premebat conscientia, spes sublevabat. Adhuc audi: *percutiebat pectus suum.* Poenas de seipso exigebat; propterea Dominus confitenti parcebat. Percutiebat pectus suum, dicens: *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Ecce qui rogat. Quid miraris, si Deus ignoscit, quando ipse se agnoscit?

De pharisaeo et publicano accepisti controversiam, audi sententiam; audisti superbum accusatorem, audisti reum humilem; audi nunc judicem. *Amen dico vobis,* Veritas dicit, Deus dicit, judex dicit: *amen dico vobis, descendit justificatus de templo publicanus, magis quam ille pharisaeus.* Dic, Domine, causam. Audi quare: *quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur.* Audisti sententiam, cave causam malam: aliud dico, audisti sententiam, cave superbiam.

Videant nunc, audiant ista nescio qui impie garrientes, et de suis viribus praesumentes; audiant qui dicunt: Deus me hominem fecit, justum ipse me facio [1]. O pejor et detestabilior pharisaeo! Pharisaeus ille superbe quidem justum se dicebat, sed tamen inde ille Deo gratias agit, quia non est sicut ceteri homines; et tamen tamquam superbus et inflatus reprehenditur, non quia

[1] Alludit pelagianis, nomine reticito, qui hanc doctrinam gratiae inimicam tradebant.

Deo gratias agebat, sed quia velut nihil sibi addi cupiebat. Gratias tibi, quia non sum sicut ceteri homines, injusti. Ergo tu justus; ergo nihil rogas; ergo jam plenus es; ergo non est tentatio vita humana super terram; ergo jam plenus es, jam abundas; ergo jam non est quare dicas: *dimitte nobis debita nostra?* Quid est ergo qui impie oppugnat gratiam, si reprehenditur qui superbe agit gratias? Et ecce post dictam controversiam prolatamque sententiam procedunt et parvuli, imo apportantur et offeruntur tangendi. Cui tangendi nisi medico, Salvatori? Cui, nisi illi qui venit quaerere et salvare quod perierat? Unde isti perierant? Audi Apostolum: *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. V, 12).

Veniant ergo parvuli, veniant: audiatur Dominus, *sinite parvulos venire ad me* (Lc. XVIII, 16). Veniant parvuli, languidi ad medicum, veniant perditi ad redemptorem; veniant, nemo prohibeat. In ramo adhuc nihil commiserunt; sed in radice perierunt. Benedicat pusillos cum magnis (Ps. 113, 13); tangat medicus et pusillos et magnos.

Causam parvulorum commendamus majoribus. Loquimini pro tacentibus, orate pro flentibus. Si non frustra estis majores, estote tutores; tuemini eos qui adhuc causam suam agere non possunt. Communis fuit perditio, sit communis inventio; simul perieramus, simul inveniamur in Christo. Dispar est meritum, sed communis est gratia. Nihil habent mali, nisi quod de fonte traxerunt; nihil mali habent, nisi quod de origine traxerunt. Non eos impediant a salute, qui ad id quod traxerunt, multa addiderunt. Qui major est aetate, major est et

iniquitate. Sed gratia Dei delet quod traxisti, delet et quod addidisti (Rom. V, 5): ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia [1].

Ego humiliabam in jejunio animam meam (Ps. 34 13). Est qui exaudiat, ne dubites orare: qui autem exaudit, intus manet. Non in montem aliquem oculos dirigatis, non faciem in stellas aut solem aut lunam levetis. Non tunc exaudiri vos arbitremini, quando super mare oratis: imo detestamini tales orationes. Munda tantum cubiculum cordis: ubi fueris, ubicunque oraveris, intus est qui exaudiat, intus in secreto, quem sinum vocat cum ait, et oratio mea in sinu meo convertetur. Qui te exaudit non est praeter te. Non longe vadas, nec te extollas, ut quasi attingas illum manibus Magis si te extuleris, cades: si te humiliaveris, ipse appropinquavit. Hic Dominus Deus noster Verbum Dei, Verbum caro factum, Filius Patris, Filius Dei Filius hominis: excelsus ut nos faceret, humilis ut nos reficeret, ambulans inter homines, patiens humana, abscondens divina [2].

Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (Jo. IV, 24). Audivimus et manifestum est: foras ieramus, intro missi sumus. O si invenirem, dicebas, montem aliquem altum et solitarium; credo enim quia in alto est Deus, magis me exaudit ex alto. Quia in monte es, propinquum te Deo putas, et cito te exaudiri, quasi de proximo clamantem? In excelsis habitat, sed humilia respicit. Prope est Dominus. Quibus, forte altis? His qui obtriverunt cor. Mira res est: *et in altis habitat, et humilibus propinquat* (Ps. 137, 6): humilia respicit, excelsa autem a longe cognoscit; su-

[1] Serm. 115 in Lc. XVII, nn. 2-4.
[2] In Jo. Tract. X, n. 1.

perbos longe videt, eo illis minus propinquat, quo sibi videntur altiores.

Quaerebas ergo montem? Descende ut attingas. Sed ascendere vis? Ascende: noli montem quaerere.

Ascensiones, inquit, *in corde ejus* (hoc psalmus dicit), *in convalle plorationis* (Ps. 83, 2). Convallis humilitatem habet. Ergo intus age totum. Et si forte quaeris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus te exhibe templum Deo. *Templum enim sanctum est, quod estis vos* (I Cor. III, 17). In templo vis orare, in te ora. Sed prius esto templum Dei, quia ille in templo suo exaudiet orantem [1].

214.—Quod sit recta.—Cavete a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos (Mt. VII, 16-20).

Rectissime sane quaeritur quos fructus nos attendere voluerit, quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quaedam fructibus deputant, quae ad vestitum ovium pertinent et hoc modo a lupis decipiuntur: sicut sunt vel jejunia, vel orationes, vel eleemosynae, quae omnia nisi fieri etiam ab hypocritis possent, non superius diceret, cavete justitiam vestram facere coram hominibus, ut videamini ab eis (Mt. VI, 1). Qua sententia praeposita, ipsa tria exequitur, eleemosynam, orationem, jejunium. Multi enim multa pauperibus, non misericordia sed ambitione largiuntur: et multi orant, vel potius videntur orare, non intuentes Deum, sed hominibus placere cupientes: et multi jejunant, et mirabilem abstinentiam praetendunt eis, quibus ista difficilia

[1] In Jo. Evang. Tract. XV, n. 25.

videntur, et honore digna existimantur; et hujuscemodi dolis eos capiunt, dum aliud ostentant ad decipiendum, aliud exerunt ad depraedandum vel interficiendum eos; qui sub isto vestitu ovino lupos videre non possunt. Hi ergo non sunt fructus de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cum bono animo in veritate fiunt, proprie sunt ovium vestes; cum autem malo in errore, non aliud quam lupos contegunt. Sed non ideo debent oves odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi [1].

Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus (Mt. VI, 5). Neque hic videri ab hominibus nefas est: sed ideo haec agere ut videaris ab hominibus: et superfluo toties eadem dicuntur, cum sit jam una regula custodienda, qua cognitum est, non si haec sciant homines, formidandum esse aut fugiendum: sed si hoc animo fiant, ut fructus in eis expectatur placendi hominibus.

Servat etiam ipse Dominus eadem verba, cum adjungit similiter: *amen dico vobis, perceperunt mercedem suam;* hinc ostendens id se prohibere, ne ea merces appetatur, qua stulti gaudent cum laudantur ab hominibus [2].

215.—Quod sit occulta. *Vos autem cum oratis, introite in cubicula vestra* (Mt. VI, 6). Cubile nostrum est cor nostrum: ibi tumultum patimur malae conscientiae, et ibi requiescimus, quando bona conscientia est. Qui amat cubile cordis sui, aliquid boni ibi agat. Ibi est

---

[1] Serm. Domini in Monte, lib. II, cp. 24, n. 80.
[2] Serm. Dom. in M. lib. II, cp. III, n. 10.

cubile, ubi nos Dominus Jesus Christus jubet orare: intra in cubiculum tuum, et claude ostium tuum. Quid est, claude ostium tuum? Noli talia expectare de Deo, quae forinsecus sunt; sed ea quae intrinsecus sunt. *Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi* (Mt. VI, 6). Quis est qui non claudit ostium? Qui talia petit a Deo pro magno, et ibi constituit omnes preces suas, ut accipiat ea, quae sunt hujus saeculi bona. Patet ostium tuum, turba videt cum oras. Quid est claudere ostium tuum? Ut hoc petas a Deo, quod solus Deus novit quomodo tibi det.

Quid est hoc propter quod claudis ostium, et petis? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (Is. LXIV, 4; I Cor. II, 9). Et forte non ascendit in ipsum cubile tuum, id est, in cor tuum. Sed Deus novit quid tibi daturus est.

Deus ergo qui potest supra quam petimus aut intelligimus facere (Eph. III, 20), occultum gemitum nostrum quaerit, ut in conspectu ejus placeamus, et non nos quasi de justitia nostra ante homines jactemus. Qui enim de justitia sua placere vult hominibus, non eo fine ut homines qui eum vident, Deum laudent, sed ea intentione ut ipse laudetur, non claudit ostium contra strepitum; quia patet ostium in illo strepitu, et non audit Deus quomodo audire vult.

Cubile ergo cor nostrum laboremus mundare, ubi possit nobis bene esse [1].

Vos autem cum oratis, introite in cubicula vestra. Quae sunt ista cubicula nisi ipsa corda, quae in Psalmo etiam significantur, cum dicitur: *quae dicitis in cordibus vestris et in cubiculis vestris compungimini* (Ps. IV, 6)?

[1] Enar. in Ps. 35, n. 5.

Et claudentes ostia orate, ait, *Patrem vestrum in abscondito* (Mt. VI, 6). Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea, quae foris sunt, improbe se immergunt et interiora nostra appetunt.

Foris autem diximus esse omnia temporalia et visibilia, quae per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, et turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritalis dirigatur ad Patrem, quae fit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abscondito. Et Pater, inquit, vester qui videt in abscondito reddet vobis. Et hoc tali clausula terminandum fuit: non enim hoc monet nunc ut oremus, sed quomodo oremus [1].

216.—Certe novimus et nosse debemus, et tenere, quia est os cordis, et est lingua cordis. Ipsum os impletur gaudio, in ipso ore intus oramus Deum, quando labia clausa sunt, et patet conscientia. Silentium est, et clamat pectus; sed auribus cujus? Non hominis, sed Dei. Securus ergo esto, ille audit qui miseretur. Et rursus quando nemo hominum audit mala, si procedunt de ore tuo, noli esse securus, quia ille audit qui damnat. Susanna non audiebatur ab injustis judicibus, tacebat et orabat. Os ejus non audiebatur ab hominibus, cor ejus clamabat ad Deum (Dan. XIII, 35 sq.). Numquid quia vox ejus de ore corporis non processit, propterea exaudiri non meruit? Exaudita est illa; quando oravit, nemo hominum scivit.

Ergo, fratres, quid habeamus in ore interiori, cogitate. Ibi videte ne quid mali dicatis intus, et nihil mali faci-

[1] Serm. Dom. in M. libr. 2, n. 10.

tis foris; non potest enim fieri ab homine foris, nisi quod dictum fuerit intus. Custodi os cordis a malo, et innocens eris, innocens erit lingua corporis tui, innocentes manus erunt; etiam pedes innocentes erunt, oculi innocentes erunt, aures innocentes erunt, omnia membra tua justitiae militabunt, quia imperator justus tenuit cor [1].

Effundam ante Deum precem meam (Ps. 141, 3). Quid est ante Deum? In conspectu ejus, id est, ubi videt.

In isto coetu rerum corporalium vident et homines, vident et animalia: ille autem videt, et ubi homo non videt. Nam cogitationem tuam nullus hominum videt, Deus autem videt. Ibi ergo effunde precem tuam, ubi solus ille videt, qui remunerat. Nām in abscondito te Dominus Jesus Christus jussit orare; sed si agnoscas cubiculum tuum et mundes, ibi rogas Deum. *Cum autem oratis,* inquit, *nolite esse sicut hypocritae, qui stant in plateis et vicis orantes, ut videantur ab hominibus. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, et claude ostium, et deprecare Deum tuum in occulto; et qui videt in occulto, reddet tibi* (Mt. VI, 5, 6).

Si homines reddituri sunt, effunde ante homines precem tuam; si Deus redditurus est, effunde ante eum precem tuam, et claude ostium, ne tentator ingrediatur. Tentator non cessat pulsare ut irrumpat; si clausum invenerit, transit. Ideo Apostolus, quia nostra potestate est ostium claudere, ostium cordis, non parietum, ibi enim et cubiculum; quia ergo in potestate nostra est ostium claudere, *neque detis,* inquit, *locum diabolo* (Eph. IV, 17). Etenim si intravit, et possedit; attende quia tu negligenter clausisti, aut claudere neglexisti.

---

[1] Enar. in Ps. 125, n. 8.

Quid est autem claudere ostium? Hoc ostium tamquam duas habet valvas, cupiditatis et timoris. Aut cupis aliquid terrenum, et hac intrat: aut times aliquid terrenum, et hac intrat. Timoris ergo et cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum.

Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? Cupiendo regnum caelorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem saeculi diabolus intrat; per desiderium vitae aeternae Christus intrat: per timorem poenarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis aeterni Christus intrat.

Ecce martyres clauserunt januam contra diabolum, Christo aperuerunt. Promisit eis multa mundus iste: riserunt, clauserunt valvam cupiditatis adversus diabolum. Minatus est mundus iste bestias, ignes, cruces; non timuerunt, clauserunt timoris valvas contra diabolum. Videamus si aperuerunt eas Christo: *qui confessus me,* inquit, *fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram Patre meo, qui est in caelis* (Mt. X, 32). Amaverunt ergo regnum caelorum, ubi eos confitebitur Christus. Quomodo eos confessurus est? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (Mt. XXV, 34). Confitebitur illos ad dexteram positos.

Videamus si et timoris valvam Christo aperuerunt, quam diabolo clauserunt. Uno eodemque loco Dominus monet hoc, ut diabolo claudatur, et sibi aperiatur. *Nolite,* inquit, *timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.*.Monuit ut timoris valva in faciem diaboli elideretur.

Ergo nihil est timendum? Non ergo aperitur aditus timoris Christo, qui clausus est diabolo? Statim subje-

cit, tamquam dicens, exclusisti illum, aperi mihi; *sed eum timete.* inquit, *qui habet potestatem et animam et corpus occidere in gehenna ignis* (Mt. X, 28-37). Jam ergo si credidisti, et aperuisti Christo, claude contra diabolum. Intus est Christus, ibi habitat; effunde ante eum precem tuam, noli quaerere ut de longe te exaudiat.

Non enim longe est Sapientia Dei, *quae pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. VIII, 1). Ergo intus apud te ante eum effunde precem tuam, ibi sunt aures ejus. *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est* (Ps. 74, 7). Si autem judex est, qualem causam geras in corde tuo, vide [1].

217.—Ex modo, quod sit perseverans et assidua. Etiam cum diu orare vacat, id est cum alia bonarum et necessariarum actionum non impediuntur officia, non est improbum nec inutile.

Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus.

Nam de ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando, et quod prolixius oraverit. Ubi quid aliud quam nobis praebebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor aeternus? [2].

Audivimus nos exhortantem Dominum nostrum caelestem magistrum, et fidelissimum consiliarium, eumdem hortatorem, ut petamus, et datorem cum petimus. Audivimus eum in Evangelio hortantem nos eum petere instanter, et pulsare usque ad similitudinem improbitatis.

---

1 Epist. 130, n. 19.
2 Epist. 130, n. 19.

Proposuit enim nobis exempli gratia: si quis vestrum haberet amicum, a quo nocte peteret tres panes cum ille amicus de via venisset, et quod ei apponeret non haberet: si autem ille respondeat jam se requiescere, et servos suos secum, nec debere illius precibus inquietari, ille autem pulsando instet et perseveret, nec pudore territus abscedat, sed necessitate coactus immineat; surrecturum illum, etsi non propter amicitiam, certe propter illius improbitatem, et daturum ei quantos voluerit (Lc. XI, 5-7).

Quantos autem voluit? Nihil plus ille voluit quam tres. In hac ergo similitudine adjunxit hortationem Dominus, et omnino stimulavit nos petere, quaerere, pulsare, donec accipiamus quod petimus, quod quaerimus, quod pulsamus, usus exemplo a contrario; sicut de illo judice qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur; et tamen cum eum quaedam vidua interpellaret cotidie, taedio victus dedit quod beneficio non potuit invitus (Lc. XVIII, 2).

Dominus autem noster Jesus Christus inter nos petitor, cum Patre dator, non utique nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia; plus vult ille dare, quam nos accipere; plus vult ille misereri, quam nos a miseria liberari; et utique si non liberati fuerimus, nos miseri remanebimus. Nam ille quod nos hortatur, propter nos hortatur.

Evigelemus et hortanti credamus, promittenti obsequamur, et ad dantem gaudeamus. Fortassis enim et nobis aliquando venit amicus de via, et non invenimus quod ei apponeremus, et necessitatem passi sumus, et accepimus et nobis et illi. Fieri non potest, nisi ut aliquis passus fuerit amicum aliquid interrogantem, quod res-

pondere non possit; et tunc se invenit non habere, quando coactus est dare. Venit tibi amicus de via, id est, de vita hujus saeculi, in qua omnes velut peregrini transeunt, nec ullus quasi possessor manet; sed omni homini dicitur; *refectus es, transi, age iter, da venturo locum* (Eccli. XXIX, 35).

Aut forte de via mala, hoc est, de vita mala, fatigatus nescio quis amicus tuus; non inveniens veritatem, qua audita et perfecta beatus fiat, sed lassatus in omni cupiditate et egestate saeculi, venit ad te, tamquam ad christianum, et dicit: redde mihi rationem, fac me christianum. Et interrogat quod forte tu per simplicitatem fidei nesciebas; et non est unde reficias esurientem; et te admonitus invenis indigentem; et cum vis docere, cogeris discere; et dum erubescis eum qui interrogavit, quod quaerebat non in te inveniens, compelleris quaerere, ut merearis invenire.

Et ubi quaeras, nisi in Dominicis libris? Fortassis quod ille interrogavit, in libro positum est, sed obscurum est. Forte dixit hoc Apostolus in Epistola sua. Sic dixit, ut legere possis, intelligere non possis; transire non permitteris. Urget enim interrogator; ipsum Paulum, aut Petrum, aut aliquem prophetam interrogare non sineris. Jam enim requiescit familia ista cum Domino suo, et saeculi hujus ignorantia valida est, hoc est, nox media, et urget amicus esuriens. Tibi forte sufficiebat simplex fides, illi non sufficit. Numquid deserendus est, numquid de domo projiciendus est? Ergo ad ipsum Dominum, ad ipsum cum quo familia requiescit, pulsa orando, pete, insta. Non quomodo amicus ille in similitudine positus, taedio victus surget et dabit. Dare vult, tu pulsans nondum accepisti; pulsa, dare vult. Et quod

dare vult, differt, ut amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum.

Cum autem perveneris ad tres panes, hoc est, ad cibum et intelligentiam Trinitatis, habes et unde vivas, et unde pascas. Nec peregrinum venientem de via reformides, sed excipiendo civem domesticum facias; nec timeas ne finias. Non panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet. Panis est, et panis est, et panis est; Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Aeternus Pater, coaeternus Filius, coaeternus Spiritus sanctus. Incommutabilis Pater, incommutabilis Filius, incommutabilis Spiritus sanctus. Pastor et vitae dator, et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Cibus et panis aeternus et Pater et Filius et Spiritus sanctus. Disce et doce; vive et pasce. Deus qui tibi dat, nihil melius quam se tibi dat. Avare, quid aliud quaerebas? Aut si aliud petas, quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit [1].

218.—*Qui satiat in bonis desiderium tuum:* quasi responderet anima; non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus, aliquid aeternum donet aliquid aeternum concedat: sapientiam suam mihi det, Deum apud Deum, et se Deum Patrem, et Filium et Spiritum sanctum. Mendicus ante januam ejus sto, non dormit quem invoco, det mihi tres panes. Evangelium recordamini: ecce quid sit nosse Dei Litteras; qui legerunt moti sunt. Nam recordamini quemdam inopem venisse ad domum amici, sui et petiisse tres panes. Et ille, inquit, dormiens respondebat ei, et dicebat: *jam requiesco, et pueri mei intus mecum dormiunt.* Ille perseverans in petendo, extorsit taedio quod non posset merito (Luc. XI,

[1] Serm. 105 in Lc. XI, nn. 1-5.

5-8). Deus autem dare vult, sed non dat nisi petenti, ne det non capienti. Non taedio tuo vult excitari. Non enim cum oras tamquam dormienti molestus es: *non dormiet neque dormitabit, qui custodit Israel* [1].

Unde mirum videri potest, quamvis multiloquium prohibuerit, cur nos sic orare adhortatus sit, qui novit quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, ut diceret, *oportet semper orare et non deficere* (Lc. XVIII, 13), viduae cujusdam proposito exemplo: quae de suo adversario cupiens vindicari, judicem iniquum saepe interpellando flexit ad audiendum, non justitia vel misericordia permotum, sed taedio superatum; ut hinc admoneremur quam citius nos exaudiat misericors et justus Dominus Deus sine intermissione orantes, quando illa nec ab iniquo et impio judice potuit assidua interpellatione contemni: et quam libens atque placatus bona desideria impleat eorum, a quibus aliena peccata novit ignosci, si quo cupiebat illa pervenit, quae voluit vindicari.

Ille quoque cui amicus de via venerat (Mt. VI, 8), nec quod ei apponeret habebat, ab amico sibi tres panes cupiens sibi commodari, quibus fortasse ipsa Trinitas unius substantiae figurata est, jam cum suis servis dormientem petitor instantissimus et molestissimus excitavit, ut daret ei quantos volebat, magis et ipse vitando taedium quam benevolentiam cogitando; ut hinc intelligeremus si dare cogitur qui, cum dormiat, a petente excitatur invitus, quanto det benignius, qui nec dormire novit, et dormientes nos excitat ut petamus.

Hinc est illud: *petite et accipietis: quaerite et invenietis: pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit et*

[1] Enar. in Ps. 102, n. 10.

quaerens invenit, et pulsanti aperietur. (Lc. XI, 9 sq.). Qui novit bona data dare filiis suis, petere nos et quaerere et pulsare compellit [1].

Duo autem caeci sedentes juxta viam etc. (Mt. XX, 29-34). Oportebat autem ut tantum clamarent, donec resistentis sibi turbae strepitum vincerent, id est, tam perseveranter animum intenderent orando atque pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, quae tanquam turba obstrepit cogitationi lucem veritatis aeternae videre conanti vel ipsam hominum carnalium turbam studia spiritalia impedientem, fortissima intentione superarent [2].

Attende a contrario similitudinem vel comparationem sicut de illo judice iniquo, hortantem nos ad orationem, quando ait Dominus: Erat quidam judex in civitate, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur. Quaedam vidua interpellabat eum cotidie et dicebat vindica me. Nolebat ille per tempus (Lc. XVIII, 2-4). Illa interpellare non desinebat: et fecit taedio, quod nolebat beneficio.

Sic a contrario nos admonuit ut petamus.

Venit, inquit, ad amicum suum, cui hospes venerat, et coepit pulsare et dicere: hospes mihi venit, commoda mihi tres panes. Respondit ille, jam requiesco, et mecum servi mei requiescunt. Ille non cessat, adstat, instat, pulsat; et tamquam amicus ab amico mendicat. Et quid ait? Dico vobis, quia surgit, et non propter amicitiam ejus, sed propter improbitatem dat illi quantos voluerit (Lc. XVIII, 5-8). Non propter amicitiam, quamvis amicus sit, sed propter improbitatem. Quid est propter impro-

---

[1] Epist. 130 ad Probam, nn. 15, 16.

[2] Quaestion. Evang. libr. I, q. 28.

bitatem? Quia pulsare non destitit: quia et cum esset negatum, non se avertit. Ille qui nolebat dare, quod petebatur fecit, quia ille in petendo non defecit. Quanto magis dabit bonus, qui nos hortatur ut petamus, cui displicit si non petamus? Sed cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata, dulcius obtinentur; cito autem data, vilescunt. Pete, quaere, insta. Petendo et quaerendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare: ut et tu discas magna magne desiderare. Inde *oportet semper orare et non deficere* (Lc. XVIII, 1).

Si ergo, fratres mei, mendicos suos nos fecit Deus, monendo nos et hortando et jubendo ut petamus, quaeramus, pulsemus: attendamus et nos qui a nobis petunt. Petimus nos. A quo petimus, qui petimus, quid petimus? A quo vel qui, vel quid petimus? Petimus a Deo bono, petimus homines mali, petimus autem justitiam unde simus boni.

Hoc ergo petimus quod in aeternum habeamus, quo cum saturati fuerimus, ulterius non egeamus. Sed ut saturemur, esuriamus et sitiamus; esuriendo et sitiendo petamus, quaeramus, pulsemus. *Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam* (Mt. V, 6). Quare beati? Esuriunt et sitiunt, et beati sunt? Aliquando enim egestas beata est? Non inde beati sunt, quia esuriunt et sitiunt; sed quia ipsi saturabuntur. Ibi erit beatitudo in saturitate, non in fame. Sed praecedat saturitatem fames, ne fastidium non perveniant ad panes [1].

219.—Opportunissime dixit Christus: *petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.*

---

[1] Serm. 61 in M. VII, nn. 5-7.

Omnis enim qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur (Mat. VII, 8). Petitio pertinet ad impetrandam sanitatem firmitatemque animi, ut ea quae praecipiuntur, implere possimus; inquisitio autem ad inveniendam veritatem.

Cum enim beata vita actione et cognitione compleatur, actio facultatem virium, contemplatio manifestationem rerum desiderat; horum ergo primum petendum, secundum quaerendum est, ut illud detur, hoc inveniatur; sed cognitio in hac vita, viae prius quam ipsius possessionis est; sed cum quisque veram viam invenerit, perveniet ad ipsam possessionem, quae tamen pulsanti aperitur.

Ut ergo tria ista, id est, petitio, inquisitio, pulsatio manifesta fiant, sub aliquo exemplo ponamus, aliquem infirmis pedibus ambulare non posse: prius ergo sanandus et firmandus est ad ambulandum, et ad hoc pertinet, quod dixit: *petite.* Quid autem prodest quod ambulare jam, vel etiam curre e potest, si per devia itinera erraverit? Secundum est ergo ut inveniat viam quae ducit eo quo vult pervenire; quam cum tenuerit, et pervenerit ad eum ipsum locum, ubi habitare vult, si clausum invenerit, neque ambulare potuisse, neque ambulasse ac pervenisse profuerit, nisi aperiatur; ad hoc ergo pertinet quod dictum est: *pulsate* [1].

Magnam autem spem dedit et dat ille qui promittendo non decipit, ait enim: *omnis qui petit, accipit.* Ergo perseverantia opus est, ut accipiamus quod petimus, et

---

[1] Libro I Retractationum, cp. XIX, n. 9 ait sanctus Doctor: Item quod Dominus ait, *petite et accipietis* etc. operose quidem tria ista quid inter se differant exponendum putavi, sed longe melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur.

Hoc quippe ostendit, ubi eodem verbo cuncta conclusit, dicens, quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?

inveniamus quod quaerimus, et quod pulsamus aperiatur.

Quemadmodum autem egit de volatilibus caeli, et de liliis agri, ne victum nobis vestitumque desperaremus affuturum, ita et hoc loco: *aut quis erit ex vobis,* inquit, *homo, quem si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se.* (Mat. VII, 9-11)?

Quantum ergo sperandum est daturum Deum nobis bona petentibus, nec nos posse decipi, ut accipiamus aliud pro alio, cum ab ipso petimus; quando etiam nos, cum simus mali, novimus id dare quod petitur? Non enim decipimus filios nostros; et qualiacumque bona damus, non de nostro, sed de ipsius damus [1].

220.—Adminicula orationis. Dimitte nobis debita nostra. Dimittantur peccata: dimittantur praeterita, cessent futura. Sed non potes hic vivere sine ipsis: vel minora, vel minuta sint, vel levia sint. Sed ipsa levia et minuta non contemnantur. De minutis guttis flumina implentur. Non contemnantur vel minora. Per angustas rimulas navis insudat aqua, impletur sentina; et si contemnatur sentina, mergitur navis.

Sed non cessatur a nautis, ambulant manus, ambulant ut cotidie sentinae exhauriantur. Quid est ambulent manus? Dent, fac opera bona, ambulent manus tuae. Frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam: si videris nudum, vesti (Is. LVIII, 7).

Fac quantum potes, fac unde potes, fac hilariter, et

[1] Serm. Dom. in M. libr. II, cp. 21, nn. 71-73.

securus mitte orationem. Habebis alas duas, geminas eleemosynas: una eleemosyna est quae fit de corde, quando fratri dimittis peccatum: altera eleemosyna est, quae fit de substantia, quando pauperi panem porrigis. Ambas fac, ne sine una ala remaneat oratio tua [1].

Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris (Mt. VII). Bona sunt, piscis, ovum, panis, frumentum, ipsae divitiae bonae sunt: sed ista omnia bona a bonis et malis haberi possunt, et cum bona sint, bonos tamen facere non possunt.

Est ergo bonum quod faciat bonum: et est bonum unde facias bonum. Bonum quod facit bonum, Deus est. Non enim facit hominem bonum, nisi ille qui semper est bonus. Ergo ut sis bonus, Deum invoca.

Aliud autem bonum est unde facias bonum, id est, quidquid habueris. Aurum est, argentum est; bonum est, non quod te faciat bonum, sed unde facias bonum. Habes aurum, habes argentum; et concupiscis aurum et concupiscis argentum. Et habes, et concupiscis; et plenus es, et sitis. Morbus est, non opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni sunt, et semper sitiunt. Quomodo ergo delectas, qui habes hydropem concupiscentiam? Habes ergo aurum, bonum est; habes, non unde sis bonus, sed unde facias bonum. Quod bonum, inquis, facturus sum de auro? Non audisti psalmum? *Dispersit*, inquit, *dedit pauperibus; justitia ejus manet in saeculum saeculi* (Ps. III, 9).

Hoc est bonum unde bonus es, justitia. Si habes bonum unde sis bonus, fac bonum de bono unde non es bonus. Habes pecuniam, eroga. Erogando pecuniam, auges justitiam. Dispersit enim, distribuit, dedit pau-

[1] Serm. 58 in Mt. n. 10.

peribus; justitia ejus manet in saeculum saeculi. Vide quid minuatur, et quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur justitia. Illud minuitur, quod eras dimissurus, illud minuitur, quod eras relicturus: illud augetur, quod in aeternum es possessurus. Consilium do lucrorum, disce mercari. Laudas enim mercatorem, qui vendit plumbum et acquirit aurum, et non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam et acquirit justitiam?

Magis eroga pecuniam, ut habeas justitiam. A quo enim habebis justitiam, nisi a Deo fonte justitiae? Ergo si vis habere justitiam, esto mendicus Dei, qui te paulo ante ex Evangelio ut peteres, quaereres, pulsares, monebat.

Mendicum suum sciebat, et ecce paterfamilias et magnus dives, divitiarum scilicet spiritualium, hortatur et dicit tibi: pete, quaere, pulsa. Qui petit, accipit, quaerens invenit, pulsanti aperietur (Mt. VII, 7). Hortatur ut petas, negabit quod petis? [1].

221.—Lacrimae efficaciter adjuvant orationem. Verba quae cantavimus, continent professionem nostram, quia oves Dei sumus; nec importune poscimus cum lacrimis ejus misericordiam cujus oves sumus. Diximus enim: *ploremus ante Dominum, qui fecit nos; quoniam ipse est Dominus Deus noster* (Ps. 94, 6). Ne quisquam plorans se exaudiri posse desperet, commemorata est necessitudo quaedam exaudiendi nos Deo. Quoniam ipse est Dominus noster, qui fecit nos.

Ille Deus noster, nos populus pascuae ejus et oves manuum ejus. Pastores homines, vel etiam patresfamilias domini pecorum, oves quas habent, non ipsi fece-

[1] Serm. 61 in Mt. VII, nn. 2-4.

runt; oves quas pascunt, non ipsi creaverunt: noster autem Dominus Deus, quia Deus et creator est, fecit sibi oves quas habeat, et quas pascat; nec alter instituit, quas ipse pascit, nec quas ipse instituit, alter pascit.

Ploremus ergo ante illum. Neque enim in bono sumus, cum in hoc saeculo sumus. Cum enim placebimus Domino in regione vivorum, tunc detergentur lacrimae nostrae; et dicemus ei laudes, qui nos exemit de vinculis mortis, pedes nostros a lapsu, oculos nostros a lacrimis, ut placeamus Domino in regione vivorum, quia difficile est ut ei placeatur in regione mortuorum. Est autem et hic unde illi placeamus, ejus misericordiam in nos deprecando, a peccatis nos, quantum possumus, abstinendo; in quantum autem non possumus, confitendo atque plangendo. Ita in hac vita sumus sperantes aliam vitam, plorantes in spe, imo plorantes in re, gaudentes in spe.

Professi ergo in hoc cantico, quia oves ejus sumus, populus pascuae ejus, oves manuum ejus; audiamus quid ad nos loquatur tamquam oves suas.

Pridem pastoribus loquebatur superiore lectione [1], praesenti autem et hodierna ovibus loquitur. In illis ergo ejus verbis nos cum tremore audiebamus, vos cum securitate; quid ergo in istis verbis hodiernis? Numquid vicissim nos cum securitate, vos cum tremore? Non utique. Primo, quia etsi pastores sumus, pastor non solum quod dicitur ad pastores, cum tremore audit, sed etiam quod dicitur ad oves. Si enim securus audit quod ad oves dicitur, non est illi cura de ovibus. Deinde jam et tunc diximus caritati vestrae, duo quaedam in nobis esse consideranda: unum quod christiani sumus, alterum quod praepositi sumus. Quod ergo praepositi su-

[1] Serm. 46 de Pastoribus, Cf. cp. IX, n. 173 sgs. hujus op.

mus, inter pastores deputamur, si boni simus: quod autem christiani sumus, et nos vobiscum oves sumus. Sive ergo Dominus pastoribus loquatur, sive ovibus, nos omnia cum tremore oportet audire, nec recedat sollicitudo de cordibus nostris, ut ploremus ante Dominum qui fecit nos [1].

Solus fletus erat dulcis mihi in amissione amici mei.

Et nunc, Domine, jam illa transierunt, et tempore lenitum est vulnus meum. Possum ne audire abs te qui veritas es, et admovere aurem cordis mei ori tuo, ut dicas mihi cur fletus sit dulcis miseris? An tu, quamvis ubique adsis, longe abjecisti a te miseriam nostram? Et tu in te manes: nos autem in experimentis volvimur. Et tamen nisi ad aures tuas ploraremus, nihil residui de spe nostra fieret.

Unde igitur suavis fructus de amaritudine vitae carpitur, gemere et flere et suspirare et conqueri? An hoc ibi dulce est quod speramus exaudire te? Recte istud in precibus, quia desiderium perveniendi habent. Numquid in dolore amissae rei et luctu quo tunc operiebar? Neque enim sperabam reviviscere illum, aut hoc petebam lacrimis, sed tantum dolebam et flebam. Miser enim eram, et amiseram gaudium meum. An et fletus res amara est, et prae fastidio rerum quibus prius fruebamur, et tunc ab eis abhorremus, delectat? [2].

222.—Scimus, fratres, quod ad similitudinem Evae, beatum Petrum ostiaria quoque mulier deceperit, et sicut Adam mulier circumscripsit, ita et Apostolum femina circumvenerit. Usitatus enim ad decipiendum se-

---

[1] Serm. 47 in Ezech. nn. 1, 2.
[2] Confes. lib. IV, cp. V.

xus est; fraudis suae vasculum in ostiaria diabolus recognovit. Fideles viros nonnisi per mulierem oppugnare consuevit. Ibi Adam per Evam superat, hic Petrum vincit per ostiariam. Fuit enim, sicut legimus, in paradiso deliciarum diabolus; nec defuit, sicut intelligimus, in praetorio judaeorum. Ibi minabatur Satanas serpens, hic Judas coluber perurgebat. Est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro, quae in Adam fuit, quoniam eadem est et similitudo mandati.

Accepit ergo a Domino uterque mandatum, Adam ne tangeret, Apostolus ne negaret; ille ne lignum scientiae praesumeret, hic ne crucem sapientiae praeteriret. Sed transgrediens uterque praeceptum, uterque deliquit. Gustavit ille quod non licebat, loquitur iste quod non decet; et tamen acilior negatio Petri quam Adae praevaricatio.

Citius enim Apostolo, quam protoplasto subvenitur. Hunc enim Deus ad vesperum requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantem. Adam reus facti nudus erubuit; Petrus conscius dicti, correptus ingemuit. Ille tamquam deprehensus confugit ad latebras, hic tamquam emendatus prorupit ad lacrimas. Ille velut latenti et celanti se a divinitate dicitur: *Adam, ubi es?* (Gen. III, 9). Non quod Adam a conspectu Domini latere potuerit, sed quod peccatrici conscientiae nullus locus certus sit, metuit deprehendi. Respexit Dominus, et apertis oculis, ejus emendavit errorem. Recte oculis emendavit Petrum, quia scriptum est: *oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum* (Ps. 33, 16).

Ergo Petrus prorumpit ad lacrimas, et nihil voce precatur. Invenio enim quod fleverit, non invenio quod dixerit. Lacrimas ejus lego, satisfactionem non lego. Rec-

te plane Petrus flevit et tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari; et quod defendi non potest, ablui potest. Lavant enim lacrimae delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrimae ergo verecundiae pariter consulunt et saluti, nec erubescunt in petendo, et impetrant in rogando. Lacrimae, inquam, tacitae quodam modo preces sunt, veniant non postulant, sed merentur, causam non dicunt, sed misericordiam consequuntur; nisi quod utiliores lacrimarum preces sunt, quam sermonum; quia sermo in precando fallit forte, lacrima omnino non fallit, sermo enim interdum non totum profert negotium, lacrima semper totum prodit affectum. Et ideo Petrus jam non utitur sermone quo fefellerat, quo pecaverat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo usus fuerat ad negandum. Ac per hoc magis vult causam suam flere, quam dicere, et quod voce negaverat, lacrimis confiteri.

Invenio autem et aliud cur tacuerit Petrus, ne tam cita veniae postulatio per impudentiam plus ofenderet, quam impetraret. Solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. In omni igitur culpa ante flendum est quam precandum. Scimus igitur hoc jam exemplo, quemadmodum nostra peccata curemus. Ecce nihil nobis Apostolus nocuit, quod negavit, et plurimum profuit, quod emendavit [1].

---

[1] Serm. 75 de lapsu Petri. Sermo hic tribuitur sancto Ambrosio aliquibus codicibus, aliis autem divo Augustino. Cui ex duobus potius sit tribuendus non satis constat; sed alterutro dignus est, inquit editio qua utor.

APPENDIX AD CAPUT X

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 223-224. *Ars bene orandi, seu breve compendium condicionum orationis.*—225. *Quod sit ad salutem.*—226-228. *Quod sit munda et pura.*—229-231. *Quos sit attenta et vigilans.*—232. *Daemon maximus orationis inimicus.*—233. *Quod sit fervens et caritativa.*—234. *Profunditas orationis.*—235. *Quod sit humilis.*—236-239. *Quod sit occulta et solitaria.*—240-242. *Quod sit assidua et perseverans.*—243 - 245. *Insignia perseverantiae in oratione exempla.*—246. *Alia orationis adminicula.*

223.—Ars bene orandi. David scribit psalmum, hymnos quibus gratias agit Deo, offerens et totum stratagema Deo tribuens. Quocirca incipiens sic dicit: *Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac.* Non in humana sapientia, nec in hominis prudentia, nec in meo consilio, sed in te. Ita nos etiam faciamus, etiamsi per homines a nobis aliquid praeclare geratur, Deo gratias agamus, tam pro iis quae per nos, quam quae per alios nobis evenerunt beneficiis. Si enim ita faciamus, nihil erit grave, nec difficile; quod etiam faciebat David, propemodum dicens: non in verbis mei consiliarii Chusi habebam spem salutis, sed in tuo auxilio. Vide autem cum quanta loquitur affectione, sicut solet facere. Non enim dixit, *Domine Deus;* sed *Domine Deus meus.* Etenim cum omnibus eo opus habebat, seorsum autem ac separatim propter insigne desiderium. Ita etiam Deus hoc ipsum facit in justis, et cum sit omnium Deus, se dicit separatim esse Deum justorum (Exod. III, 6). Deinde addit: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.*

Hoc perpetuo servandum est, ut non solummodo oremus, sed ita oremus, ut etiam exaudiamur. Non enim sufficit oratio ad efficiendum id quod est propositum, nisi ita eam composuerimus, ut Deo accepta sit.

Nam oravit etiam Pharisaeus, et eum nihil juvit (Lc.

XVIII, 10); et Judaei rursus orarunt, sed orantibus ipsis Deus avertebatur (Is. I, 15); neque enim orabant ut orare oportet.

Et ideo jussi sumus afferre orationem, quae maxime possit exaudiri. Hoc etiam ostendit in praecedenti oratione, non simpliciter rogans ut audiatur, sed cum sua attulisset. Quaenam autem erant ea? *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo; laborabo in gemitu meo* (Ps. VI, 7).

Haec enim omnia ad Deum attrahendum satis sunt: luctus, lacrimae, gemitus, resilire ab improbis, ejusque pertimescere et horrere sententiam. Et alibi dixit: *Exaudivit Deus justitiam meam: in tribulatione dilatasti mihi* (Ps. IV, I). Hac enim ratione fit, ut exaudiamur: primum quidem, quod digni simus accipere; deinde quod ex Dei legibus oremus; tertio, quod assidue; quarto, quod nihil petamus eorum quae ad hanc vitam pertinent; quinto, quod petamus ea quae sunt utilia; sexto, quod quae nostra sunt omnia offeramus.

Vide ergo multos qui sic exaudiuntur: Cornelium, ex vita (Act. X, 4); Syrophoenissam, ex assiduitate (Mt. XV, 28); Salomonem, ex modo petitionis: *propterea enim,* inquit, *quod non petiisti pecunias, neque animas inimicorum tuorum* (III Reg. III, II); publicanum ex humilitate (Lc. XVIII, 14); alios ex alia ratione.

Quemadmodum ergo ex his efficitur, ut audiamur, ita etiam alia ratione fit, ut non exaudiantur, licet justi sint qui petant.

Quid enim fuit Paulo justius? Sed quoniam petivit quae erant inutilia, non fuit exauditus. *Pro eo,* inquit, *ter Dominum rogavi, et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea* (2 Cor. XII, 8).

Quid rursum Moyse justius? Sed nec ille exauditus est, Deo dicente: *satis tibi sit* (Deut. III, 26). Quia enim petebat ingredi in terram promissionis, hoc autem erat inutile, non permisit Deus.

Cum his etiam aliud est, quod facit ut non exaudiamur, quando in peccatis perseverantes oramus. Quos etiam de Judaeis dixit Deus Jeremiae: *Ne deprecare pro hoc populo.*

An non vides qui faciunt (Jer. VII, 16)? Ab impietate non defecerunt, et tu offers pro eis preces? Sed te non exaudiam.

Rursus, cuando contra inimicos petimus, non solum non exaudimur, sed etiam irritamus. Est enim oratio medicamentum, sed si nesciamus, quomodo sit adhibendum medicamentum, utilitatem ex eo non capiemus [1].

224.—Et si habeo justitiam, dicet fortasse quispiam, quid opus est oratione, cum et res ipsa ad omnia recte gerenda sufficiat, et qui daturus est, sciat quibusnam opus habemus? Quoniam oratio non est parvum vinculum dilectionis in Deum quae cum eo colloqui nos assuefacit, et ad sapientiae studium nos deducit.

Si enim qui cum aliquo admirabili viro multum versatur, ex ejus consuetudine maximum fructum accipit, quanto magis qui cum Deo perpetuam habet consuetudinem? Sed non probe scimus quodnam sit lucrum orationis, quia nec ei studiose animum adhibemus, nec ea ex Dei legibus utimur. Sed homines quidem aliquos allocuturi, qui sunt nobis superiores, ubi habitum, incessum, amictum, et omnia composuerimus, ita ut oportet alloquimur; ad Deum autem accedentes hiscimus, nos scalpimus atque huc et illuc versamus, negligentes ac socordes sumus; humi genibus flexis, per forum oberramus.

Quod si cum ea qua par est reverentia, et tamquam cum Deo locuturi accederemus, tunc sciremus etiam antequam acceperimus quae petimus, quantum lucri faciamus. Homo enim qui cum Deo loqui didicit, ut decet eum, qui cum Deo loquitur, erit deiceps angelus: ita liberatur anima a vinculis corporis, ita ei ratio in altum tollitur, ita e terris migrat in caelum, ita quae ad vitam hanc pertinent, despicit, ita apud ipsum solium regium sistitur, etiamsi sit pauper, si famulus, si privatus, si indoctus. Non quaerit enim Deus linguae elegantiam, nec verborum compositionem, sed animae pulchritudinem, et si illa quae ipsi placent loquatur, tota re effecta recedit.

Vides quanta facilitas? In hominibus oportet eum, qui

[1] Exposit. in Ps. 7, nn. 3, 4.

aliquem adit, esse dicendi facultate praeditum, et posse blanditiis sibi conciliare omnes asseclas principis, et multa alia excogitare, ut gratus esse possit. Hic autem nullo alio, praeter sola vigilanti mente opus est, et nihil est quod prohibeat quominus prope Deum simus. *Deus enim appropinquans ego sum, et non Deus procul* (Jer. XXIII, 23). Ita ut quod longe absit, id a nobis proficiscatur, ipse enim semper prope est.

Et quid dico nos non opus habere dicendi facultate? Saepenumero ne voce quidem opus habemus. Nam si vel in corde loquutus fueris, et eum ut oportet vocaveris, vel tunc quoque facile annuet. Ita et Moysem audivit, ita et Annam. Non assistit miles qui expellat, non satelles qui opportunitatem tollat; non est qui dicat, non est nunc tempus accedendi, veni postea (I Reg. I, 13); sed quando veneris, stat audiens, etiamsi tempore prandii, etiamsi tempore caenae, etiamsi nocte intempesta, in foro, in via, in cubili, etiamsi intus in judicio coram magistratu fueris, et eum vocaveris, nihil vetat quominus tuam petitionem audiat, si rite vocaveris.

Non potes dicere, vereor accedere et orare, adest inimicus meus; at hoc etiam impedimentum ablatum est, neque enim inimicum tuum attendit, nec tuam interrumpit petitionem; sed semper et assidue eum potes alloqui, et nulla adest difficultas; neque enim opus est genitoribus qui te introducant, non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus aut amicis; sed quando ipse per te ipsum accesseris, tunc maxime te audiet, tunc quando neminem rogaveris.

Non ita ergo per alios placamus orantes, sicut per nos ipsos. Cum enim nostram expetat amicitiam, omnia etiam facit, ut nos ei confidamus: quandiu viderit nos hoc per nos ipsos facientes, tunc maxime annuit. Ita etiam fecit in Chananaea, cum permaneret in petendo, quod petebatur, protinus dedit (Mt. XV, 22). Etsi enim visus est parum differre, non hoc fecit ut mora afferretur mulierculae, sed ut eam magis coronaret, et ejus assiduitatem magis sibi familiarem redderet.

Meditemur ergo nos quoque Deum supplices adire, discamus quomodo ea sit facienda supplicatio. Non est eundum

in museum studiorum, non sunt consummendae pecuniae, nec sunt conducendi paedagogi, rethores et sophistae; neque multum temporis consummendum est, ut hanc dicendi artem discas; sed solum voluisse sufficit, et ars perfecta evasit. Nec pro te solum poteris dicere in eo judicio, sed etiam pro multis alii..

Et quisnam est scopus, quodnam institutum artis hujus? Modus precationis.

Sobria mente, animo contrito, cum fontibus lacrimarum ad eum accedeie, nihil quod ad hanc vitam pertineat petere, futura concupiscere, pro spiritualibus supplicare, inimicis non male precari, accéptam injuriam memoria non tenere, omnes perturbationes ex animo expellere, conterentem cor ita adire, animo deprimi, mansuetudinem magnam exercere; et linquam ad bene loquendum convertere, in nullo pravo opere versari, nihil habere commune cum communi orbis terrarum hoste, cum diabolo, inquam.

In eum enim qui pro aliis cum rege loquitur, et cum ejus inimicis communicat, externae etiam leges animadvertunt. Et tu ergo si vis et pro te et pro aliis dicere, fac ut hac in re maxime te recte geras, ut nihil commune habeas cum communi hoste orbis terrarum. Ita enim fiet ut sis justus; et cum fueris justus, audieris.

In tribulatione dilatasti me: dicit quonam modo exaudivit eum Dominus. Non in pecuniis, sed in tranquillitate quae in medio afflictionis exorta est. *Miserere mei et exaudi orationem meam.* Meministi superius justitiae, hic miserationis et misericordiae: et quam haec habent consequentiam? Multam et prioribus admodum connexam. Nam etiamsi innumera recte fecerimus, miserationibus et clementia audimur. Etiamsi ad ipsum virtutis fastigium pervenerimus, servamur a misericordia. Hinc discimus, cum justitia mente quoque contrita opus esse. Etenim licet sit peccator, si cum humilitate oraverit, quae est pars virtutis, magna poterit efficere; et licet sit justus, si cum arrogantia accesserit, a bonis omnibus excidet. Utriusque exempla nos docuerunt publicanus et pharisaeus (Lc. XVIII).

Oportet itaque scire etiam modum orandi. Quis autem orandi modus? Disce a publicano: nec te pudeat eo uti

magistro, qui hac in re adeo se praeclare gessit, ut solis verbis universum effecerit.

Quia enim erat mens in eo recte parata, suffecit vel verbum unum ad caelum ei aperiendum. Quomodo autem erat parata? Seipsum miserum clamabat, pectus tundebat, ne caelum quidem aspicere audebat.

Si tu quoque ita oraveris, vel penna leviorem reddes orationem.

Si enim peccator ab oratione justus factus est, considera cujusmodi erit justus si talem orationem offerre didicerit. Et ideo ne hic quidem seipsum absolute posuit, sed orationem suam.

Ita etiam exauditus est Cornelius, quoniam ejus patrocinio usus est. Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt coram Deo (Act. X, 4).

Et merito, opera enim sunt quae exaudiuntur, et recte facta; non absolute autem orationes, sed orationes quae fiunt ex lege Dei.

Et quaenam sunt eae? Quae ea petunt quae Deum dare convenit, quae ab ipso non postulant quae sunt ejus legibus repugnantia.

Ecquis est, inquit, adeo audax, ut ea velit Deum facere, quae repugnant ejus legibus?

Qui adversus inimicos eum rogat: hoc enim est praeter legem quae ab eo lata est. Ipse enim dixit: *dimittite debitoribus vestris* (Mt. VI, 12). Tu autem eum ipsum, qui te jubet condonare, adversus inimicos invocas? Ecquid hac amentia fuerit deterius?

Oportet eum qui orat habere habitum, mentem et sensum supplicis: cur aliam ergo personam induis, nempe accusatoris? Quomodo enim poteris veniam tuorum peccatorum assequi, quando rogas ut Deus puniat peccata aliorum?

Sit itaque oratio mansueta, placida, jucunda et molli vultu praedita.

Talis est quae cum lenitate fit, nec adversus inimicos: quemadmodum contraria, ebriae et deliranti cuipiam mulieri, et instar apri efferatae, est similis.

Quocirca ad caelum ei non datur aditus. Non enim est ejusmodi ea quae fit cum mansuetudine: sed habet aliquid

canorum et lene, dignumque regiis auribus, suave, concinnum, numerosum.

Quamobrem non expellitur e theatro, sed corona redimita recedit; etenim habet auream citharam, vestem auream. Qua de causa delectat etiam judicem habitu, aspectu et voce. Propterea nullus eam exturbat a caelestibus aulis. Universum enim illud theatrum incredibili laetitia afficit.

Haec est digna caelis precatio: haec est lingua angelorum, quando nihil acerbum, jucunda autem omnia loquitur; quando pro iis qui injuriam et damnum inferunt, venit supplicans, tunc adstant etiam angeli magno audientes cum silentio, et postquam loqui desierit, applaudere, laudare, admirari non cessant.

Talem nos quoque afferamus orationem, et omnino exaudiemur. Et quando ad Deum accedimus, ne esse existimemus vulgare theatrum, sed ex universo orbe terrarum, vel potius ex supernis populis caelestibus collectum: et Regem in medio sedere, precationis nostrae audiendae cupidum.

At faciamus ut res sit comparata ad demonstrationem. Nullus sit citharaedus, nullus liricen, qui ita se exerceat scenam ingressurus, timens ne quid insuave et inconcinnum canat, ut nos ingressuri theatrum angelorum.

Plectrum autem sit nobis lingua, quae nihil injucundum, sed numerosum et modulatum dicat, cum ea qua par est cogitatione; et ad Deum accedentes, rogantes et orantes, pro inimicis fides pulsemus: ita enim pro nobis quoque ipsis exaudiemur

Haec vox daemones pudore afficit, haec dat nobis liberam loquendi potestatem: haec pudore afficit profligatque diabolum. Neque enim daemon ita eum metuit, qui eum expellit et ejicit ex alio homine, ut hominem qui iram vincit, et animo imperat; nam hoc ipsum quoque est saevus daemon, et irati potius quam qui a daemone vexantur, miseri dicendi sunt. A daemone enim vexari, non immittit in gehennam: irasci autem, et acceptae injuriae meminisse, expellit ab ipso regno caelorum.

Si orationem ita temperavimus, poterimus nos quoque Deo fidenter dicere: *exaudi orationem meam.* Quare non solum te ipsum juvabis, et promovebis tua supplicatione, sed

Deum etiam audientem delectabis, ut qui ejus praeceptis aliquid dignum petas; quocirca etiam facile annuet. Hoc illa adoptione dignum est, hoc illum maxime characterem ostendit. *Estote,* inquit, *misericordes, sicut et Pater vester qui est in caelis* (Lc. VI, 36), et rursus, orate pro iis qui vobis insultant, ut sitis similes Patris vestri, qui est in caelis (Mt. V, 44). Quid ergo potest cum hac oratione conferri? Haec non angelis, nec archangelis, sed ipsi Regi facit similem. Qui autem regi, quantum licet, fuerit similis, considera quanta utetur fiducia et loquendi libertate in orationibus [1].

225.—Quod sit ad salutem. *Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.* Postquam dixit se eum fecisse admirabilem, insignem, clarum, conspicuum, eum qui ipsi Deo addictus est: scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, non in his subsistit, sed dicit etiam aliud genus felicitatis. Quodnam autem hoc est? Deum habere perpetuo adjutorem, auxiliatorem, et ubique praesentem. Non enim hoc semel aut bis, sed perpetuo, si ipsum invocemus. Et vide rursus hic etiam celeritatem. Quemadmodum enim dixit superius, *cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae,* ita etiam hic, *cum clamavero ad eum.*

Quomodo ergo non audiuntur multi? Quoniam petunt inutilia. Hic enim melius est non fuisse exauditum, quam exauditum fuisse. Quare etiamsi exaudiamur, non propterea laetemur; sed et quando non exaudimur, ideo Deum glorificemus.

Vel inutilia petentes non exaudimur, et cum non accepimus, lucramur; vel negligenter petimus, et in dono differendo Deus, ut nos illi assideamus, solertem init rationem: et hoc etiam non est exiguum lucrum.

Si enim vos, inquit, nostis dare bona data filiis vestris (Mt. VII, 11), multo magis Deus noster, qui scit dare, et quando dare, et quid dare oporteat.

Nam Paulus etiam petivit et non accepit; petebat enim aliquid inutile: item Moyses, nec illi quidem Deus annuit.

---

1 Exposit. in Ps. 4, nn. 2-4.

Ne ergo desistamus, quando non exaudimur, nec tristitia afficiamur et torpeamus, sed assistentes et petentes permaneamus [1].

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet eis a Patre meo qui in caelis est. *Ubi enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Mt. XVIII, 19, 20). Vides quomodo solvat inimicitias, simultates tollat, et mutuo jungat ex bonis per caritatem partis. Nam magna hic concordiae praemia statuit, siquidem ii, qui mutuo inter se consentiunt, a Patre impetrant quod petunt, et Christum in medio habent.

An nusquam duo mutuo consentientes sunt? Multis in locis utique, imo forte ubique. Quomodo igitur non omnia impetrant? Quia multae sunt causae non impetrandi.

Nam saepe illa petunt, quae concedere non expedit. Ecquid miraris, si alii non impetrent, quando Paulus etiam id passus est, cum audivit: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (2, Cor. XII, 9)?

Aut illi qui petunt non digni sunt qui exaudiantur, nec ex se afferunt ea quae competerent; ipse vero apostolorum similes requirit: ideo ait, *si duo ex vobis,* virtute praeditis, qui evangelicam vitam exhibetis.

Aut contra laedentes se precantur.

Aut sine illa poenitentia peccantes, misericordiam petunt, quae tamen non impetrare potest, non modo illis precantibus, sed etiam alio ex iis qui apud Deum fiduciam habent pro ipsis postulante· quemadmodum Jeremias, cum pro Judaeis pracaretur, audivit: *Noli orare pro populo hoc, quia non te exaudiam* (Jer. II, 14).

Si vero cuncta adsint, et utilia petas, quodque penes te est, afferas, vitam ducas apostolicam, concordiam et caritem erga proximum serves, postulata consequeris: benignus quippe est Dominus [2].

226.—Quod oratio sit munda et pura. *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae* (Ps. 4, 2). Non haec dicit

[1] Ib. n. 7.
[2] In Mt. homil. 60, al. 61, n. 2.

propheta, ut solum intelligamus eum fuisse exauditum; sed ut discamus quo modo ipsi quoque, Deum invocantes, cito poterimus exaudiri, et ante finem orationis postulatum consequi. Non dixit enim postquam ego invocavi, exaudivit me, sed *cum invocarem*. Nam ipsius quoque Dei est ejusmodi promissio dum alicubi dicit ei qui invocat: *te adhuc loquente dicam, ecce adsum* (Is. 58, 9). Non solet enim Deo persuadere verborum multitudo, sed pura anima, et bonorum operum ostensio. Eis itaque qui improbe quidem vivunt, verborum autem prolixitate se eum placare existimant, vide quid dicat: *quando multiplicabitis orationem, non exaudiam vos. Si extenderitis manus, avertam oculos meos a vobis* (Is. I, 15).

Ante alia itaque omnia oportet eum qui precatur, habere fiduciam, et postulatum omnino consequetur. Et ideo non dixit propheta, exaudivit me, sed justitiam meam, suam in Deum fiduciam ostendens, et se cum ea semper ad Deum accedere.

Nec vero putet quispiam eum, dum haec dicit, se jactare. Non enim haec dicit ut se extollat, sed ut doctrinam quamdam et admonitionem communem valde utilem afferat. Ne dicat enim quispiam, ille fuit exauditus, quoniam erat David; ego vero non exaudiar, quoniam sum pusillus et abjectus: ostendit Deum nec ullum audire quomodocumque, nec te non audire temere et nulla ductum ratione, sed semper res et facta exacte contemplari. Quae si habueris, et eorum possis uti patrocinio, omnino exaudieris. Quemadmodum si non habueris, nec si David quidem fueris, poteris Deum placare [1].

In ecclesia videmus hunc morem apud multos vigere, qui mundis vestibus intrare student, itemque lotis manibus; ut vero animam puram Deo sistant, nihil curant. Haec porro dico, non quod prohibeam manus vel os lavare, sed quod velim ita lavari ut par est, non aqua solum, sed virtutibus.

Nam sordes oris sunt maledicta, convicium, blasphemia, verba iracundiae plena, vel obscoena, ridicula, scurrilia. Si ergo tibi conscius sis nihil tale dixisse te, neque his sordibus inquinari, cum fiducia accede; sin millies has admisisti ma-

[1] Exposit. in Ps. 4, n. 1.

culas, cur frustra linguam abluis, dum perniciosas et noxias sordes in illa circumfers?

Nam dic mihi, si fimum et lutum prae manibus haberes, an auderes orare? Nequaquam. Attamen nihil hinc damni; illud autem perniciosum est.

Cur ergo in rebus indifferentibus pius, in prohibitis ita negligens es? Quid ergo, inquies, non precari oportet? Oportet quidem, sed non sordibus maculatum, non tanto coeno onustum.

Quid si casu lapsus fuero? Purga te ipsum. Quomodo? Luge, geme, eleemosynam eroga, purga te apud eum quem contumelia affecisti, reconcilia te illi, absterge linguam, ne gravius Deum irrites.

Nam si quis sordatis stercore manibus pedes tuos supplicans tangeret, non modo illum non audires, sed pede impeteres: quomodo audes sic Deum adire?

Nam lingua precantium est manus, ac per eam Dei genua apprehendimus. Ne itaque illam commacules, ne tibi dicat ille, *si multiplicaveris deprecationem, non exaudiam* (Is. I, 15). *Nam in manu linguae vita et mors est* (Prov. XVIII, 21). Magis igitur quam pupillam oculi linguam tuam custodias. Regius quidam equus est lingua. Si ergo illi frenum immiseris, et concinne ire docueris, rex in illa sedebit, et quiesces; sin infrenem fieri et jactari permiseris, diaboli et daemonum vehiculum erit.

Ne linguam ergo deturpes, nam quomodo pro te precabitur, cum fiduciam amiseris? Sed orna illam modestia, humilitate, fac dignam Deo, qui per illam rogatur, illam modestia, humilitate, fac dignam Deo, qui per illam rogatur, illam reple benedictione et eleemosyna. Nam verbis etiam potest eleemosyna erogari: melior est enim sermo, quam donum; et responde pauperi pacifica in mansuetudine (Eccli. XVIII, 16; IV, 8). Totum vero tempus reliquum divinarum enarratione legum exorna. *Omnis enarratio tua sit in lege Altissimi* (Eccli. IX, 23).

Ita nos adorantes ad Regem accedamus, et ad genua ejus procidamus, non corpore tantum sed etiam mente. Cogitemus quem adeamus, et pro quibus, et quid volentes efficere. Deum adimus, quem seraphim videntes, vultus aver-

tunt, non ferentes fulgorem; quem videns terra contremiscit. Deum adimus, qui lucem habitat inaccessibilem. Adimus, ut a gehenna liberemur, ut remissionem peccatorum impetremus, ut ab illo intolerabili supplicio liberemur, ut caelum et ibi reposita bona consequamur [1].

227.—Vide hanc aliam virtutem seu qualitatem orationis. Non enim rogat ideo exaudiri, quod magno et vehementi studio oret, sed etiam ex eo quod talem offerat orationem, ut digna sit oculis illis, semper vigilantibus. Quaenam autem ea est? Cum quis non male precatur inimicis, cum non orat pro divitiis et facultatibus, cum non pro potentia et gloria, neque pro ulla re fluxa et caduca; sed pro illis inmortalibus, quae numquam intereunt. *Quaerite enim,* inquit, *regnum Dei,* et *haec omnia adjicientur vobis* (Mt. VI, 33). Cum clamavero ad te. Vides quomodo vult nos quoque cum magno studio et alacritate animi eum vocare? Etenim diabolus tunc maxime insidiatur. Quia enim scit maxima arma esse preces, et nos licet simus peccatores infamiaque et ignominia notati, si tamen perfecte et Dei legibus diligenter servatis, oremus, magna efficere; tunc nos conatur impellere in socordiam, et dimovere nostram cogitationem, ut faciat nos absque ullo fructu recedere ab oratione.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum (Ps. 140). Hic rogat ut sit ejus oratio ut illud sacrificium, quod nulla polluebatur offerentis macula, sicut illud incensum sanctum et purum.

Rogando autem docet nos ut orationes nostrae sint purae et odoriferae. Talis enim est justitia, quemadmodum peccatum est foetidum.

Quemadmodum ergo suffitus per se est bonus et bene olens, tunc autem maxime bonum odorem emittit, quando igni accesserit; ita etiam oratio vel per se quidem bona est: est autem melior et fragantior, quando affertur cum ardenti et ferventi animo, quando anima efficitur thuribulum, et ignem vehementem accendit

[1] In Mt. homil. 51, a. 52, n. 5.

Neque enim imponebatur incensum aut suffitus, nisi esset prius accensa craticula, aut nisi arderent carbones. Hoc ipsum fac tu quoque in mente tua: accende prius ipsam studio et animi alacritate, et tunc impone orationem.

Precatur ergo ut oratio quidem sua fiat sicut incensum, elevatio autem manuum sicut sacrificium vespertinum. Sunt enim ambo accepta.

Quomodo autem hoc fiet? Si utraque sint munda, si utraque nulli sint reprehensioni vitiove obnoxia, et lingua et manus, hae quidem ab avaritia et rapina expurgatae, illa vero a malis verbi libera.

Quemadmodum enim oportet thuribulum nihil habere immundum, sed solum ignem et suffitum; ita etiam linguam nullum oportet verbum proferre, quod sit ulla macula aut labe respersum, sed sanctitatem et laudem: ita etiam oportet manus esse thuribulum. Sit ergo os tuum thuribulum: vide autem ne id fimo impleas. Tales enim sunt qui loquuntur verba turpia et immunda.

Sed qui sibi vult manuum in oratione elevatio? Quoniam multis sceleribus inserviunt, propter hoc ipsum eas jubemur tendere, ut orationis ministerium sit eis nequitiae vinculum, et ab improbitate liberatio; ut quando es rapturus, vel in bona aliena invasurus, aut alium verberaturus, in memoriam revocans fore ut eas ad Deum mittas te defensuras, et illud spirituale sacrificium per eas offeras, ne eas ignominia et pudore afficias.

Purga ergo eas eleemosyna, clementia, subveniendo iis qui indigent, et ita eas Deo expandito ad orationem. Si enim non permittis ut eas tollantur illotae ad orationem, multo magis non aequum est ut eas peccatis inquines. Si quod minus es, vereris, multo magis pertimesce quod majus est. Illotis enim orare manibus non est adeo absurdum; sed innumerabilibus peccatorum sordibus inquinatas offerre, hoc iram affert maximam.

Hoc ipsum et in ore et in lingua versemus, et ea sceleri invia conservantes, ita offeramus orationem. Si quis enim habens vas aureum, eo ad vilem usum uti numquam in animum induxerit propter pretium materiae; multo magis cum auro et margaritis habeamus ora longe pretiosiora, non par

est ut ea polluamus verbis turpibus et impudicis, maledictisque et contumeliis. Non in altari aeneo nec aureo offers suffitum, sed in eo quod est pretiosius, nempe in templo spirituali. Illi enim est inanima materia, in te autem Deus habitat, et es membrum et corpus Christi.

Pone, Domine, custodiam ori meo. Cum rogasset Dominum ut ejus audiretur oratio, et ut fieret accepta, vide quodnam primum affert postulatum, et quamnam supplicationem. Non dixit enim, da mihi pecunias, da mihi honores, qui sunt apud homines, nihil horum; sed haec omnia sinens humi jacere, ea petit quae a Deo dari digna sunt.

Quid igitur, non oportet petere sensibilia? Oportet quidem, sed moderate, quemadmodum Jacob dicens: *si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, et vestem ad induendum* (Gen. XXVIII, 20); quemadmodum Christus jussit orare nos, dicentes: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie* (Mt. VI, 11): ante omnia vero spiritualia. Quod ipse quoque facit, dicens: *pone, Domine custodiam ori meo* [1].

228.—*Cum extenderitis manus vestras ad me, avertam oculos meos a vobis: et si multiplicaveritis deprecationem, non exaudiam* (Is. I, 15). Inde liquet nullam esse orationis utilitatem, quantumlibet longa sit, quando is qui precatur, in peccatis perseverat. Nihil enim virtuti par est, necnon voci quae per opera comprobatur [2].

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum (Ps. 141). Hinc ostendit non oportere homines solum confidere orationi, inertes nempe et dormientes, sed oportere etiam sua conferre. Quid autem hic ex se praebet? Non oves, boves et pecunias, sed morum moderationem, et quod mirandum in modum eorum fugiat improbitatem [3].

Educes de tribulatione animam meam. Et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos. Non quoniam ego sum dignus, sed propter tuam clementiam libera me ab iis, qui in me bellum gerunt, libera me ab iis, qui mihi insidiantur, da ut ab afflictione aliquantum respirem.

---

[1] Exposit. in Ps. 140, nn. 2-4.
[2] In Is. cp. I, n. 5.
[3] Exposit. in Ps. 140, n. 8.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum. Vide hic rursus adjectam causam. Neque enim possumus absolute nostra postulata consequi, sed oportet nos ita praeparare, ut simus digni qui postulata consequamur, et quae nostra sunt conferre, et ita accedere. Non sufficit enim sola natura orationis; nam judaei quoque orabant, et audiebant, *si multiplicaveritis preces, non exaudiam vos.* Et quid miraris si judaei non exaudiebantur, cum etiam Jeremias pro eis orans reprehendatur, et semel ac bis audiat: *ne ora pro hoc populo, quoniam non exaudiam te* (Jer. VII, 16)? Haec ergo cum sciamus, non solum oramus, sed cum precibus nos quoque ita comparemus, ut simus digni qui accipiamus, ut et praesentia et futura bona consequamur [1].

Quid est invocare Deum in veritate, ex corde, nec ex ore tantum? Cum alacritate ex animo sincero; ut de unguentis dicitur: sincerum est, nihil adulterinum habet, sic et illic. Qui vere ipsum invocat et precatur, perseverat semper, nec desinit donec accipiat: qui vero perfunctorie agit, licet sic legem impleat, non invocat in veritate. Quisquis sis, ne dicas tantum, peccator sum; sed cura, ut ab hac existimatione te liberes; ne dicas tantum, sed et doleas. Si doles, operam adhibes; si non operam adhibes, non doles; si non doles, irrides.

Quis dicens, aegroto, non omnia agit ut sanetur? Magnum telum est oratio. *Si vos,* inquit, *nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester?* (Lc. XI, 13). Cur non vis accedere? Te amat, plus potest quam omnes, et vult et potest; quid impedit? Nihil. Ergo cum fide accedamus: accedamus dona offerentes quae vult, injuriarum oblivionem, benignitatem, mansuetudinem.

Etsi peccator sis, cum fiducia ab ipso remissionem peccatorum petes, si possis ostendere hoc ipsum a te factum esse; si vero justus sis, nec injuriarum oblivionem habeas, nihil tibi prodest. Non potest qui proximo dimisit, non plenam veniam consequi; sine ulla enim comparatione clementior nobis est Deus, hoc cuivis palam est. Itaque animam purgemus ab injuriarum memoria. Sufficit hoc nobis, ut exaudiamur, ac vigilanter et cum perseverantia precemur, ut

[1] Exposit. in Ps. 142, n. 6.

copiose ejus clementia fruentes, promissa assequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi [1].

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Et in conspectu angelorum psallam tibi. Alius interpres dixit: *in conspectu deorum cantabo tibi.* Si ergo dicat angelos qui sunt in caelis, est id quod dicitur ejusmodi: conabor canere cum angelis, et cum eis contendere, et choreas ducere cum supernis potestatibus. Etsi enim natura differam, animi tamen alacritate, ut cum eis stare possim, decertabo.

Sin autem accipiamus quod dictum est ex aliorum interpretatione, videtur mihi dicere de sacerdotibus, id quod de diis dicitur. Solet enim Scriptura sacerdotem vocare et angelum et Deum: nunc quidem dicens, *diis non maledices, et principi populi tui non maledices* (Ex. XXII, 28); nunc autem, *labia sacerdotum custodient judicium, et ex ore ejus exquirent justitiam, quoniam est angelus Domini omnipotentis* (Malach. II, 7).

Si liceat ergo hoc ita accipere, illud oportet intelligere: cum sacerdotibus, ipsis inchoantibus et praecedentibus, cum eo quo par est ordine sequar, et canam tibi; *quoniam audisti omnia verba oris mei.* Vidisti magnam gratiarum actionem? Vidisti summam attentionem? Non quemadmodum nonnulli molles et dissoluti, qui antequam quidem accipiant, sunt vehementes; postquam autem acceperint languescunt; sed hic quidem et antequam acceperit urget, et postquam accepit, perstat agens assidue gratias.

Hinc autem ostenditur eum puras et optimas preces fudisse, ex eo quod a Deo sit auditus. Hoc enim maxime ut audiamur efficit, quando preces ei gratae fuerint.

Unde etiam est in nostra potestate ut audiamur. Quando enim petimus quae a Deo dari par est, quando alacri animo quando nos praebemus dignos qui accipiamus, audit vocatus, et implet quod petitur.

Adorabo ad templum sanctum tuum. Non est hoc quoque parva virtus, posse templum ascendere, et ascendentem cum pura adorare conscientia. Non enim flectere genua, nec ingredi, est id quod quaeritur, sed cum acri mente et intento

---

[1] In Acta Apost. homil. 36, n. 3.

animo, non corpore solum, sed mente etiam intus esse; quemadmodum nec parva est dignitas, universorum Deum ut decet adorare. Si enim in regibus hoc pro honore ducitur, multo magis in Deo universorum. *Et confitebor nomini tuo super misericordia tua et veritate tua* [1].

229.—Quod sit attenta et vigilans. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum* (Ps. 141). Vides quomodo ubique hoc facit, et hinc ducit exordium, et bis hic dicit voce et voce? Hoc autem non abs re facit, sed per illam repetitionem haec duo nos doceat, et summam animi alacritatem, et attentam mentem: praeterea autem suam esse vocem.

Non enim omnes voce clamant, nec ad Deum, nec voce propria. Oportet autem haec omnia concurrere.

Qui clamat adversus inimicos, non edit vocem hominis, sed ferae et serpentis.

Qui est negligens, et non audit quae dicit, non clamat ad Deum, sed nequidquam ac temere loquitur.

Qui mentem non excitat, etsi valde vociferetur, hic rursus non clamat. Vox enim non significat spiritus tonum, sed mentem intensam.

At hic non sic: sed haec tria simul colligit, ostendit se et voce clamare, et ad Deum, et voce propria, et ideo bis dicit *voce mea*.

Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum annuntiabo. Vidisti animum liberum ab omnibus quae ad hanc vitam pertinent? Neque enim confugit ad homines, nec ab eis petit auxilium, sed supernam opem, quae expugnari non potest, rogavit. Deinde intensum et vehementem animi fervorem, quem intus habuit absconditum, ostendens per hanc vocem, *effundo*, abunde et copiose. Hinc etiam discimus afflictiones non parum conferre ad orationem. Hic est enim fructus afflictionis; nemo ergo ipsam fugiat. Duo enim habet haec commoda: unum quidem quod nos reddat studiosiores et attentiores; alterum autem, quod ea quoque est justa causa ut audiamur. Sic in Scripturis

---

[1] Exposit. in Ps. 137, n. 1.

ubique invenimus, eos qui afflictiones ferunt grato et patienti animo, non solum multa peccata diluere, sed etiam non parvam apud Deum fiduciam, et loquendi libertatem obtinere [1].

Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione (Col. IV, 2). Nam quoniam orationi instare et in ea perseverare, saepe reddit pigros et ignavos, propterea dicit, *vigilantes*, hoc est, sobrii, non vagantes et errantes.

Scit enim, scit diabolus, quantum bonum sit oratio; et ideo graviter instat, scit etiam Paulus quod multi precantes sint desides et segnes. Quamobrem dicit, orationi instate, tamquam de re laboriosa.

Vigilantes in ea in gratiarum actione. Hoc, inquit, sit vestrum munus, et officium, in precibus agere gratias, et pro manifestis, et pro non manifestis, et pro iis quae volentibus, et pro iis quae invitis benefecit, et pro regno et pro gehenna, et pro afflictione et pro recreatione.

Sic enim mos est sanctis orare et gratias agere pro communibus beneficiis [2].

Non est enim, non est certe peccatum, quod non cedat vi poenitentiae, imo potius gratiae Christi. Nam si modo convertamur, ille nobis adest opitulator, ac si velis bonus esse, nemo impedit: imo potius est qui impedire conetur diabolus, neque potest, te optima eligente, sicque Deum ad patrocinium attrahente. Sin tu nolueris, sed resilieris, quomodo tibi patrocinabitur? Neque enim vi aut necessitate, sed libentem te vult salutem consequi.

Nam si tu servum haberes te odio habentem et aversantem, saepeque recedentem ac fugientem, nolles certe retinere, etsi ejus ministerio opus haberes; multo magis Deus, qui non ob suam aliquam necessitatem, sed ob salutem tuam omnia facit, nollet te vi retinere. Cum contra si voluntatem tantum exhibeas, numquam te ille deseret, quamtumlibet diabolus adversum nitatur. Itaque nos causa perniciei nostrae sumus. Neque enim ad Deum accedimus, neque supplices adimus, neque rogamus ut par esset; sed etiamsi acce-

---

[1] Exposit. in Ps. 141, n. 1.
[2] In Epist. ad Colos. homil. 10, n. 2.

damus, hoc ita facimus quasi non impetraturi, nec cum fide congruenti, neque quasi exigentes; sed oscitantes ac torpentes omnia facimus. Atqui Deus vult nos quasi exigentes precari, et tunc gratias tibi magnas habet. Hic quippe solus debitor, quando exigimus, gratias habet, et ea quae non mutuo dedimus, reddit.

Et si valde instantem viderit eum qui exigit, etiam ea quae non accepit a nobis, solvit; si vero segnius, ille differt, non quod dare nolit, sed quia libenter videt nos ab eo exigere.

Ideoque tibi exemplum attulit amici illius noctu accedentis, et panem petentis, nec non judicis qui nec Deum timebat, neque homines reverebatur. Neque in exemplis substitit, sed ipse quoque operibus exhibuit, quando Phoenissam illam mulierem magno honoratam dono remisit. In hac vero ostendit, se etiam illa, quae non congruere videntur, instanter petentibus largiri. Non est, inquit, *bonum tollere panem filiorum et projicere canibus* (Mt. XV, 26). Attamen dedit quia illa vehementer petebat [1].

230.—Geminam scriptor hic virtutem in femina Anna suo testimonio comprobavit: in precibus assiduitatem et animi vigilantiam: illam quidem, cum ait *multiplicavit precationem*; hanc, cum addidit, *in conspectu Domini:* nam omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Dei.

Etenim cum corpore in terra prostrato, et ore temere delirante, mens ubique per domum ac forum circumvagatur: quo ore talis posset dicere, quod oraverit in conspectu Dei?

Nam in conspectu Dei orat, qui orat undique colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercii, sed ad ipsum caelum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsa: quemadmodum id temporis haec fecit mulier: totam enim se collegerat ac mentem intenderat, atque ita Deum invocavit animo dolente.

Sed cur dicit eam multiplicasse precationem, quando exiguus est modus precationis, quam fudit mulier? (I Reg. I, 11). Quia haec frequenter dicebat, nec destitit iisdem verbis iterandis multum temporis absumere.

[1] In Mt. homil. 22, n. 5.

Ita et Christus in Evangelio docuit orare. Cum enim jussisset discipulis, ne more gentilium orarent, utentes multiloquio, etiam modum precationis docuit (Mt. VI, 7): ostendens, ut exaudiamur non esse situm in multitudine, sed in vigilantia mentis.

Quomodo igitur, dixerit aliquis, si paucis orandum est, parabolam eis proposuit, admonentem semper esse orandum?

Vidua quaedam erat, quae assidue appellando crudelem et inhumanum judicem, neque Deum timentem, neque homines reverentem, frequenter adiens flexit (Lc. XVIII, 3-5).

Quomodo nos et Paulus hortatur dicens, *precationi instantes* (Rom. XII, 12), ac rursus, *indesinenter orate?* (I Thes. V, 17). Nam verba proferre in longum non oportet, et tamen assidue orare, hoc cum illo pugnat.

Non inter se pugnant ista, absit: sed magnopere inter se congruunt. Siquidem et Christus et Paulus jussit breves, sed crebras fieri precationes ex paucis intervallis.

Nam si in longum extenderis verba, cum frequenter parum sis attentus, multam audaciam diabolo suppeditasti, ut accedat supplantetque, ac mentem ab iis quae dicuntur, avocet: quod si frequenter ac subinde oraveris, tempus omne crebris dirimens intervallis, facile poteris esse sobrius ac vigilans, ut precationem multa cum attentione perficias.

Quod sane haec fecit mulier, dum non longo sermone, sed crebris ac frequentibus precibus adiit Deum (I Reg. I, 12). Deinde posteaquam sacerdos illi occlusit os: nam hoc est quod ait, *observabat os ejus, et labia ejus movebantur, vox autem illius non audiebatur:* coacta est oboedire sacerdoti, et ab orando desistere. Et vox quidem illi interclusa est, at non est exclusa fiducia, sed vehementius etiam cor clamabat intus.

Nam illa potissimum est precatio, cum ab intimis voces sursum feruntur: hoc praecipue mentis est exercitatae, non intentione vocis, sed animi fervore precationem absolvere.

Sic oravit et Moyses: qui cum nihil voce resonaret, Deus tamen, *quid,* inquit, *clamas ad me?* (Ex. XIV, 15). Homines quidem externam hanc vocem tantum audiunt, at Deus et ante hanc intus inclamantes audit.

Itaque fieri potest, ut etiam qui non clamant audiantur,

ut per forum ambulans quis oret accuratissime, et in consessu amicorum aliorumque quidvis aliud agens vehementi clamore invocet Deum, clamore, inquam, interno, etiamsi nihil faciat, quod a quoquam praesentium sentiatur [1].

231.—Naturam humanam considerantes, ea consultemus quae mortales homines deceant; et cogitantes praesentis vitae fragilitatem, ac quam breve sit tempus vitae nostrae, multam per bonorum operum exercitium fiduciam recondamus, et non solum per hos dies servemus jejunii fervorem, sed etiam eleemosynae largitatem et precum assiduitatem. Etenim jejunio preces semper conjunctas esse oportet.

Et quod hoc verum sit, audi Christum dicentem: *hoc genus daemoniorum non egreditur nisi in precatione et jejunio* (Mt. XVII, 20). Et iterum de apostolis dicitur: *nam cum orassent, et jejunassent, commendaverunt eos Domino, in quem crediderant* (Act. XIV, 22). Et iterum inquit apostolus: *ne fraudetis invicem, nisi in precatione et jejunio* (I Cor. VII, 5). Vidisti quomodo jujunium hoc subsidio indigeat?

Tunc enim potissimum preces cum attentione fiunt, cum expeditior est mens nostra, neque gravata, neque malo deliciarum onere pressa fuerit. Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, tutissimus locus; modo sobrii et vigiles Dominum adeamus, mente nostra undique collecta, inimicoque nostrae salutis nullo aditu praemisso.

Cum sciat enim inimicus noster, nos per tempus illud posse de iis quae ad nostram salutem attinent loqui, et peccata confiteri, et vulnera medico ostendere, et sanitatem consequi; ideo maxime tunc obsistit, omniaque facit et tractat, ut nos supplantet, negligentesque reddat. Proinde vigilemus, obsecro, et scientes illius insidias, maxime tempore illo operam demus ut quasi praesentem illum ante oculos stantem videntes oppugnemus, et cogitationem omnem, quae nos interturbare possit, repellamus: totique nitamur Deum ut decet alloqui, ut non solum verba, sed et mens verborum comes ad Deum accedant. Nam si lingua quidem proferat

---

[1] Serm. II de Anna, nn. 2, 3.

verba, mens autem foris evagetur, quae domi sunt lustrans, et imaginans quae in foro aguntur, nulla nobis utilitas est, fortassis autem et major condemnatio.

Enimvero si cum homines adimus, tam studiose id agimus, ut prope stantes sepenumero non videamus, sed colligimus mentem, et ad eum solum spectamus ad quem accedimus: quanto magis apud Deum idem facere oportet, et jugiter precibus insistere? Proper hoc et Paulus scribens dicebat: *orantes in omni tempore, orate et in spiritu* (Eph. VI, 18); non lingua tantum, et cum perpetua, inquit, vigilantia, sed *et in spiritu*.

Spirituales enim, inquit, sint vestrae petitiones, sobria sit ratio, et iis quae dicuntur mens attendat. Talia petite, qualia a Deo petere convenit, ut et petita obtineatis; et in illud incumbentes, et toti expergefacti, sobrii et mente vigiles, non oscitantes, nec vos fricantes, et hinc inde mentem vertentes; sed cum timore et tremore salutem vestram operemini. *Beatus enim,* inquit, *qui propter pietatem metuit omnia* (Prov. XXVIII, 14).

Magnum bonum precatio. Nam si homini quis loquens virtute praedito, non parvum inde fructum percipit; quantis bonis non fruetur is, cui cum Deo colloquium fuerit? *Oratio enim colloquium est cum Deo.*

Quod ut scias, audi prophetam dicentem: *jucundum sit Deo eloquium meum* (Ps. 103, 34): hoc est, sermo meus jucundus appareat Deo. Annon enim praestare potest priusquam petamus? Verum propter hoc differt et exspectat, ut occasionem accipiat, qua juste nos sua providentia dignos faciat. Sive autem consequamur quod petimus, sive non consequamur, perseveremus semper in oratione; et non solum gratias agamus si consequamur, sed etiamsi repulsam passi fuerimus. Nam denegare, cum Deus vult, non minus est quam si concessisset. Nescimus enim nos quae nobis conducant, sicut ipse novit. Itaque sive voti compotes, sive impotes simus, gratias agere debemus.

Et quid miraris, si nos nescimus quid nobis prosit? Paulus, talis et tantus vir, arcana audire dignus habitus, ignorabat se ea quae non expediebant, precari. Nam quia se tot molestiis cingi, ac circumdari crebris tentationibus, orabat

ut ab iis liberaretur; idque non semel neque iterum, sed et saepius. *Ter enim,* inquit, *Dominum rogavi* (II Cor. XII, 8). *Ter,* id est, vocavit saepe et non impetravit.

Videamus ergo quomodo affectus fuerit. Num gravatim tulit, num segnior fuit, num obtorpuit? Minime. Sed quid inquit? Dixit: *sufficit tibi gratia mea.* Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Non solum non liberavit illum praesentibus malis, sed in ipsis perseverare permisit. Esto: sed unde discimus eum non graviter tulisse? Audi Paulum dicentem: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.* Non solum, inquit, deinceps liberari non requiro, sed et majori voluptate gloriabor in illis. Vidisti gratam animam, vidisti ejus in Deum amorem? Audi etiam dicentem: *quid enim precemur, ut oportet, nescimus* (Rom. VIII, 26). Impossibile, inquit, est, cum nos homines simus, omnia certo scire. Relinquendum ergo hoc est omnium Conditori; sumendaque sunt cum gaudio et voluptate quaecumque ipse voluerit; nec spectandum ad speciem eorum quae eveniunt, sed quid acceptum sit Domino. Qui enim magis scit quid nobis prosit, quam ipsi nos, ipse novit quomodo salus nostra paranda.

Nostrum ergo unum sit opus, et non aegre ferre si differatur quod petimus, sed multam patientiam exhibere.

Neque enim abnuens preces nostras differt, sed hac arte sedulos nos efficiens, ad semetipsum perpetuo attrahere vult. Nam et pater prolis amans, cum a puero rogatur, abnuit, non quod dare nolit, sed ut ad diutius adstandum pertrahat. Haec itaque scientes ne desperemus, ne cessumus eum adire, et preces fundere [1].

232.—Daemon maximus inimicus orationis. Disseruimus apud vos hesterno die de orationis virtute. Ostendi quo pacto tum temporis diabolus, ut maleficus est, insidias struat.

Cum enim maximum nobis lucrum ex oratione cernat obvenire, tunc maxime impetum facit, ut excusatione nos privet, ut vacuis manibus nos domum remittat.

Et quemadmodum apud magistratus, si forte satellites, et qui magistratus latus stipant, eos qui ipsum conveniunt,

[1] In Gen. homil. 30, nn. 5, 6.

odio prosequantur, virgis procul arcent illos, atque accedere vetant, et conqueri ejusque clementiam experiri; sic nimirum et diabolus cum accedentes ad judicem homines viderit, procul arcet non virga, sed negligentia.

Novit quippe, probe novit, si providi vigilesque accesserint, et peccata sua confessi fuerint, animaque ferventi defleverint, multam illos veniam impetraturos; benignus enim est Deus, atque idcirco praeocupat illos et ab alloquio repellit, ut nihil eorum quae postulant, consequantur. Sed milites quidem magistratuum violenter illos submovent, qui eos conveniunt; hic vero non vim afferens, sed nos decipiens, et ad negligentiam impellens. Quapropter nec venia digni sumus, cum nos ipsos bonis sponte privemus.

Lux est mentis et animae cum studio fusa oratio, lux inexstincta et perennis. Propterea innumeras nostris mentibus cogitationum sordes injicit, et quae numquam cogitavimus, haec collecta tempore orationis in animam nostram infundit.

Et quemadmodum venti saepenumero ex adverso ingruentes accensum ignem lucernae flatu diventilatum extinguunt; sic et diabolus cum in nobis accensam orationis flammam viderit, innumeris nos sollicitudinibus hinc inde perflatos non prius sinit quiescere quam lucem exstinxerit.

Sed quod illi faciunt, qui lucernas illas accendunt, nos quoque faciamus. Quid illi vero faciunt? Cum vehementem ingruere ventum vident, imposito digito lucernae foramini spiritui aditum intercludunt.

Quandiu siquidem exterius impetum faciet, resistere valebimus, ubi vero mentis illi fores aperuerimus, et inimicum intus admiserimus, tum non amplius ne minimum quidem resistere possumus; sed memoria nostra undique exstincta ut lucerna fumigans, inania verba sinit os nostrum effundere.

Verum ut illi lucernae foramini digitum imponunt, ita nos rationem menti praeficiamus, maligno spiritui aditum intercludamus, ne orationis nostrae lumen exstinguat. Magna est armatura oratio, magnum praesidium [1].

Magnum telum oratio, magnus ornatus precatio, tutela, portus, thesaurus bonorum, ac divitiae quae abripi nequeant.

---

[1] Homil. de non evulg. peccata fratrum, n. 5.

Quando homines precamur, sumptu pecuniarum ops habemus, adulatione servili, multis circuitionibus et negotiationibus. Saepe enim non ipsos dominos recta adire, ab iisque gratiam petere licet; sed necesse est prius ministros et dispensatores, curatoresque illorum, pecuniis, verbis, omnique modo delinire, ut illorum opera postulata recipias. Apud Deum autem non ita res se habet: neque tam facile ab aliis rogatus, quam a nobis ipsis gratiam concedit.

Et hic quidem, tam eum qui accipit, quam eum qui non accipit, lucrari contingit: apud homines autem in utroque plerumque laedimur.

Quoniam igitur majus lucrum et major facilitas adest iis qui ad Deum accedunt; ne orationem despiciamus.

Tunc enim tibi magis conciliabitur, tunc magis petita concedet, cum per te ipsum rogaveris, cum puram adhibueris mentem, cum vigilem rationem, cum non perfunctorie oraveris, quod agunt multi, quorum lingua orationis verba profert, mens autem saepe in domo, in foro, in viis pervagatur.

Hoc vero totum est diaboli machinamentum. Quia enim novit nos illo tempore posse veniam peccatorum consequi, volens nobis orationis portum obstruere, illo tempore insurgit, mentem a verbis depellens et amovens, ut damnum potius quam lucrum referentes abeamus.

Haec itaque cum scias, homo, cum ad Deum accesseris, cogita ad quem accedas: sufficitque tibi ad vigilantiam, fides ejus a quo gratiam exspectas.

Respice in caelum et cogita quem alloquaris. Si enim quis, hominem alloquens, humanis honoribus tantillum sublimem etiamsi omnium negligentissimus sit, omnino tamen seipsum excitat, et mentem vigilare jubet; multo magis si cogitemus nos cum angelorum Domino colloqui, hinc idoneum attentionis argumentum sumemus.

Quod si et alia methodus aperienda sit, qua poterimus hanc segnitiem depellere, hoc dixerim. Saepe completa oratione, nec auditis iis quae dicebamus, discessimus.

Si ergo illud cogitemus, statim orationem resumamus; si illud ipsum iterum contingat, etiam ter et quater ipsam repetamus, neque prius ab oratione discedamus, donec illam totam vigili mente protulerimus.

Si hoc senserit diabolus, nempe nos non prius discedere, quam illam studiose et vigili animo protulerimus, ab insidiis demun abscedet; sciens sibi nihil amplius per insidias suas profuturum, quam quod nos cogat saepe eamdem orationem repetere [1].

233.—Quod sit fervens et caritativa. Vis discere vigiliam animae? Vade ad Annam, et audi verba ejus: *Adonai, Eloi Sabaoth* (I Reg. I, 11). Immo vero audi quae illa verba praecesserunt. Surrexerunt, inquit, omnes a mensa, illa vero non ad somnum est conversa, non ad quietem. Unde mihi videtur etiam in mensa sedisse levis, nec ullis cibis gravata, alioqui non tam multas emississet lacrimas. Nam si nos cum sumus jejuni, vix oramus, imo vero ne sic quidem umquam oramus; multo magis illa post mensam non orasset, nisi etiam in mensa fuisset similis jejunantibus.

Nos viros pudore suffundat haec mulier; nos pudeat qui pro regno supplicamus et oscitamus, quod ea oret pro filio et fundat lacrimas. *Et stetit,* inquit, *coram Domino,* et quid dicit? *Adonai Domine, Eloi Sabaoth,* id est, Domine Deus virtutum seu exercituum. Linguam praecurrebant lacrimae; his sperabat se Deum esse flexuram. Ubi sunt lacrimae, omnino etiam illic est afflictio; ubi autem est afflictio, illic quoque est multa oratio, pietas et attentio. Si audiens, inquit, exaudias orationem ancillae tuae, et dederis mihi filium, dabo ipsum Domino toto tempore.

Non dixit, anno uno, aut duobus, sicut nos; nec dixit, si dederis mihi filium, do pecunias; sed, ipsum donum reddo integrum, primogenitum, orationis filium.

Haec filia erat Abrahae. Ille autem rogatus eum dedit, ipsa vero dedit etiam ante petitionem.

Sed hinc etiam vide ejus pietatem. *Vox ejus,* inquit, *non audiebatur, labia autem ejus movebantur.*

Sic accedit ad Deum qui vult impetrare, non mollis et ignavus, neque oscitans, nec dissolutus, neque se fricans, neque torpens ac negligens.

Annon enim poterat dare Deus etiam absque oratione? An nesciebat etiam ante petitionem mulieris desiderium?

---

[1] Homil. in Ps. 145, n. 6.

Sed si dedisset ante petitionem, non apparuisset mulieris animi alacritas, non fuisset manifesta ejus virtus, non tantam acquisiisset mercedem. Quamobrem dilatio non erat invidiae, sed curae ac providentiae [1].

Procidamus coram Deo et corpore et mente, ut ille jacentes erigat; cum modestia omnique mansuetudine ipsum alloquamur. Et quis est, inquies, ita miser et infelix, ut in oratione non sit moderatus? Ille qui vel precando maledicta profert, furoreque plenus est, et contra inimicos acclamat. Si vis accusare, teipsum accusa. Si vis linguam acuere, contra peccata tua acue. Nec dicas quid alius tibi mali intulerit, sed qui tibi mali feceris; illud enim maxime malum est. Neque enim quis te laedere poterit, nisi te ipse laedas [2]. Itaque si vis contra laedentes te insurgere, teipsum primum impetas.

Nemo id impedit; nam si alium aggrediaris, magis laesus abibis. Quam vero tibi illatam injuriam proferre potes? Ille mihi injuriam intulit, bona rapuit, me in pericula injecit. Sed hoc non est laedi, si vigiles sumus, haec nobis multum prodesse possunt. Nan laesus est ille qui haec mala intulit, non qui passus est. Et hoc maxime malorum omnium causa est, quod nesciamus quis laedens, quis laesus sit. Si illud probe sciremus, numquam nos ulcisceremur, non precaremur contra alium, gnari non posse nos malo offici ab alio [3].

Nihil est quod cum pace valeat et concordia comparari. Propterea quoque cum ingreditur Pater Episcopus, non prius ad sedem ascendit, quam vobis omnibus pacem fuerit precatus, et cum surgit, non prius docere vos incipit, quam omnibus pacem dederit.

Sacerdotes etiam cum fuerint benedicturi, ubi prius hoc vobis apprecati fuerint, deinceps incipiunt benedicere. Et vero diaconus dum aliis precari jubet, hoc quoque imperat in oratione, ut angelum pacis rogemus, et quae proposita sunt cuncta pacifica, et ab hoc conventu vos dimittens hoc vobis precatur dicens: *in pace discedite*; et nihil in universum

---

[1] In Ep. ad Ephes. homil. 24, n. 3.

[2] Scripsit sanctus Chrysostomus pulcherrimum librum, qui intitulatur: *Quod qui seipsum non laedit, nemo laedere possit.*

[3] In Mt. homil. 51 a. 52, n. 6.

potest vel dici vel fieri sine ista. Est enim haec nutrix ac mater nostra, quae multo cum studio ac diligentia nos fovet.

Pacem porro dico non hanc a sola appellatione, neque illam quae in mensae communione consistit, sed pacem secundum Deum, quae ex spirituali concordia nascitur, et quam multi dissipant [1].

234.—Profunditas orationis. *De profundis clamavi ad te, Domine* (Ps. 129, I). Quid est *de profundis?* Non dixit solummodo, ex ore, ex lingua; nam errante etiam mente verba funduntur; sed ex corde profundissimo, cum magno studio, et magna animi alacritate, ex ipsis mentis penetralibus.

Tales sunt enim animi eorum qui affliguntur; universum cor secum commovent, Deum invocantes cum magna conpunctione, et ideo etiam audiuntur.

Tales enim preces magnam habent potentiam, ut neque subvertantur, neque concutiantur, etsi eas diabolus magno impetu invadat.

Quemadmodum enim arbor valida, et quae in multam profunditatem terrae agit radices, ejusque sinus devincit, cuivis ventorum impetui resistit; quae in terrae autem summa superficie sita est, si quaelibet parva aura incubuerit, labefactatur, et radicitus evulsa jacet humi; ita etiam preces quae ab imo ascendunt et egerunt radices in profundo, etiamsi innumerabiles venerint cogitationes, etiamsi instructa tota diaboli acies, firmae manent et stabiles, et minime evertuntur: quae autem ex ore et labiis procedunt, et non ab imo ascendunt, ne possunt quidem ad Deum ascendere propter ejus qui accedit socordiam.

Eum enim qui talis est, sive fuerit aliquis strepitus, is ipsum everterit; sive tumultus, ab oratione abduxerit: et os quidem resonat, cor vero est inane, et sola ac deserta cogitatio.

At sancti non sic orabant, sed cum tanto studio ac vehementia, ut etiam totum corpus inflecterent.

Beatus itaque Helias orans primum quidem quaesivit so-

---

[1] Advers. judaeos homil. 3, n. 6.

litudinem; deinde cum posuisset caput inter genua, et seipsum cum magno ardore incenderet, ita fundebat preces (III Reg. XVIII, 42). Si vis autem eum etiam videre rectum stantem in oratione, vide eum rursus extensum usque ad caelum, et ita extensum, ut etiam ignem e caelo dejiceret. Ita etiam quando voluit suscitare filium viduae, cum totum seipsum expandisset, eam edidit resurrectionem, non fractus, neque oscitans, sicut nos, sed animi in orando alacritate incensus [1].

Hosanna in excelsis: benedictus qui venit in nomine Domini (Mt. XXI, 9). Hanc nos majorem hebdomadam veneramur, et egressus ego vobiscum vice palmarum doctrinae verbum proferens, duo minuta deposui instar illius viduae Evangelii (Lc. XXI, 2). Egressi sunt tunc illi ramos palmarum gestantes, et clamabant his verbis: *Hosanna in excelsis*. Egrediamur et nos, ac pro ramis palmarum propositum florentis animi exhibentes clamemus, quemadmodum hodie succinuimus: *lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea* (Ps. 145, 2).

Et illud verbum et hoc pariter davidicum est, imo neque hoc neque illud est davidicum; sed utrumque divinae gratiae. Locutus quippe est propheta, sed prophetae linguam excitavit Paracletus. Ideo inquit: *lingua mea calamus scribae velociter scribentis* (Ps. 44, 2). Quemadmodum calamus non a seipso scribit, sed virtute manus ipsum moventis; sic et lingua prophetarum non a se ipsa loquebatur, sed ex Dei gratia.

At cur non dixit, *lingua mea calamus scribae*, tantum, sed *calamus scribae velociter scribentis?* Ut discas spiritualem esse sapientiam; ideo magna facilitas, ingens cursus. Homines siquidem, cum a seipsis loquuntur, componunt, deliberant, cunctantur, multum temporis absumunt: illic vero, quia tamquam a fonte verba scaturiebant, nihilque aderat impedimenti, sed cursum linguae vincebant sententiarum fluenta, ideo dicit: *lingua mea calamus scribae velociter scribentis*. Manant inferius fluenta magna copia, inquit; idcirco multa celeritas. Non opus est nobis consideratione, non meditatione, non labore.

Sed videamus quid dicat, *lauda anima mea Dominum*.

---

[1] Exposit. in Ps. 129, n. 1.

Haec et nos cum Davide psallamus hodie. Etsi enim ille corpore non adsit, sed adest spiritu. Quod autem justi nobis adsint, et nobiscum psallant, audi quo pacto dicat Abraham ad divitem. Illo namque dicente, mitte Lazarum, ut fratres mei scientes ea quae in inferno, emendent sua gesta, respondet illi, *habent Moysen et prophetas* (Lc. XVI). Atqui Moyses et prophetae jandiu corpore mortui erant, sed per scripta sua illos habebant.

Si enim posita filii aut amici inanimata imagine, ipsum adesse existimas, licet obierit, et per imaginem inanimatam ipsum tibi effingis; multo magis nos per divinas Scripturas sanctorum consortio fruimur, non corporum, sed animorum imagines habentes. Illorum quippe dicta animorum suorum sunt imagines.

Vis discere sanctos illos vivere et adesse? Nemo mortuos testes vocat; sed Christus illos testes advocavit suae divinitatis, ac prae ceteris ipsum Davidem, ut te doceret ipsum vivere. Judaeis enim de se dubitantibus, dixit: *quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei, David.* Ille vero *quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis* (Mt. XXII, 42-44)? Vides quomodo vivat David? Nisi enim viveret, non vocavisset eum testem divinitatis suae. Nec dixit, quomodo David in Spiritu *vocavit* eum Dominum, sed *vocat* eum Dominum, ut ostendat illum adhuc adesse, et per litteras loqui.

Psallebat olim psalmis, et nos hodie cum Davide. Ille citharam habuit ex nervis inanimatis: Ecclesia vero citharam habet ex nervis viventibus intensam. Linguae nostrae sunt citharae, quae diversum sonum edunt, sed concordem pietatem. Nam mulieres, viri, senes, juvenes aetate quidem distincti sunt, sed hymnorum cantu non sunt distincti; cujusque enim vocem temperans Spiritus, unam in omnibus melodiam efficit; quemadmodum ipse David declaravit, omnem aetatem et utrumque sexum ad hunc concentum advocans: *omnis spiritus laudet Dominum.* Lauda anima mea Dominum. Cur carnem reliquit, cur corpus nullo modo alloquitur? Num animal in duo divisit? Nequaquam, sed prius artificem excitat. Quod autem non sejunxerit corpus ab anima, audi quomodo alibi dicat: *Deus, Deus meus, ad te de luce vi-*

gilo. Sitivit te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea in terra (Ps. 62, 2). Sed ostende mihi carnem ipsam ad hymnos advocari, ait ille: *benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus* (Ps. 102, 1). Vides etiam carnem concentus participem? Quid sibi vult illud, et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus? Nervi, inquit, ossa, venae, arteriae, et omnes internae partes.

Quomodo possunt interiora nostra Deo benedicere? Vocem non habent, os non habent, linguam non habent. Anima quidem potest; interiora vero quomodo possint, cum nec vocem, nec os, nec linguam habeant, Deo benedicere? Quemadmodum *caeli enarrant gloriam Dei* (Ps. 18, 1).

Quemadmodum enim caeli non linguam, non os, non labia habent, sed aspectus pulchritudine stupefacientes eos qui se contemplantur, ipso rei miraculo ad Opificem laudandum invitant; sic et interiora nostra, si ea animo percurreris, si videris differentiam qualitatum, operationis, virtutis, concentus, efformationis, positionis, numeri, harmoniae, illud propheticum pronuntiabis: *quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti* (Ps. 103, 24).

Vides quomodo viscera, sine voce, sine ore, sine lingua Deum laudent? Cur ergo animam alloquitur? Ne lingua loquente, ipsa evagetur, quod saepe in precando et hymnos cantando patimur, ut utrinque concentus sit. Cum enim inter orandum non audieris verba Dei, quomodo Deus audiet supplicationem tuam? Cum igitur dicit, *lauda anima mea Dominum,* id significat, intus ex profundo cordis offerantur supplicationes. Etenim Paulus ait: *psallam spiritu, psallam et mente* (I Cor. XIV, 15).

Musicus est quispiam optimus anima, artifex est: organum autem corpus, citharae, tibiae et lirae locum tenens. Alii igitur musici non semper cum omnibus organis sunt, sed modo illa sumunt, modo deponunt, non enim perpetuo et omni tempore melodiae vacant; quapropter non semper organa tractant: Deus autem docere te volens, te eum semper debere et laudare et benedicere, artifici semper adjunctum instrumentum esse curavit.

Quod enim semper laudare oporteat, audi quo pacto dicat Apostolus: *sine intermissione orate, in omni gratias agite*

(Thes. V, 17). Quoniam igitur sine intermissione orandum est, sine intermissione instrumentum cum artifice est. *Lauda anima mea Dominum.* Primo vox una id dicebat, nempe Davidis: nunc vero quoniam mortuus est, innumeris linguis id loquitur, non nostris solum, sed etiam totius orbis. Videsne eum non mortuum esse, sed vivere? Quo pacto enim mortuus est, qui tot linguas habet, et per ora loquitur? Magna plane res est laus; expurgat enim animam nostram, et multam nobis inserit religionem [1].

235.—Quod sit humilis.—*Non est oblitus clamorem pauperum* (Ps. IX, 13). Vide multum esse in honore pauperes. Non autem dicit simpliciter pauperes, sed illos qui sunt pauperes spiritu, sicut dicit Christus (Mt. V, 3). Hi enim maxime exaudiuntur dum orant, qui sunt corde humili et contrito. Hic autem duo ponit, et orationem et humilitatem. *Ad quem enim,* inquit, *respiciam nisi super humilem, et quietum, et timentem verba mea* (Is. 66, 2)?

Ubique autem orationis vehiculum invenitur humilitas. Prope enim est Dominus contritis corde. Oportet itaque eum qui orat maxime liberari a tumore ac fastu. Quod etiam Paulus quaerit, dicens: *absque ira et disceptatione* (I Tim. 2, 8).

Recte dixit, clamorem pauperum, nempe mentis affectionem, non autem vocis intensionem: cum autem dicit, non est oblitus, significavit eos invocare assidue, et tamen non a principio assequi.

Quid est ergo quod dicit? Ne putetis Deum esse oblitum, et ideo non ultum esse: ejus enim est proprium, ea quae sunt ejusmodi quaerere, etiamsi nemo roget; quando autem rogant et qui rogant sunt humiles, multo magis.

Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion. Vide eum perpetuo orationi affixum. A malis enim liberatus, et in tuto collocatus, non cessat rursus orare, dicens, miserere mei, et rogare eum pro futuris. Semper enim egemus Dei providentia, maxime autem dum liberamur a malis [2].

[1] In Ps. 145, hom. n. 2.

[2] Exposit. in Ps. 9, n. 6.

Quomodo misericordiam Dei consequemur? Quomodo salutem? Ego dicam: orationem in corde semper suscipiamus, ejusque fructus, nempe humilitatem et mansuetudinem; *discite* enim, inquit, *a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (Mt. XI, 29); rursumque David: *sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non despiciet* (Ps. 50).

Nihil enim ita Deus amplectitur et amat, ut animam mitem et humilem et gratam. Adverte igitur et tu, frater; cum quid inexpectatum tibi acciderit molestiamque crearit, ne ad homines confugias, ne ad mortale auxilium respicias; sed omnes transcurrens, mente tua ad animarum medicum te confer. Nam ipse solus cordi medelam afferre potest, *qui finxit singillatim corda nostra, et intelligit omnia opera nostra* (Ps. 32, 15): ipse potest in conscientiam nostram ingredi, mentem tangere animamque cohortari. Quod si ipse non cohortetur corda nostra, quae ab hominibus accedent, superflua et inutilia erunt, quemadmodum vicissim Deo cohortante et consolante, etiamsi sexcentas homines molestias creaverint, ne minimum quidem nobis nocere poterunt; cum enim ille cor nostrum firmaverit, nemo illud exagitare valebit.

Haec cum sciamus, ad Deum semper confugiamus, qui vult et potest calamitates solvere nostras.

Sunt tamen plurimi, qui mille versus inter orandum proferunt, dicuntque: Domine, da mihi corporis sanitatem, duplo plures, quam habeo, facultates, ulciscere inimicum meum; quod est ingenti plenum absurditate. Quamobrem his omnibus omissis ita orandum precandumque est, ut publicanus ille qui dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori* (Lc. XVIII, 13); et ipse novit quo pacto tibi sit opitulandum; nam *quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis* (Mt. VI, 33). Sic itaque, dilecti, cum labore et humilitate orationi ac pietati incumbamus, percutientes pectora nostra, quemadmodum ille, et quae petimus consequemur: sin ira furoreque pleni precemur, abominabiles et odiosi apud Dominum reperiemur.

Conteramus igitur mentem nostram, humiliemus animas nostras, precemurque pro nobis, proque iis qui nos molestia affecerunt.

Si namque velis judicem ad auxilium animae tuae demulcere, et ad tuas partes attrahere, numquam eum contra adversarium tuum compellaveris. Etenim judicis illius talis est mos: illis maxime annuit et postulata concedit, qui pro inimicis orant, qui non sunt injuriae memores, qui contra inimicos suos non efferuntur [1].

236.—Quod sit occulta et solitaria. Omnium maxime tyrannicus animi morbus est vana gloria, quae homines etiam probe agentes invadit. A principio quidem nihil Christus hac de re loquutus est; nam superfluum fuisset, priusquam bona opera edere suaderet, docere quomodo illa facienda et adeunda essent.

Postquam autem in christianam vitam induxit, tunc demum eam, quae subrependo ipsam inficere solet, pestem auferre nititur. Neque enim utcumque gignitur hic morbus, sed postquam multa praecepta egregie implevimus.

Oportebat igitur prius virtutem inserere, et tunc illum animi affectum auferre, qui ejus fructum labefactat.

Ac vide unde exordium sumat; a jujunio, oratione et eleemosyna. In his maxime recte factis versari solet. Nam pharisaeus inde inflatus dicebat: *jejuno bis in hebdomada, decimas do omnium quae possideo* (Lc. XVIII, 12); in ipsa oratione vanam captabat gloriam, et ad ostentationem precabatur. Quia enim nullus alius aderat, publicanum indicabat dicens: *non sum sicut ceteri hominum, neque sicut hic publicanus.*

Ideo Christus dixit: *attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus.* Postquam edixit, ne ad ostentationem fiat, et damnum docuit emergens, si temere et inconsiderate fiat, rursus animorum auditorum animos erigit, Patrem commemorans atque caelum, ne damnum solum tangeret, sed etiam Patris memoria coerceret. *Non habebitis,* inquit, *mercedem apud Patrem vestrum qui in caelis est.*

Et cum oratis, nolite fieri sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

---

[1] De poenit. et orat. homil. 4, n. 4.

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum qui est in abscondito. Rursus hos hypocritas vocat, et jure quidem; quia cum se Deum orare simulant, homines circumspiciunt, non supplicum veste induti, sed ridiculorum hominum. Qui enim ad supplicandum se praeparat, omnibus relictis, illum intuetur unum, qui potest postulata dare. Quod si illo relicto, circumeas errans, et undique circumspiciens, vacuis manibus abscedes.

Hoc enim tu voluisti. Ideo non dixit, tales homines mercedem non accepturos esse, sed recepisse, id est, recipient quidem, sed a quibus desiderant. Non enim hoc Deus volebat, sed cupiebat ipse suam praebere mercedem.

Illi vero mercedem ad hominibus quaerentes, non ab illo merentur accipere, propter quem nihil fecerunt. Tu vero mihi consideres velim Dei benignitatem, quando de quibus a nobis rogatur bonis, mercedem se daturum pollicetur. Vituperans igitur illos, qui non ut decet hoc officio utuntur, tum a loco, tum ab affectu, cum ostendisset illos admodum ridiculos esse, optimum orationis modum inducit, et rursus mercedem tribuit, dicens, intra in cubiculum tuum.

Quid igitur, inquies, in ecclesia non orandum? Sane quidem orandum, sed cum voluntate tali.

Nam Deus ubique cum sit, gestorum scopum requirit. Alioquin si in cubiculo sis, januamque claudas, idque ad ostentationem facias, nihil tibi januis opus est. Vide igitur et hic quam accuratam distinctionem posuerit, dicens, ut appareant hominibus.

Itaque etiamsi januas clauseris, id te vult antequam claudas recte facere, nempe ut etiam mentis tuae januas claudas. Nam vana gloria semper vacuum esse optimum est, maxime vero in oratione.

Si enim absque hoc vitio mente erramus, et circumferimur; si cum hoc morbo ingrediamur, quandonam ea quae dicimus audiemus? Sin nos qui supplicamus et obsecramus, non audimus, quomodo Deum ut audiat rogamus?

Attamen quidam sunt qui pos tot tantaque praecepta ita turpiter in oratione se gerunt, ut etiamsi corpore occulti sint, voce omnibus se faciant manifestos, scurriliter clamantes, et habitu voceque sese ridiculos exhibentes.

Annon vides etiam in foro, si quis ita se gerat, et cum clamore supplicet, quomodo illum etiam quem rogat, amoveat; si autem quiete et cum decenti habitu, tum maxime inflectat eum qui gratiam conferre potest?

Ne itaque habitu corporis, neque vocis clamore, sed voluntatis studio orationes emittamus; neque cum strepitu et sonitu, vel ad ostentationem, ne proximos nobis expellamus, sed cum modestia omni, animi contritione, et lacrimis interioribus.

Sed doles animo, nec potes non clamare? Imo maxime dolentis est sic orare, et obsecrare. Nam et Moyses dolebat, sicque orabat, et audiebatur: ideoque dixit illi Deus: *Quid clamas ad me* (Ex. XIV, 15)? Anna quoque rursum, cum vox non audiretur, omnia quae voluit, impetravit, quia cor ejus clamabat (I Reg. 1).

Abel vero non silens modo, sed etiam moriens precabatur, et sanguis ejus tuba clariorem emittebat vocem.

Ingemisce igitur et tu similiter ut ille sanctus: id non impedio. *Scinde,* ut propheta jussit, *cor tuum et non vestimenta tua* (Joel, 2, 13). De profundis invoca Deum, nam ait ille, *de profundis clamavi ad te, Domine* (Ps. 129, 1): ex intimo cordis tui vocem attrahe, fac orationem tuam esse mysterium.

Non vides in aulis regiis tumultum omnem eliminari, et multum undique esse silentium?

Et tu itaque quasi in regiam ingrediens non terrenam, sed in multo terribiliorem, nempe caelestem, magnam exhibe modestiam. Nam et cum angelis choreas agis, et archangelorum es socius, et cum seraphim canis.

Omnes porro isti coetus magnum exhibent ordinem, cum horrore multo mysticum illud melos et sacros hymnos canentes regi universorum Deo.

His itaque te admisceas in precando, mysticumque ipsorum ornatum imitare. Neque enim hominibus precaris; sed Deo ubique praesenti, antequam vocem emittas audienti, qui novit arcana mentis.

Si sic oraveris, multam recipies mercedem. *Pater,* inquit, *tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto.*

Non ait, donavit tibi, sed, reddet. Debitorem se quippe

tibi constituit, teque magno pro hoc etiam honore donavit. Quia enim ipse invisibilis est, ideo vult orationem tuam hujusmodi esse.

Deinde verba ipsa orationis refert. *Orantes,* inquit, *nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt.* Nam cum de eleemosyna loquebatur, vanae gloriae pestem tantum semovit, nihilque amplius adjecit, neque dixit, undenam eleemosynam facere oporteret: verbi causa ex justis laboribus, non ex rapina vel ex avaritia. Illud namque in confesso apud omnes erat. Superius autem illud jam expurgaverat, cum esurientes justitiam beatos praedicavit.

Circa orationem vero aliquid amplius adjicit, multiloquium esse vitandum: ac quemadmodum ibi hypocritas, ita et hic ethnicos irridet, ubique ex personarum vilitate auditorem pudore afficiens.

Quia enim ut plurimum hoc maxime mordet et angit, cum quis desperatis hominibus comparatur, hinc illos abducit, multiloquium hic futilem loquacitatem vocans; ut cum non consentanea a Deo petimus, nempe potentiam et gloriam, victoriam de inimicis, divitiarum facultates, demunque ea quae nihil nobis profutura sunt. *Scit enim,* inquit, *quibus opus habeatis* [1].

237.—Vana gloria gravis et multiplex morbus est: illo enim ducti alii principatum, alii pecunias, alii potentiam amant. Progressus autem morbus ille, ad eleemosynam usque venit, jejunium, precationes et doctrinam; multaque sunt hujus ferae capita. Sed quod de aliis vanam gloriam aucupentur, nihil mirum; quod autem de jejunio et oratione, hoc sane stupendum et lacrimis dignum est. Adversus quos ergo primo stabimus et aciem instruemus? Non satis quippe est oratio una adversus omnes. Verum omnibus relictis, dicamus de eleemosyna et oratione.

Vis misericors apud homines vocari? Quid inde lucri? Nihil utique, sed damnum infinitum. Ipsi enim, quos ad testimonium vocas, fures sunt thesaurorum in caelis repositorum; imo non illi, sed nos ipsi qui nostra nobis furamur, et quae in caelo posita sunt, dissipamus.

[1] In Mt. homil. 19, nn. 1-3.

O novam calamitatem! O stupendum morbum! Ubi tinea non demolitur, ubi fures non effodiunt, vana gloria dissipat. Hoc omnia pessumdat et perdit. Quia enim vidit diabolus, et furibus et vermi aliisque insidiis inaccessum esse locum illum, per vanam gloriam divitias illas subripit.

Sed gloriae cupidus es? Annon tibi satis est illa quam ab accipiente habes, a benignissimo Deo, sed etiam gloriam apud homines quaeris? Vide ne contrarium patiaris; ne quis te damnet quasi non miserantem, sed fastui et ambitioni deditum, atque alias calamitates traducentem. Nam mysterium est eleemosyna. Claude ergo januas, ne quis illa videat quae ostentare nefas est.

Hoc quippe sunt maxime mysteria nostra, misericordia et benignitas Dei; nam secundum misericordiam suam magnam nos inobsequentes miseratus est.

Et prima precatio, quam pro energumenis adhibemus, misericordiae commemoratione plena est; secunda quoque, pro iis qui in poenitentia sunt, multam misericordiam postulat: tertia demum, pro nobis ipsis, populi infantes innocentes inducit, Deum ad misericordiam provocantes.

Quia enim nos peccata nostra damnamus, pro iis qui multa peccarunt, et accusari debent, nos precamur, pro nobis vero pueri, quorum simplicitatis imitatores regnum caelorum exspectat. Ipsa enim precandi formula id ostendit; nam qui instar puerorum humiles sunt ac sinceri, hi maxime possunt pro reis precari. Ipsum mysterium quantae misericordiae, quantae benignitatis sit plenum, sciunt initiati.

Et tu igitur, cum homini facis eleemosynam, claude januam tuam; ipse qui accipit, solus videat, imo si fieri possit, ne ipse quidem. Si januam aperias, mysterium tuum ostentas. Cogita eum ipsum, a quo gloriam expetis, te damnaturum esse. Si amicus sit, te apud se criminabitur; si inimicus, apud alios te traducet, et contraria tibi evenient, quam desiderabas. Tu enim cupiebas, ut ipse diceret te misericordem; ille vero non hoc dicet, sed te vanae gloriae cupidum, auram hominum captantem appellabit, aliaque graviora adjiciet. Sin occultaveris, his omnino contraria dicet, benignum misericordemque appellabit. Neque enim Deus haec occultari permittit. Si tu occultaveris, ille manifestum reddet; hinc

major admiratio et copiosius lucrum accedit. Itaque ad gloriam parandam officit ostentatio; ad id quod diligenter quaerimus, obest illa ipsa inquisitio. Non modo enim misericordiae laudem non acquirimus, sed contrarium assequimur; ad haec vero multum hinc damni nobis oritur.

Horum itaque omnium causa inanem gloriam respuamus, solamque Dei gloriam diligamus [1].

238.—*Cum oratis,* inquit Christus, *nolite fieri sicut hypocritae* etc. (Mt. VI, 5-6). Quid igitur Paulus dicit, *volo viros orare in omni loco, extollentes sanctas manus absque ira et disceptatione* (I Tim. II, 8)? Sed non est contrarium illis, absit, imo valde consonat.

Quomodo? Prius autem dicendum est, quid sit illud, *intra in cubiculum tuum,* et cur hoc praecipiat, si sit orandum in omni loco, si in ecclesia orare non oporteat, et si in nulla alia domus parte liceat, nisi in cubiculo.

Quid ergo sibi vult dictum illud? Inanem gloriam fugiendam esse docens Christus, dicit non simpliciter *clam,* sed *occulte* orationem emitte. Ut enim cum dicit, *nesciat sinistra tua quid facit dextera tua* (Mt. VI, 3), non de manibus simpliciter loquitur, sed quam sit summe fugienda vana gloria declarat; ita in hoc quoque loco hoc subindicat.

Non igitur in loco quopiam orationem faciendam esse definivit, sed hoc unum tantum praecepit fugiendam esse vanam gloriam. Paulus vero haec dicit ad differentiam judaicae orationis: vide namque quid dicat, *in omni loco extollentes sanctas manus,* quod judaeis non licebat. Neque enim poterant ad Deum accedere alibi et immolare et cultum implere; sed undique ex toto orbe concurrentes, omnes purificationes in templo facere oportebat. His adversam admonitionem inducit, et a necessitate illa liberans, non hujusmodi, inquit, nostra sunt qualia judaica. Sicut enim pro omnibus orationes facere jubet; *nam pro omnibus,* inquit, *Christus mortuus est,* et pro omnibus haec praedico; sic ubique bonum est orare: observatio autem nulla deinceps de loco sit, sed de modo orationis.

---

[1] In Mt. homil. 71, a. 72, nn. 2-4.

Ubique ora, inquit, ubique sanctas manus extolle; hoc est quod quaeritur. Quid sibi vult *sanctas?* Puras. Quid est puras? Non aqua ablutas, sed ab avaritia, caedibus, rapinis, plagis mundatas. *Sine ira et disceptatione.*

Quid hoc est? Quis orans irascitur? Hoc est sine injuriarum recordatione. Purus sit orantis animus, omni vitio liber, nemo inimicitias habens ad Deum accedat: nemo cum aversione et disceptatione. Quid est illud sine disceptatione? Audiamus. Non ergo dubitandum est, nos exauditum iri. *Quaecumque* enim, inquit, *credentes petieritis, accipietis* (Mt. XXI, 22); et rursum, *cum statis ad orandum, dimittite, si quid habetis contra aliquem* (Mc. XI, 25). Hoc est sine ira et disceptatione.

Et quomodo, inquies, credere potero me consecuturum esse quod peto? Si nihil contrarium petas iis, quae ipse dare paratus est, si nihil indignum Rege, si nihil saeculare, si omnia spiritualia, si absque ira accedas, si puras et sanctas habeas manus: sanctae autem sunt illae quae eleemosynas erogant. Si sic accedas, voti compos eris. *Nam si vos,* inquit, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in caelis est* (Mt. VII, 11)?

Disceptatione hic vocat dubitationem.

Similiter et mulieres volo, inquit, ad Deum accedere sine ira, sine disceptatione, sanctas manus habere, concupiscentias suas non sequi, non rapere, non avaras esse. Quid enim refert illam non rapere, si per virum suum illud efficiat?

A mulieribus autem aliquid amplius petit Apostolus. Quid illud est? *Cum verecundia,* inquit, *et pudicitia, in habito ornato, non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, sed quod mulieres decet pollicentes pietatem per bona opera.* Habitum quem dicit? Id est, tunicam undique honeste tegentem, decentem, sed non exquisitam; hoc enim ornatus vere est; istud ornamento caret. Quid dicis, Deum precatura accedis, et ornamenta aurea circumfers? Num ad choreas agendas venisti, num ad nuptias celebrandas, num ad pompam? Illic aurea, illic torti crines, illic magnifica vestimenta adhiberi solent; nunc autem iis nihil opus est.

Venisti ad orandum et precandum, supplicatura pro peccatis et pro offensis tuis, rogatura Dominum ut propitium

illum tibi reddas: cur te ipsam ornas? Non sunt hae vestes supplicantis. Quomodo potes ingemiscere, quomodo lacrimari, quomodo intente orare tali ornata vestimento? Si lacrimaris, risu dignae videbuntur lacrimae; non enim aurum gestare oportet lacrimantem; illud quippe ad scenam et histrionicam pertinet. Quomodo enim non scena fuerit, quando ab ipso animo, quo tanta magnificentia, tanta ambitio monstratur, etiam lacrimae funduntur? Illam omnem histrionicam aufer: Deus non irridetur. Haec mimorum et saltatorum sunt qui in scena versantur; honestam autem mulierem nulla hujusmodi decent. *Cum verecundia,* inquit, *et pudicitia.*

Ne itaque meretrices imiteris; hoc namque ornamento illae multos amatores inescant, atque hinc saepe multae in malam suspicionem venerunt, nihilque ex ornatu lucratae sunt, ac plurimis ea opinione nocuerunt. Quemadmodum enim impudica, etiamsi casta videatur, nihil ex hac opinione lucratur, cum ille qui etiam de occultis judicat, tunc omnia in medium acturus est; ita etiam quae casta est, si per vestimentorum ornatum studeat sibi impudicitiae opinionem conciliare, ex castitate nihil lucrabitur; plurimis enim ex hac opinione damnum accidit.

Quid ergo faciam, inquies, si alius is suspicetur? Tu occasionem illi das ex habitu, ex obtutu, ex motibus. Ideo Paulus plurima dixit de vestitu, de pudore. Si vero quae opum tantum indicia sunt, aurum, margaritas, magnifica vestimenta; quanto magis ea quae arte curiose parantur, ut fucos, picturas oculorum, delicatum incessum, mollem vocem, aspectum lubricum, omni impudicitia plenum, curiosam amiculi formam et tunicae, zonam artificiosiorem, calceos studio compositos? Haec quippe omnia subindicavit, cum dixit, *in habitu ornato, et cum verecundia*; illa enim inverecundiae et dedecoris plena sunt. Me quaeso feratis, si nudis verbis reprehensionem inferam, non ut feriam, neque ut moerore afficiam, sed ut aliena a grege abscindam [1].

239.—*Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare* (Mt. XIV, 23). Cur in montem Christus ascendit? Ut nos

[1] In Epist. I ad Tim. homil. 8, nn. 1, 2.

doceat commodum esse desertum, commodam solitudinem, cum Deo supplicandum est. Ideo saepe deserta petit, ibique pernoctat orans, ut nos moneat, et tempus et locum ad tranquille precandum esse quaerendum. Solitudo enim tranquillitatis mater est, quietisque portus, ab omni nos tumultu liberans.

Ille quidem his de causis illuc ascendit; discipuli vero rursum fluctibus agitantur, et tempestate ut ante jactantur. Sed tunc illum in navicula habentes haec patiebantur, nunc autem soli sunt, et seorsim positi. Etenim illos paulatim et per gradus ad majora inducit, ut omnia fortiter ferant [1].

Et sequebatur eum turba multa, quia videbant signa quae faciebat (Jo. VI, 2). Non firma mente sequebantur: ad tantam enim doctrinam ex signis potius inducebantur, quod crassioris erat animi. *Signa enim,* inquit, *non fidelibus, sed incredulis* (I Cor. XIV, 22).

At non hujusmodi populus apud Matthaeum, sed audi quomodo: *stupebant omnes de doctrina ejus, quia docebat eos tamquam potestatem habens* (Mt. VII, 28). Cur autem montem nunc adiit, et ibi sedebat cum discipulis? Ob futurum signum. Quod autem discipuli tantum ascenderint, illa populi non sequentis culpa est. Neque hac solum de causa montem petiit, sed etiam ut nos doceret, tumultum et turbam esse vitandam, atque idoneam orationis esse solitudinem. Saepe autem ipse solus montem ascendit, et pernoctat orans, ut nos doceat, eum qui ad Deum accedit, omni tumultu vacuum esse, et tranquillum locum quaerere debere [2].

240.—Quod sit assidua et perseverans. *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (Eph. VI, 14-17). Anima quae non desperat, neque tela ignita accipit, cum magna animi alacritate stabit adversus inimicum, perfringet hoc gladio ejus thoracem, per quem confregit et ejus cogitata redegit in captivitatem Paulus, draconemque conscindet, et ejus caput amputabit. *Quod est verbum Dei, aut*

[1] In Mt. homil. 50, a. 51, n. 1.
[2] In Jo. homil. 42, n. 1.

jussum ejus, hic dicit *verbum* aut *praeceptum,* quod apostoli in nomine Jesu Christi ubique miracula edentes proferebant. Tantum nos in omnibus observemus, ut Dei praecepta custodiamus; si enim illa faciamus, per ea de medio tollemus et occidemus ipsum draconem, tortuosum serpentem.

Hic mihi vide Pauli prudentiam. Quia enim dixit, *poteritis tela diaboli ignea exstinguere,* ne ipsos inflaret, ostendit eos maxime omnium ad hoc Deo opus habere. Quid enim dicit? *Per omnem orationem et obsecrationem,* ac si diceret, haec erunt, et totum recte geretis orantes. Numquam autem accedens pro te solo roga, et sic Deum habebis propitium. *Per omnem,* inquit, *orationem et obsecrationem orantes in omni tempore in spiritu, et ad hoc ipsum vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis.*

Ne mihi definias tempora diei, audi enim quid dicat, in omni tempore accede. *Sine intermissione,* inquit, *orantes.* Non audivisti quomodo illa vidua superavit assiduitate? Non audivisti amicum illum media nocte sua perseverantia impetravisse? Non audivisti de Syrophoenissa, quomodo perpetua sua interpellatione Dominum evocaverit? Hi omnes impetrarunt sua assiduitate.

Orantes, inquit, *in omni tempore in spiritu.* Hoc est, quae ex Deo sunt quaeramus, nihil mundanum, nihil quod ad hanc vitam pertineat. Non solum ergo, inquit, opus est ut oremus sine intermissione, sed etiam ut vigilantes, *et ad hoc ipsum,* inquit, *vigilantes.* Sive hic dicat pernoctationes, sive etiam animae sobrietatem, utrumque admitto.

Vides quomodo vigilaret illa Cananaea, et Domino non respondente, sed etiam repellente, et eam canem appellante, illa diceret, etiam, Domine, nam et catelli comedunt ex micis quae cadunt ex mensa dominorum suorum (Mt. XV, 20); nec destitit antequam assequuta fuit petitionem? Et quomodo vidua illa clamavit, et tandiu perseverabit, donec pudore affecerit principem, qui neque Deum timebat, neque hominem v rebatur? Et quomodo amicus intempesta nocte perseveravit, donec effecerit ut vigilaret, sua assiduitate incusso pudore? Hoc est vigilare [1].

---

[1] In Epist. ad Ephes. homil. 24, nn. 1, 3.

241.—Antiqui patriarchae hospites in terra erant, non quod patriam non haberent, sed quod sempiternam illam patriam desiderarent. Nunc autem, inquit, Paulus, meliorem patriam desiderant, hoc est, caelestem, cujus opifex et creator Deus est (Hebr. XI, 10).

Hos igitur nos quoque imitemur; despiciamus praesentia, concupiscamus futura; utamur hac muliere magistra, et ad Deum semper confugiamus, ab illoque omnia deposcamus. Nihil enim precationi aequale; ea quippe est quae ex impossibilibus possibilia facit, ex difficilibus facilia, et ex tortuosis recta.

Hanc beatus quoque David adhibebat, ideoque dicebat: *Septies in die laudavi te propter judicia justitiae tuae* (Ps. 118, 164).

Quod si rex, infinitis curis immersus, et in tam varia distractus, toties in die precabatur Deum; quam defensionem aut veniam habere poterimus nos, qui in tanto otio degimus, nec tamen illum assidue oramus, idque cum inde tantus fructus sit nobis proventurus?

Imposibile enim, impossibile est, inquam, hominem qua decet alacritate precantem, et assidue Deum orantem, unquam in peccatum incidere.

Id qua ratione fiat, jam dicturus sum. Qui mentem suam accendit, et animam erexit atque ad caelestia transtulit, et ita Dominum suum invocavit, peccatisque in memoriam reductis, de eorum remissione cum illo coloquutus est, obsecrans ut placatus ac propitius sibi esse dignetur, is post tales orationes omnem praesentis vitae curam abjicit, spe erigitur, ac supra omnes humanas affectiones extollitur; et sive inimicum post precationem viderit, jam non tanquam inimicum aspiciet: sive mulierem formosam, ejus aspectu non frangetur, durante adhuc igne per precationem intus accenso et omnem absurdam cogitationem depellente.

Sed quoniam homines cum simus, facile ad segnitiem relabimur, exacta una alterave aut tertia post precationem hora, ubi senseris pristinum illum fervorem paulatim frigescere, recurre quantocius ad preces, frigescentemque mentem rursus accende.

Id si per totam diem feceris, per intervalla crebris preca-

tionibus te ipsum accendens, non dabis occasionem diabolo aut ullum ad tuas cogitationes aditum.

Et quemadmodum in apparando prandio, cum potu opus est, si aqua calida frigescat, ad focum admotam calefacimus: ita et hic faciendum est, et os nostrum ad precationes, quasi ad prunas admovendum, ut hoc pacto mens ad pietatem rursum accendatur.

Imitemur etiam fabros coementarios: hi enim quoties lateritius paries exaedificandus est, ob fragilitatem materiae eum longis lignis stringunt, idque non per longa interstitia, sed per modica, ut compages laterum tutior sit ob lignorum frequentiam.

Idem ipse quoque facito, et sicut illi ligaminibus ligneis, ita tu saecularibus negotiis precationes crebras interponens, vitam tuam hoc pacto munias.

Quod si feceris, etiamsi plurimae procellae ingruant, sive tentationes, sive moestitiae, sive cogitationes molestae, sive quidvis aliud, nihil dejicere poterit domum tuam crebris precationibus ligatam atque munitam. Dices, qui fieri potest ut homo saecularis, forensibus negotiis affixus, tribus horis diei precetur, et ad ecclesiam currat?

Potest, et facile est. Licet enim ad ecclesiam currere non sit commodum, potest inibi in foro curiaeque vestibulo haerens nihilominus precari: ad hoc enim mente magis opus est quam voce, animi contentione magis quam manuum extensione, nec tamen refert quo corporis habitu id facias, quam quo animi affectu; quandoquidem et ipsa Anna non ob intensam vociferationem, sed ob internum cordis clamorem exaudita est. Dicit enim Scriptura, *vox ejus non audiebatur, et Dominus exaudivit eam.* Hoc et alii multi saepe fecerunt, et clamante intus magistratu, minante, exasperato, furente, ipsi pro foribus curiae stantes, postquam se sacro signo munissent, et pauca in animo precati, introgressi ad eum mutaverunt hominem, ac mitigaverunt, et mansuetum ex aspero reddiderunt; neque illis aut locus, aut tempus, aut tempus, aut silentium ad precandum fuit impedimento.

Hoc etiam tu facito: ingemisce amare, in memoriam revoca tua peccata, suspice in caelum, dic in mente, *miserere mei, Deus,* et absolvisti precationem. Qui enim dicit *miserere,*

confessionem offert, et peccatum suum agnoscit; lapsorum enim est misericordiam requirere. Qui dicit, *miserere mei*, remissionem peccatorum accepit; qui enim misericordiam consequutus est, non punitur. Qui dicit, *miserere mei*, regnum caelorum obtinuit; quem enim Deus miseratur, non a poena solum liberat, sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur [1].

242.—Quod sit perseverans. *Petite et dabitur vobis* etc. Quia enim magna et admiranda Christus praecepit, omnibus jussit affectibus esse superiores, ad ipsum caelum adduxit, ac studere praecepit, non ut angelis et archangelis, sed ipsi Domino, quantum fieri licet, similes simus. Discipulos vero non hoc solum perficere, sed et alios emendare jussit, ac discernere inter malos et bonos, inter canes et non canes, multa autem sunt in hominibus occulta, ne dicerent haec dura et intolerabilia esse. Nam in sequentibus haec Petrus loquitur: *Quis potest salvus esse?* Et rursus, *si ita est causa hominis cum muliere, non expedit nubere* (Mt. XIX, 25, 10).

Sed praecepta evangelica precando allevare debemus.

Ne igitur haec etiam nunc dicant, cum jam in praecedentibus ostendisset ea esse facilia, ratiociniis frequentibus adductis, quae id suadere possent, demum facilitatis coronidem apponit, non vulgari excogitata in laboribus consolatione, nempe assiduarum precum auxilio. Non satis enim esse dicit, si id perficere curemus, sed supernum esse auxilium implorandum; quod utique veniet et aderit, inque certaminibus nos juvabit, et omnia facilia reddet.

Ideo petere jussit, ac se daturum spopondit. Verum postulare jussit non obiter sed cum assiduitate et contentione magna. Hoc enim significat illud, *quaerite*.

Nam qui quaerit aliis ex mente eliminatis, rei tantum quaesitae dat operam, nullamque praesentium habet rationem.

Norunt certe illud quotquot vel auro vel servis amissis, haec postea quaerunt.

Illud indicat per vocem illam, *quaerite:* cum vero dicit,

---

1 De Anna serm. 4, nn. 4-6.

pulsate, vehementer et ardenti animo accedendum esse significat.

Ne itaque concidas, mi homo, neque minorem de virtute curam exhibeas, quam de pecuniis. Has quippe saepe quaerens non invenisti; et tamen cum probe scias te forte non inventurum, omnem exploras quaerendi modum: hic vero sponsionem habens te prorsus accepturum esse, ne minimam quidem illius studii partem exhibes.

Si vero non statim accipias, ne desperes. Ideo enim dixit, pulsate, ut ostendat, quamvis non statim aperiat, manendum tamen esse.

Si autem meae non credas sponsioni, saltem huic exemplo crede. *Quis ex vobis,* inquit, *cui si filius petat panem, nunquid lapidem dabit ei* (Mt. VII, 9). Apud homines quidem si frequenter id facias, molestus et onerosus videris: apud Deum autem, si hoc non facias, magis ad iram commoves.

Si autem petendo permaneas, etiamsi non statim accipias, accipies tamen. Ideo namque clausa est janua, ut te ad pulsandum inducat. Ideo non statim annuit, ut petas; mane igitur id agens, et procul dubio accipies.

Ne enim dicas: quid igitur si petam, et non accipiam? Per parabolam te in spe firmavit, ratiociniis rursum usus atque humanis èxemplis te ad fiduciam ea in re sumendam inducens, dum per haec ostendit, non modo petendum esse, sed que petenda sint.

Quis enim ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Itaque si non accipis, ideo non accipis, quia lapidem petis. Etiamsi filius sis, id non sufficit ad accipiendum: imo illud ipsum impedit, quominus accipias, quod filius cum sis, illa petas quae non tibi expediant.

Et tu itaque nihil mundanum petas; sed spiritualia omnia, et certo accipies. Etenim Salomon quia illa petiit quae petere oportebat, vide quam cito acceperit.

Duo igitur observare oportet orantem, ut et vehementer petat, et ea petat quae sibi expediunt: quandoquidem et vos, inquit, etiamsi patres sitis, filios vestros petere sinitis; et si damnosum sit illud quod petunt, negatis; sin utile sit, annuitis et datis.

Tu igitur haec cogitans, ne absistas, donec acceperis; ne recedas donec inveneris; ne studium remittas, donec aperiatur janua. Si enim hoc animo accesseris, dixerisque, nisi recipiam, non abeo, prorsus accipies, si tamen illa petas, quae et ei a quo petis, et tibi expedit ut dentur.

Quaenam porro sunt haec? Si spiritualia petas omnia; si postquam offensas remisisti, sic accedas remissionem petens; si absque ira et disceptationibus sanctas manus attollamus (I Tim. 2, 8). Si sic petamus accipiemus. Nunc vero nostra petitio irrisio est, potiusque ebriorum hominum quam sobriorum.

Quid igitur, inquies, si spiritualia petam, nec accipiam? Non studiose procul dubio postulasti, vel te ipsum indignum fecisti qui acciperes, aut citius quam par erat abscessisti [1].

Post haec autem videtur mihi longas orationes vetare; longas non tempore, sed multitudine et longitudine verborum. Perseverandum enim est eadem ipsa petendo: *orationi instantes* (Rom. XII, 12).

Et ipse Christus exemplo viduae, quae immisericordem et crudelem principem orationis instantia flexit (Lc. XVIII): exemploque amici illius qui intempesta nocte venit, et dormientem a lecto suscitavit, non ex amicitia, sed ex perseverantia (Lc. XI): nihil aliud praescribit quam omnes ipsi supplicare assidue oportere, non per orationem mille versibus constantem, sed simpliciter rem efferre jubet. Illud enim subindicavit his verbis: *Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Ne similes estote illis.

Et si novit, inquies, quid opus habemus, cur oportet orare? Non ut eum doceas, sed ut inflectas; ut supplicationis frequentia illi familiaris evadas, ut humilieris, ut peccatorum tuorum recorderis [2].

243.—Insignia perseverantiae in oratione exempla. Primum sit Isaac exemplum. Considera, obsecro, dilecte, divinae Scripturae diligentiam, quomodo nihil supervacue ponat. Cur enim nobis aetatem Isaac significat et dicit, *erat autem*

---

1 Homil. 23 in Mt. n. 4.
2 Homil. 19 in Mt. n. 4.

Isaac quadraginta annorum quando accepit Rebeccam? Non absque causa, neque temere; sed quia nobis postea Rebeccae sterilitatem narraturus erat, et ex precatione justi procreationem prolis illi concessam fuisse, docere nos cupit magnitudinem patientiae Isaac, et clare indicare quanto tempore liberis caruerit; ut et nos aemulantes justum, assidui simus in divinis precibus, si quando aliquid a Deo petierimus.

Si enim justus ille, ita virtute praeditus, et tanta Dei benevolentia fruens, tantam prae se tulit constantiam et tantum studium, continuo Deum orando, ita ut solveretur Rebeccae sterilitas; quid dicemus nos, qui tantis peccatorum oneribus premimur, et neque minimam virtutis justi partem ostendimus; sed et si parvo tempore studium aliquod et diligentiam exhibuerimus, torpescimus et resilimus, nisi statim exaudiamur?

Propterea oro, ut ex iis quae justo illi evenerunt eruditi, numquam cessemus orare Deum, ut ignoscat nobis peccata, sed fervens et aestuans desiderium ostendamus, et non aegre feramus, neque segniores simus, si non statim audiamur. Fortassis enim Dominus continuam nostram sedulitatem sapienter exercens ita procrastinat, ut mercedem quoque patientiae recipiamus: et quia ipse tempus scit quando nobis utile est assequi quod quaerimus. Neque enim nos ita scimus quid nobis utile, ut ipse evidenter novit, qui etiam abscondita mentis nostrae cognoscit.

Proinde par est, ut nihil curiosius quaeramus, neque scrutemur ea quae a Deo providentur; sed grati admodum simus, et admiremur justorum virtutes.

Deprecabatur autem Isaac pro Rebecca uxore sua, quoniam sterilis erat, et exaudivit eum Dominus. Non quia mox ita subditur et scriptum est, putes eum e vestigio et protinus assequutum esse quod optabat et quaerebat. Nam viginti annis perseveravit orans et deprecans Deum, et tunc tandem assequutus est quod desiderabat. Et unde sciemus hoc? Si diligenter percurramus quae in divina Scriptura continentur. Non nobis tempus absconditum est, sed signavit quidem, latenter tamen, ita ut provocet desiderium nostrum, et ad dignam inquisitionem incitet.

Nam sicut docuit nos annorum numerum quem habuit,

quando Rebeccam duxit, ita et hoc nobis palam fecit. *Erat* enim, inquit, *Isaac annorum quadraginta, quando accepit Rebeccam filiam Batuelis Syri.*

Didicisti diligenter tempus. Deinde postquam dixit, *deprecatus est Isaac pro uxore sua, quia sterilis erat,* ut discamus annorum numerum, assignavit nobis quot annorum fuerit Isaac quando nati sunt ei filii de Rebecca. *Erat enim Isaac,* inquit, *annorum sexaginta, quando peperit Rebecca.* Si igitur quadraginta annorum erat quando illam duxit, sexaginta autem quando peperit uxor, manifestum est eum annis viginti perseverasse orantem Deum, et uterum Rebeccae inutilem generationi, idoneum fuisse.

Vidisti orationis vim, quomodo et naturam ipsam superet? Hunc omnes imitemur, et ita in precibus simus assidui, animoque sobrii et humiles; audiamusque Paulum admonentem et dicentem: *levantes sanctas manus absque ira et disceptatione* (I Tim. II, 8), et studeamus semper liberari a perturbatione, ut mens sit in tranquillo, maxime autem precum tempore, quando multa nobis opus est a Deo benignitate. Nam si nos viderit precari secundum leges ab se positas, statim nobis donorum suorum largitatem liberaliter concedet [1].

244.—Sit deinde exemplum mulieris cananaeae. *Et egressus inde,* nimirum ex terra Genesar, *secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier* (Mt. XV, 21, 22). Miratur Evangelista: *ecce mulier,* vetusta armatura diaboli, quae me de paradiso expulit, mater peccati, princeps praevaricationis; illa ipsa mulier venit, ipsa natura: novum ac stupendum spectaculum, judaei fugiunt, et mulier sequitur. *Et ecce mulier de finibus illis egressa rogabat eum dicens, Domine, fili David, miserere mei.* Evangelista fit mulier, ac divinitatem incarnationemque confitetur: *Domine,* dominationem; *fili David,* incarnationem denotat.

Miserere mei. Vide philosophicam animam. *Miserere mei:* non habeo conscientiam bonorum operum, non rectae vitae

---

1 In Genes. homil. 49, nn. 1-3. Cf. etiam homil. de non evulg. peccat. fratr. nn. 6-9, ubi eamdem rem paulo latius tractat.

fiduciam; ad misericordiam confugio, ubi nullum tribunal, ubi sine examine salus: sic peccatrix et iniqua accedere ausa est. Vide mihi philosophiam mulieris; non rogat Jacobum, non supplicat Joanni, non accedit ad Petrum, nec divisit apostolorum chorum. Non egeo mediatore, sed poenitentiam assumens advocatum, ad ipsum fontem pergo. Ideo descendit, ideo carnem assumpsit, ut ego ipsum alloquar. Sursum cherubim ipsum tremunt, et deorsum meretrix illum alloquitur. *Miserere mei,* nudus sermo, sed salutis immensum pelagus reperit. *Miserere mei;* ideo venisti, ideo carnem assumpsisti, ideo factus es quod ego sum. Superne tremor, et deorsum fiducia. Miserere mei, non egeo mediatore. Quo opus habes? Misericordiam quaero. Quid pateris? *Filia mea male a daemonio vexatur;* natura torquetur, commiseratio exercetur. Egressa est advocata filiae, non affert aegram, sed fidem affert; Deus est, et omnia videt. *Filia mea male a daemonio vexatur.* Gravis luctus; naturae stimulus uterum discidit, in visceribus tempestas. Quid faciam? Perii. Cur non dicis, miserere filiae meae, sed miserere mei? Illa morbi sensum non habet, nescit quid patiatur, dolorem non sentit; doloris, imo et sensus vacuitas est ipsi velum calamitatis. Miserere mei diurnorum malorum spectatricis; domi calamitatis theatrum adest. Quo pergam, in desertum? At non audeo illam solam relinquere. An domi sedeam? Sed intrinsecus est inimicus, tempestas in portu, spectaculum calamitatis. Quo nomine vocabo illam, mortuamne? Sed movetur. Viventem? At nescit quid faciat. Invenire nomen nequeo, quo morbum appellem. *Miserere mei.* Si mortua esset filia mea, non talia paterer; corpus in visceribus terrae deposuissem, et elapso tempore in oblivionem malorum venissem, et ulcus obduxissem: nunc autem cadaver habeo assiduum spectaculum, quod mihi vulnus perennet et dolorem augeat.

Sto spectatrix alienorum malorum, sto natura stimulante, *miserere mei.* Gravis tempestas, aegritudo et timor; aegritudo naturae et timor daemonis. Accedere non possum, neque contingere. Impellit me affectus, abigit timor; *miserere mei.* Cogita mulieris philosophiam. Non adiit magos, non vocavit divinos, non maleficas mulieres mercede conduxit, eas quae

solent daemonas evocare et ulcus augere; sed dimisit diaboli officinam, et accessit ad Servatorem animarum nostrarum. *Miserere mei, filia mea male a daemonio vexatur.* Nostis affectum miserationis, quoquot patres fuistis; juvate me verbis, quotquot matres fuistis. Non possum describere tempestatem, quam sustinuit muliercula illa. *Miserere mei, filia mea male a daemonio vexatur.* Vidisti philosophiam mulieris, vidisti perseverantiam, vidisti virilitatem, patientiam? *Ille vero non respondit ei verbum.* Rem novam! Rogat, obsecrat, calamitatem deplorat, auget tragoediam, afflictionem narrat; et ille hominum amator non respondet. Verbum tacet, fons clausus est, medicus pharmaca retinet. Quid novum, quid admirabile? Ad alios curris, et hanc miseram acurrentem abigis? Sed considera medici philosophiam. *Ille autem non respondit ei verbum.* Quare? Quia verba non examinabat; sed arcana mentis animadvertebat. Ille autem non respondit ei verbum. Quid autem discipuli, quia responsum mulier non obtinebat, accedentes ad eum dicunt: *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Sed tu externum audis clamorem, ego internum; magna est vox oris, sed major mentis.

Dimitte illam; apostoli ad humanum dolorem respiciebant, Dominus autem ad salutem mulieris spectabat. *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Quid igitur Christus? *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.* Cum respondit, illius ulcus auxit; medicus enim erat secans, non ut divideret, sed ut conjungeret.

His auditis illa dixit: *etiam Domine, adjuva me, et adorabat dicens*; ille vero non respondit ei. Sed vide responsionem: *non est bonum sumere panem filiorum, et projicere canibus.* O cura medici! In desperationem deducit eam. *Non est bonum sumere panem filiorum:* quorum? Judaeorum, *et dare canibus,* id est, vobis.

Quid igitur mulier? *Etiam Domine.* O violentia mulieris, o contentio animae! Medicus dicit, *non*; et illa dicit, *etiam*; non incusans aut impudenter agens hoc dicit, sed salutem exspectans. *Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus. Etiam Domine.* Canem me vocas, ego te Dominum voco: tu me contumelia afficis, ego te celebro. *Etiam Domine; nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum*

suorum. O sapientia mulieris, ab allato exemplo sermonem eruit consentaneum. Canem me vocas, ut canis alor. Non respuo opprobrium, non recuso appellationem; accipiam ergo canis alimentum, remque dicit consuetam. Tu verba tua confirma, canem me vocasti, da mihi micam, advocatus petitionis meae factus es, in recusatione consensum tuum ostende. *Etiam Domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.*

Quid igitur ille qui recusabat, qui rejiciebat, qui pellebat, qui dicebat, *non est bonum accipere panem filiorum et projicere canibus,* qui dicebat, *non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel? O mulier magna est fides tua.* An laudator derepente factus es? Mulierem depraedicas, annon repellebas, annon rejiciebas? Confide, ideo distuli. Nam si ab initio illam non repulissem, ejus fidem non edidicisses. Si a principio accepisset, cito recessisset, ejusque thesaurum nemo novisset. Ideo munus distuli, ut ejus fidem omnibus ostenderem.

O mulier, Deus dicit: *o mulier, magna est fides tua!* Audiant ii, qui cum quadam imperitia precantur.

Cum alicui dico, roga Deum, obsecra eum, supplica ei: respondet ille: rogavi semel, secundo, tertio, decies et vigesies, et nequaquam accepi.

Ne cesses, frater, donec accipias: finis petitionis est donum acceptum. Tunc cessa, cum acceperis, imo potius ne tunc etiam cesses, sed adhuc persevera.

Si non acceperis, pete ut accipias; cum autem acceperis, de acepto gratias age.

Multi intrant in ecclesiam, et mille versus orando profundunt et egrediuntur; nec sciunt quid dixerint; labia moventur, nec ipsi audiunt. Tu ipse non audis orationem tuam, et Deum vis exaudire? Flexi, ais, genua; verum mens tua foras avolavit: corpus tuum in ecclasia erat, et cogitatio tua foris vagabatur; os tuum precationem recitabat, sed mens usuras supputabat, pacta, contractus, agros, possessiones, amicorum consortia.

Diabolus enim malignus cum sit, cumque sciat nos tempore precationis admodum proficere, tunc maxime instat. Saepe in lecto supini jacemus, et nihil cogitamus; sed si

precatum veniamus, sexcentas cogitationes immittit, ut fructu vacui recedanus.

Haec cum scias, dilecte, in precationibus accidere, Cananaeam imitare, vir mulierem, alienigenam, infirmam, abjectam, vilem. At non habes filiam a daemone vexatam? Sed habes animam peccatricem. Quid ait Cananaea? *Miserere mei, filia mea male a daemonio vexatur*; dic et tu: miserere mei, anima mea male a daemonio vexatur. Grandis enim daemon peccatum est. Daemoniacus ad misericordiam movet, peccator odio habetur; illi venia conceditur, hic excusatione privatur. Miserere mei, brevis sententia, sed benignitatis pelagus invenit; ubi enim misericordia, ibi bona omnia [1].

Et egressus inde Jesus etc. Cur in partes Tyri et Sidonis profectus est Christus? Quando liberavit eos ab obsecratione ciborum, tunc eadem via progressus, gentibus quoque januam aperit; quemadmodum et Petrus, cum primum jubetur hanc legem solvere, mittitur ad Cornelium (Act. X).

Si quis vero dixerit, cur ergo qui discipulis dicit, *in viam gentium ne abieritis* (Mt. X, 5), hanc ipse viam adit? Primo quidem illud respondebimus, non adstrictum illum iis servandis fuisse, quae discipulis praecepit; secundo, illum non ut praedicaturum illo abiisse, quod subindicans Marcus dicebat, quia occultavit seipsum et non latere potuit.

Sicut enim rerum consequentia postulabat, ut ne ad illos primos accurreret; sic accedentes repellere indignum erat illius benignitate. Nam si fugientes insequi oportebat, multo magis insequentes fugere non decebat.

Vide igitur quomodo omni beneficio digna sit mulier. Neque enim ausa est venire Jerusalem, timens et se re illa indignam reputans. Nisi enim hoc detenta metu fuisset, ventura illo erat, ut ex praesenti vehementia liquet, et ex eo quod fines suos egressa fuerit. Quoniam vero haec allegorice explicantes dicunt, quando ex Judaea egressus est Christus, tunc ad illum accedere ausam esse Ecclesiam, quae et ipsa ex finibus suis egressa est; ait enim, *obliscere populum tuum et domum patris tui* (Ps. 44, 11). Nam Christus ex finibus

---

[1] Homil. de Canan. nn. 4-10.

suis excessit, et mulier quoque ex finibus suis, et sic potuerunt una colloqui.

Ecce enim, ait, *mulier cananaea egressa ex finibus suis.* Accusat mulierem evangelista, ut ostendat miraculum, ipsamque magis praedicet. Etenim cum audis cananaeam, recordare gentium illarum iniquarum, quae etiam leges naturae a fundamentis everterant. Illorum vero recordatus, cogita vim Christi adventus. Qui enim ejecti sunt, ne Judaeos perverterent, hi adeo Judaeis meliores fuerunt, ut etiam egressi ex finibus suis Christum adirent, dum judaei illum ad se venientem repellerent.

Accedens ergo nihil aliud dixit, nisi *miserere mei,* et clamore suo magnum theatrum convocat. Erat enim miserabile spectaculum, mulierem cernere cum affectu tanto clamantem, et mulierem matrem pro filia supplicantem videre, pro filia, inquam, tam male affecta. Neque enim ausa fuit in Magistri conspectum daemoniacam adducere; sed illa domi relicta, ipsa se supplicem sistit, morbumque tantum commemorat, nihil amplius adjiciens; neque medicumdomum attrahit, sicut regulus ille, qui dicebat: *veni et impone manum tuam, et descende antequam moriatur filius meus* (Jo. IV, 49); sed calamitate sua exposita, et morbi magnitudine, misericordiam Domini magno clamore implorat, nec dicit, miserere filiae meae, sed *miserere mei.* Illa quippe morbi sensum nullum habet; ego vero millies discrucior, in sensum aegritudinis venio, et viso morbo insanio.

Ille autem non respondit ei verbum. Quam novum hoc et inauditum! Judaeos et ingratos inducit, et blasphemantes rogat, et tentantes non dimittit; hanc vero quae ad ipsum accurrit, quae rogat et supplicat, quae nec in lege nec in prophetis educata, tantam tamen pietatem exhibet, ne responsione quidem dignatur. Quis non offensus fuisset, famae ipsius rem ita contrariam videns? Audierant enim, ipsum vicos circumeundo morbos curare; hanc vero accedentem depellit. Quem non flexisset morbus talis atque supplicatio, quam emittebat pro filia tam male affecta? Neque enim quasi digna beneficio, et quasi debitum postulans accessit, sed misericordiam petebat, et calamitatem suam tragice narrabat, neque tamen responsione dignatur.

Multi fortasse ex audientibus offensi sunt; illa non item. Ecquid dico ex audientibus; nam puto discipulos ipsos de calamitate mulieris affectos turbatosque fuisse. Neque tamen turbati licet, dicere ausi sunt, hanc illi concede gratiam; sed *accedentes discipuli rogabant eum dicentes: dimitte illam, quia clamat post nos.* Nos enim cum volumus aliquid suadere, contraria saepe dicimus: Christus vero ait: *non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel.*

Quid igitur mulier? An cum haec audisset, tacuit, discessit, aut studium et animum compressit? Minime, immo magis instabat. Verum haud ita nos; sed cum postulata non assequimur, desistimus, cum magis instare par esset. Atqui quem non dejecisset dictum hujusmodi? Ipsum silentium poterat illam in desperationem conjicere; multoque magis responsio talis. Attamen non animo defecit mulier; sed ceu impudentia laudabili usa est.

Distulit Christus illi beneficium concedere, quia non tantam volebat mulieris virtutem latere. Nec exprobantis enim erant ea quae dicebat, sed advocantis, et occultum thesaurum revelantis. Tu vero mihi una cum fide humilitatem quoque mulieris perpende. Ipse namque filios vocavit judaeos; haec vero id non satis habens, dominos appellavit: tantum abfuit, ut de aliena laude doleret. *Etenim catelli,* inquit, *edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum.* Videsne prudentiam mulieris, quomodo nec contradicere audeat, nec aliorum laudi invideat, nec contumeliam aegre ferat? Videsne perseverantiam? Ille dicit, *non est bonum;* illa respondet, *etiam Domine.* Quid ergo Christus? *O mulier, magna est fides tua.* Ideo namque differebat, ut in hanc vocem erumperet, ut mulierem coronaret. *Fiat tibi sicut vis.* Id est, fides tua his majora potest perficere; ceterum *fiat tibi sicut vis.* Haec vox affinis est illi, *fiat caelum, et factum est caelum.* Et sanata est filia ejus ab illa hora. Videsne non parum illam intulisse ad curationem filiae? Ideo non dicit Christus, sanetur filia tua, sed *magna est fides tua, fiat tibi ut vis;* ut discas, non assentationis verba fuisse, sed eximiam fidei virtutem. Rerumque eventui accuratam rei probationem et demonstrationem Christus reliquit. Sanata est, inquit, statim filia ejus.

Tu vero animadverte, quomodo, apostolis superatis nihilque operatis, illa totum perfecit. Tanta res est assiduitas precationis. Nam cum de rebus nostris agitur, mavult a nobis potius rogari, quam ab aliis pro nobis precantibus; quamquam illi majore erant fiducia instructi; sed haec multam perseverantiam exhibuit. Per exitum autem rei discipulis quasi sese purgavit, quod distulisset, et jure se illis rogantibus non annuisse ostendit [1].

245.—Afferamus postremo exemplum paralytici probaticae piscinae. Quaesivit ab eo Christus: *vis sanus fieri;* non ut id disceret, illud enim supervacaneum fuisset; sed ut hujus perseverantiam ostenderet, et ut sciremus ideo ipsum, ceteris omissis, hunc adiisse.

Quid ergo infirmus? Respondit ei: *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Ideo interrogavit, *vis sanus fieri,* ut haec ediscamus.

Stupenda prorsus est paralytici perseverantia: per triginta et octo annos, dum speraret singulis annis ab aegritudine liberari, mansit, nec discessit.

Erubescamus ergo, erubescamus, dilecti, et lugeamus de nostra tanta segnitie. Ille triginta octo annis perseveravit, nec quod volebat acceperat, neque tamen discessit; neque ex negligentia sua non consequutus est; sed aliis impedientibus vimque passus, neque tamen propterea animum despondit: nos vero si decem diebus perseveremus pro re aliqua precantes, nec impetremus, deinde torpemus in eodem adhibendo studio.

Et qui hominibus tam diuturno tempore haeremus, militantes, in aerumnis versantes, servilia ministeria exercentes, et in fine saepe ab illa spe concidimus; apud Dominum nostrum ubi longe major merces sequitur, quam sint ipsi labores, nam *spes,* inquit divus Paulus, *non confundit* (Rom. V, 5), cum eo, quo par esset studio perseverare non sustinemus.

Et quanto non supplicio haec digna fuerint? Nam etiamsi

---

[1] In Mt. homil. 52, a. 53, nn. 2-3.

nihil accepturi essemus, vel hoc ipsum quod frequenter alloqueremur eum, annon bonis innumeris aequiparandum esset? Sed precatio laboriosa et assidua esse debet? Ecquid in virtute non laboriosum est? Vel hoc ipsum, inquies, valde anxium reddit, quod nequitiam voluptas, virtutem labor comitetur; multosque arbitror idipsum quaerere.

Quaenam igitur hujus rei causa est? Initio dedit nobis Deus vitam sollicitudine laboribusque vacuam, dono abusi sumus, atque ex inertia tanto eversi bono, paradisum amisimus. Ideo laboriosam hominibus vitam reddidit, et apud humanum genus hoc fere modo sese purgat: delicias a principio dedi vobis, sed ex lenitate mea deteriores evasistis; ideo laboribus vos sudoribusque addixi. Cum autem ne ille quidem labor vos cohiberet, legem rursus dedit praecepta multa complectentem, ceu cuidam indomito equo frenum et compedes, ut ejus impetum coerceat; sic faciunt equorum domitores. Ideo vita laboriosa instituta est, quia otium nos corrumpere solet [1].

246.—Alia orationis adminicula. Quaeramus virtutes quae nobis salutares et proximo perutiles sunt. Talis est eleemosyna, talis oratio; imo vero haec ab illa vires et alas accipit. *Orationes,* ait angelus, *tuae et eleemosynae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei* (Act. X, 4). Non modo oratio, sed etiam jejunium inde nervos accipit. Si absque eleemosyna jejunes, id pro jejunio non habetur [2].

Genus autem hoc daemoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio (Mt. XVII, 21). Jejunio enim et oratione maxime opus est qui in deliciis vivit, ut ab hoc morbo liberetur.

Sed si fide opus est, inquies, cur opus est et jejunio? Quia cum fide jejunium non parvam addit fortitudinem: angelum ex homine efficit, et cum incorporeis virtutibus pugnat; verum non sufficit illud, sed addi debet oratio, quae etiam praeeat oportet.

Vide ergo quanta bona ex utroque gignantur. Quia enim qui precatur ut decet, et jejunat, non multis indiget; qui

---

[1] In Jo. homil. 36 al. 35, n. 2.

[2] In Mt. homil. 77 a. 78, n. 6.

autem non multis indiget, non pecuniae amans fuerit; qui pecuniae amans non est, ad eleemosynam pronus erit.

Qui jejunat, levior est quasi alatus, vigilanterque orat, malas concupiscentias exstinguit, Deumque placat, elatam animam humiliat. Ideo apostoli fere semper jejunabant.

Qui orans jejunat, binas habet alas, ipsis ventis leviores. Non enim oscitat, non expanditur, nec torpet orando, ut multi solent; sed est igne ardentior, et terra superior: ideoque maxime daemonum hostis et inimicus.

Nihil enim potentius homine probe orante.

Nam si mulier illa (Lc. 18, 5), crudelem judicem, qui nec Deum timebat, nec hominem reverabatur, flectere potuit; multo magis Deum flectet, qui frequenter instat, qui ventri imperat, ac delicias ejicit.

Quod si infirmum tibi corpus est, ut non possis assidue jejunare, at infirmum non est ad orandum, et ad ventris delicias spernendas. Nam si jejunare non potes, at potes non deliciis incumbere; illud autem non parvum est, nec a jejunio multum distat; sed sufficit ad diaboli furorem dejiciendum. Nihil enim ita amat ille, ut gulae delicias et ebrietatem, quae est omnium mater malorum [1].

---

[1] In Mt. homil. 57 a. 58, n. 4.

CAPUT XI. De orationis efficacia, deque effectibus ejus.

Summa: 247-255. *Oratio semper exauditur ad salutem aeternam, non ad voluntatem petentis, neque ad utilitatem temporalem.*—256. *Aliquando Deus exaudit ad vindictam: terribile exemplum.*—257-258. *Curnam Deus aliquando non audiat.*—259-260. *Refelluntur communiores querelae contra efficaciam orationis.*—261-264. *Effectus orationis, solacium animae et remissio peccatorum.*—265. *Oratio miracula etiam aliquando patratur.*

247.—Oratio exauditur ad salutem, non ad voluntatem. Salvum me fac dextera tua, et exaudi me (Ps. 59,7). Dextera tua, Domine, salvum me fac: ita salvum me fac, ut ad dexteram stem. Salvum me fac dextera tua; non salutem temporalem peto, de hac fiat voluntas tua. Ad tempus quid nobis prosit, penitus ignoramus; quid enim oremus sicut oportet, nescimus (Rom. VIII, 26); sed salvum me fac dextera tua, ut et si in tempore isto tribulationes aliquas patiar, transacta nocte tribulationum ad dexteram inveniar inter oves, non ad sinistram inter haedos (Mt. XXV, 33).

Salvum me fac dextera tua et exaudi me (Ps. 59, 7). Quia jam illud peto quod dare vis; non verbis delictorum meorum clamo per diem, ut non exaudias, et nocte ut non exaudias, et non ad insipientiam mihi, sed utique ad commonitionem, addendo saporem de valle

salinarum, ut in tribulatione noverim quid petam: peto autem vitam aeternam; ergo exaudi me, quia dexteram tuam peto. Intelligat ergo Caritas vestra, omnem fidelem habentem in corde verbum Dei cum timore, timentem judicium futurum, viventem probabiliter, ne de illo blasphemetur nomen sanctum, Dominum ejus *multa deprecari secundum saeculum, et non exaudiri; ad vitam autem aeternam semper exaudiri.* Quis enim sanitatem non petat, cum aegrotat? Et tamen forte adhuc aegrotare ei utile est. Potest fieri ut hinc non exaudiaris: *non tamen exaudiris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem.* At vero cum illud petis, ut det tibi vitam aeternam Deus, ut det tibi regnum caelorum Deus, ut det tibi ad dexteram Filii sui stare, cum venerit judicare terram, securus esto, accipies, si modo non accipis: non enim jam venit tempus ut accipias. Exaudiris et nescis: quod petis agitur, etsi nescis in quo agitur. In radice res est, nondum in fructu.

Deus locutus est in sancto suo. Quid times ne non fiat quod Deus locutus est? Si haberes aliquem amicum et sapientem, quomodo diceres: ille locutus est haec, fiat necesse est quod locutus est, vir gravis est, non levitate utitur, non facile de sententia dimovetur, quod promisit fixum est. Sed tamen homo est, qui aliquando, quod promisit, facere vult, et non potest.

De Deo non est quod tu timeas; quia verax est, constat; quia omnipotens est, constat; fallere te non potest, habet unde faciat. Quid ergo times ne decipiaris? Opus est ut tu te non decipias, et perseveres usque in finem, cum daturus est quod promisit [1].

---

[1] Enar. in Ps. 59, nn. 7-8. **Doctrina divi Thomae:** Deus desideria rationalis creaturae adimplet in quantum desiderat bonum. Quando-

248.—*Deus meus, clamabo ad te per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi* (Ps. 21, 4). Dixit hoc Christus utique de me, de te, de illo. Corpus enim suum gerebat, id est, Ecclesiam. Nisi forte putatis fratres, quia quando dixit Dominus: *Pater, si fieri potes, transeat a me calix iste* (Mt. XXVI, 39), mori timebat. Non est fortior miles quam imperator. *Sufficit servo ut sit sicut Dominus ejus* (Mt. X, 25). Paulus dicit, miles regis Christi: *compellor e duobus concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo* (Philip. I, 23). Ille optat mortem, ut sit cum Christo, et ipse Christus timet mortem? Sed quid nisi infirmitatem nostram portabat, et pro his qui adhuc timent mortem in corpore suo constitutis, ista dicebat? Inde erat illa vox, membrorum ipsius vox erat, non capitis, sic et hic: *per diem et noctem clamavi, et non exaudies.*

Per diem et noctem clamavi, et non exaudies (Ps. XXI, 4). Multi enim clamant in tribulatione, et non exaudiuntur: sed ad salutem, non ad insipientiam. Clamavit Pau-

---

que autem contingit quod id quod petitur non est verum bonum, sed apparens, simpliciter autem malum. Non est igitur talis oratio a Deo exaudibilis (C. G. III, cp. 96, I).

Deus rationalis creaturae decenter desiderium implet, inquantum ei appropinquat. Appropinquat autem quis ei per contemplationem, et devotam affectionem, et humilem et firmam intentionem. Illa igitur oratio quae sic Deo non appropinquat, non est a Deo exaudibilis. Unde dicitur: *respexit in orationem humilium* (Ps. 101, 18).

Ratione amicitiae Deus vota piorum exaudit. Qui igitur a Dei amicitia declinat, non est dignus ut ejus oratio exaudiatur. Hinc est quod dicitur: *qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis* (Prov. 28, 9).

Ex hac autem radice procedit quod quandoque aliquis Dei amicus non exauditur, quando pro his rogat qui non sunt Dei amici, secundum illud: *tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi; quia non exaudiam te* (Jer. VII, 16).

Contingit autem quandoque quod aliquis ex amicitia denegat quod petitur ab amico, quia cognoscit hoc ei esse nocivum, vel con-

lus ut auferretur ab eso stimulus carnis: et non est exauditus, ut auferretur, et dictum est ei: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. XII, 9).

Ergo non est exauditus, sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam: ut intelligat homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non poenam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.

Tu autem in sancto habitas, laus Israel. In illis habitas, quos sanctificasti, et quos facis intelligere, quia ad utilitatem quosdam non exaudis, et ad damnationem quosdam exaudis. Ad utilitatem non est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est diabolus. Petiit Job ad tentandum, et concessum est. Daemones petierunt se ire in porcos, et exauditi sunt (Mt. VIII, 31). Daemones exaudiuntur, Apostolus non exauditur; sed illi exaudiuntur ad damnationem. Apostolus non exauditur ad

---

trarium ei magis expedire, ut medicus infirmanti quandoque denegat quod petit, considerans quod non expedit ei ad salutem corporis consequendam.

Unde, cum Deus ex amore quem ad creaturam rationalem habet, ejus desideria impleat per orationem sibi proposita, non est mirandum si quandoque eorum etiam quos praecipue diligit, petitionem non implet, ut impleat quod petenti magis expedit ad salutem; propter quod a Paulo stimulum carnis non amovit, quamvis hoc ter peteret, providens hoc ei esse utile ad humilitatis conservationem (2 Cor. XII, 7). (C. G. III, cp. 96, n. 4).

Voluntas magis est de fine quam de illo quod propter finem petitur; et ideo quando Deus videt non concordare quod petitur cum fine pro quo pie orans petit, magis audit ejus desiderium non faciens quod petitur, quam si faceret.

Finis autem petitionis est salus nostra, et Dei gloria: hoc autem esset contra Dei gloriam, si peccatorem impoenitentem salvaret; et esset contra salutem petentis, si aliquid contrarium suae saluti sibi daretur; et ita exauditur desiderium, et tamen petitum non impetratur, quando aliquis imperseveranter, vel pro alio petit, vel contraria saluti (ib. ad 2).

salutem; *quia non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas, laus Israel.*

Quare non exaudis et tuos? Quare dico ista? Memento-te semper dici, *Deo gratias:* et magna est hic multitudo, et qui non solent venire, venerunt. Omnibus dico, quia in tribulatione positus christianus probatur, si non derelinquit Deum suum. Nam quando bene est homini, desertus est sibi christianus. Ignis intrat in fornacem, et fornax aurificis magni sacramenti res est. Ibi est aurum, ibi est palea, ibi ignis in angusto operatur.

Ignis ille non est diversus, et diversa agit; paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit. In quibus autem habitat Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, tamquam aurum probati. Et si forte quempiam probandum petierit inimicus diabolus, et concessum illi fuerit; sive aliquo dolore corporis, sive aliquo damno, sive amissione suorum, fixum cor habeat in illo qui se non subtrahit, et si quasi subtrahit aurem ploranti, sed apponit misericordiam deprecanti. Novit quid agat qui nos fecit, novit et reficere nos. Bonus est structor qui aedificavit domum, et si aliquid ibi ceciderit, novit resarcire [1].

249.—Non frustra dicit Apostolus omnibus membris Christi: *alter alterum existimantes superiorem sibi, et honore mutuo praevenientes* (Philip. II, 3; Rom. XII, 10). Haec etenim si cogitetis, non eritis apud vos magni. Magis enim cogitare debetis quid vobis desit, quam quid vobis adsit. Quod habes, cave ne perdas; quod nondum habes, supplica ut habeas. In quantis sis minor, tibi cogitandum est, non in quantis sis major. Si enim cogitas quantum praecessisti alterum, time tumorem. Si vero

[1] Enar. II in Ps. 21, nn. 4-5.

cogitas quantum tibi adhuc deest, ingemiscis; et cum ingemiscis, curaris, humilis eris, tutior ambulabis, non praecipitaberis, non inflaberis.

Et utinam possint omnes de una caritate cogitare. Sola est enim, quae et vincit omnia, et sine qua nihil valent omnia, et quae ubicumque fuerit trahit ad se omnia. Ipsa est quae non aemulatur. Quaeris causam? Attende quod sequitur, *non inflatur*. Prior est in vitiis superbia, deinde invidia. Non enim invidia peperit superbiam, sed superbia peperit invidiam. Non enim invidet nisi amor excellentiae. Amor excellentiae superbia vocatur. Cum ergo in ordine prior sit superbia, sequatur autem invidia; Apostolus in laudibus caritatis noluit dicere prius *non inflatur,* et deinde *non aemulatur;* sed prius dixit *non aemulatur,* postea *non inflatur* (I Cor. XIII, 4). Quare hoc? Quia cum dixisset *non aemulatur,* quasi quaesiturus eras causam, quare *non aemulatur,* subdidit, *non inflatur*. Ergo si ideo non aemulatur, quia non inflatur, si inflamaretur, aemularetur. Hoc in vobis crescat, et anima solidatur, quia non inflatur. *Scientia,* ait Apostolus, *inflat* (II Cor. VIII, 1).

Quid ergo, scientiam fugere debetis, et electuri estis nihil scire potius, quam inflari? Ut quid vobis loquimur, si melior est ignorantia, quam scientia? Ut quid vobis disputamus, ut quid ista distinguimus? Ut quid quod nostis admonemus, quod non nostis inferimus, si scientia cavenda est, ne inflet? Ergo amate scientiam, sed anteponite caritatem. Scientia si sola sit, inflat. Quia vero caritas aedificat, non permittit scientiam inflari. Ibi ergo inflat scientia, ubi caritas non aedificat: ubi autem aedificat, solidata est. Non est ibi inflatio, ubi petra est fundamentum.

Quantum autem tentat inflatio, hoc est, elatio, ut proter hoc vitium etiam tantus ille Apostolus appositum sibi esse diceret stimulum carnis, angelum Satanae, a quo colaphizaretur? Qui colaphizatur, caput ejus tunditur, ne erigatur; nam et ibi de scientia metus erat inflationis, hoc est, elationis. Ait enim, in magnitudine revelationum mearum ne extollar. Ibi ergo metuenda erat elatio, ubi magnarum rerum erat revelatio: *in magn tudine revelationum mearum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum a me; et dixit mihi; sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (II, Cor. XII, 7-9). Petit aeger, ut quod ad salutem apponit medicus, cum voluerit aegrotus auferatur.

Medicus dicit: Non. Mordet, sed sanat. Tu dicis: tolle quod mordet. Medicus dicit, non tollo, quia sanat. Tu ad medicum, quare venisti? Sanari, an molestiam non pati? Non ergo exaudivit Deus Paulum ad voluntatem, quia exaudivit ad sanitatem. Nam non est magnum exaudire a Deo ad voluntatem: non est magnum. Ne putetis magnum esse hoc, quando quisque orat, pro magno si exauditur. Quaere quid orat, quaere in quo exauditur. Nam non habeatis pro magno exaudire ad voluntatem: habete pro magno exaudiri ad utilitatem.

Ad voluntatem etiam daemones exauditi sunt, et ad porcos quos petierant, ire permissi sunt. Ad voluntatem etiam princeps eorum exauditus est diabolus, a quo petitus Job tentandus non est negatus, ut esset ille probatus, iste confusus.

Ad voluntatem etiam Israelitae exauditi sunt; et cum adhuc cibus esse in ore ipsorum, nosti quae consecuti

sunt. Noli ergo pro magno habere exaudiri ad voluntatem.

Aliquando Deus iratus dat quod petis, et Deus propitius negat quod petis. Cum vero ea quae Deus laudat, quae Deus praecipit, quae Deus in futuro saeculo promittit, ab illo petis, securus pete, et incumbe, quantum potes, orationibus, ut sumas.

Illa enim propitio Deo conceduntur, illa ejus non ira, sed misericordia largiuntur.

Quando autem petis temporalia, cum modo pete, cum timore pete, illi committe, ut si prosunt det; si scit obesse, non det. Quid autem obsit, quid prosit, medicus novit, non aegrotus [1].

In magnitudine revelationum ne extollar etc. Ecce non est exauditus, ut auferretur ab illo angelus satanae. Sed quare? Quia non ei proderat. Ergo exauditus est ad salutem, quia non est exauditus ad voluntatem. Noverit magnum sacramentum Caritas vestra: quod ideo commendamus vobis, ne excidat vobis in tentationibus vestris. Sancti ad salutem per omnia exaudiuntur, semper exaudiuntur ad salutem aeternam: ipsa desiderant, quia secundum hanc semper exaudiuntur [2].

250.—Sed discernamus exauditiones Dei. Invenimus enim quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad salutem: et rursus quosdam invenimus exauditos ad voluntatem et non exauditos ad salutem. Hoc discernite, hoc tenete exemplum ejus, qui non est exauditus ad voluntatem, sed exauditus ad salutem.

Audi apostolum Paulum: nam ipsam exauditionem ad salutem ostendit illi Deus: sufficit tibi, inquit, gratia

---

[1] Serm. 354 ad contin. nn. 5-7. Cf. Serm. 163, n. 8.
[2] In Epist. I Jo. Tract. VI, n. 6.

mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Rogasti, clamasti, ter clamasti: ipsum semel quod clamasti audivi, non averti aures meas a te: novi quid faciam: tu vis auferre medicamentum, quo ureris: ego novi infirmitatem, qua gravaris. Ergo iste ad salutem exauditus est, ad voluntatem non est exauditus.

Quos invenimus exauditos ad voluntatem, non exauditos ad salutem? Invenimus, putamus, aliquem nequam aliquem impium exauditum a Deo ad voluntatem, non exauditum ad salutem? Si alicujus hominis exemplum posuero, forte dicturus es mihi: tu illum dicis iniquum, nam justus erat: si justus non esset, a Deo non exaudiretur. Talem propositurus sum, de cujus iniquitate et impietate nemo dubitet. Diabolus ipse petiit Job, et accepit (Job. I, 11). Nonne et hic de diabolo audistis: *quia qui facit peccatum ex diabolo est?* (I Jo. III, 8). Non quia ille creavit, sed quia iste imitatur. Nonne de illo dictum est: *in veritate non stetit?* (Jo. VIII, 44). Nonne ipse est antiquus ille serpens, qui per feminam venenum primo homini propinavit? Qui et ipse Job feminam propterea servavit, per quam maritus non consolaretur, sed tentaretur.

Ipse diabolus petiit sanctum virum tentandum et accepit: petiit Apostolus ut auferretur ab eo stimulus carnis et non accepit. Sed Apostolus magis exauditus est, quam diabolus. Apostolus enim exauditus est ad salutem, etsi non ad voluntatem: diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideo enim concessus est iste tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus. Sed hoc, fratres, non tantum in veteribus libris invenimus, sed et in Evangelio. Petierunt daemones a Domino, cum eos excluderet ab homine, ut ire permitterentur in

porcos (Lc. VIII, 32). Non eis posset dicere Dominus ut nec illuc accederent? Non enim si nollet, rebellaturi erant contra regem caeli et terrae. Certi tamen mysterii gratia et certa dispensatione dimisit daemones in porcos, ut ostenderet diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt. Daemones ergo exauditi sunt. Apostolus non est exauditus? An potius quod verius est dicamus: imo Apostolus exauditus est, daemones non sunt exauditi? Illorum voluntas facta est, hujus sanitas perfecta est.

Secundum hoc intelligere debemus, quia Deus etsi voluntati nostrae non dat, saluti dat. Quid si enim hoc petieris quod tibi obest, et medicus novit quia obest tibi? Non enim non te exaudit medicus quando forte tu frigidam aquam petis, et si prodest statim dat: si non prodest non dat. Non exaudivit, an potius ad sanitatem exaudivit, quia voluntati contradixit? Sit ergo in vobis caritas, fratres, sit in vobis, et securi estote: et quando vobis non datur quod petitis, exaudimini, sed nescitis. Multi dati sunt in manus suas malo suo, de quibus dicit Apostolus: *tradidit eos Deus in desideria cordis eorum* (Rom. I, 24). Petiit aliquis, magnam pecuniam, accepit malo suo. Quando illam non habebat, parum timebat; habere illam coepit, praeda factus est potentiori.

Nonne malo suo exauditus est, qui voluit habere unde a latrone quaereretur, quem pauperem nemo quaerebat?

Discite rogare Deum, ut medico committatis, quod ipse novit, faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat. Tu tantum caritatem tene. Nam ille secare vult, urere vult: tu si clamas et non exaudiris in sectione, in ustione et tribulatione, novit ille quousque putre est. Tu jam vis revocet manus, et ille vulneris si-

num attendit: scit quousque perveniat. Non te exaudit ad voluntatem, sed exaudit ad sanitatem.

Certi ergo estote, fratres mei, quia quod ait Apostolus verum est: *Quid enim oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus, quia ipse interpellat pro sanctis* (Rom. VIII, 26). Quid est ipse Spiritus interpellat pro sanctis, nisi ipsa caritas quae in te per Spiritum facta est? Ideo enim dicit iden apostolus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (ib. V, 5).

Caritas ipsa gemit, caritas ipsa orat: contra hanc aures claudere non novit, qui illan dedit. Securus esto, caritas roget: et ibi sunt aures Dei. Non fit quod vis, sed fit quod expedit. Ergo quidquid postulaverimus, inquit, accipiemus ab eo. Jam dixi, si ad salutem intelligas, nulla quaestio est: si non ad salutem, quaestio est et magna, quae te calumniatorem facit Paulo apostolo [1].

251.—Magnam spem Dominus suis promisit sperantibus, dicens, *quia ego ad Patrem vado et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam* (Jo. XIV, 12).

Sic ergo perrexit ad Patrem, ut non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentes. Sed quid est, quodcunque petieritis, cum videamus plerumque fideles ejus petere, et non accipere? An forte propterea quia male petunt? Nam hoc exprobravit apostolus Jacobus dicens: *Petitis et non accipitis eo quod male petatis, ut concupiscentiis vestris insumatis* (IV, 3).

Male ergo usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur unde homo laedatur exauditus, magis metuendum est,

1 In Ep. Jo. I, Tract. VI, nn. 7-8.

ne quod posset non dare propitius, det iratus. Annon videmus Israelitas malo suo impetrasse, quod culpabili concupiscentia petierunt? Concupierant enim carnibus vesci, quibus pluebatur manna de caelo. Fastidiebant quippe quod habebant: et quod non habebant, impudenter petebant: quasi non melius peterent, non ut cibus qui deerat indecenti desiderio praestaretur, sed ut ille qui aderat sanato fastidio sumeretur.

Quando enim nos delectant mala et non delectant bona, rogare debemus potius Deum ut delectent bona quam ut concedantur mala. Non quia malum est carne vesci, cum de hac re loquens Apostolus dicat: *omnis creatura Dei bona est, et nihil abjicienda quod cum gratiarum actione accipitur* (I Tim. IV, 4); sed quia sicut item ipse ait, *malum est hominis qui per offensionem, manducat* (Rom. XIV, 20;) et si hominis effensionem, quanto magis Dei?

Cujus in Israelitis non parva erat offensio, repudiare quod dabat sapientia, et petere id quod inhiabat concupiscentia: quamvis illi nec peterent, sed quia deerat, murmurarent. Sed ut sciremus non Dei creaturam esse culpabilem, sed inoboedientiam contumacem et inordinatam cupiditatem; non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invenit. et Esau primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit [1].

252.—*Oculi omnium in te sperant, et tu das scam illis in opportunitate* (Ps. 144, 15). Prorsus tamquam reficiens aegrotum in opportunitate, quando debet accipere tunc das; et quod debet, hoc das. Itaque aliquando

---

[1] In Jo. Ev. Tract. 73, n. 1.

desideratur ab illo, et non dat, novit horam dandi qui curat.

Quare ista dico, fratres? Ne quis quando forte non fuerit exauditus aliquid justum petens a Deo: nam quando injustum aliquid petit, in poenam suam exauditur; sed aliquid non injustum petens, si forte non fuerit exauditus, non minuatur animo, non deficita, expectent oculi, ejus ad escam, quam ille dat in opportunitate. Quando non dat, ideo non dat, ne obsit quod dat.

Neque enim aliquid injustum petebat Apostolus, quando rogabat ut auferretur ab eo stimulus carnis, angelus Satanae, a quo colaphizabatur; et tamen rogavit et non accepit; quia tempus adhuc erat exercendae infirmitatis, non escae opportunitatis. *Sufficit,* inquit, *tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. XII, 9).

Petiit Job tentandum diabolus, et accepit (Job. II, 9).

Attendite, fratres mei, magnum mysterium, discendum, repetendum, tenendum animo, nunquam obliciscendum, propter abundantiam tentationum in hoc saeculo. Quid dicam? Revera comparandus Apostolus diabolo? Apostolus rogat et non accipit, diabolus petit et accipit. Sed non accepit Apostolus propter perfectionem suam, accepit diabolus ad damnationem suam.

Denique ipse Job accepit sanitatem in opportunitate. Dilatus tamen, ut probaretur et diu sedit in vulnere et multa dixit: et rogabat Deum ut auferrentur ab eo ista, et Deus non auferebat. Citius diabolum exaudivit ad eum tentandum quam ipsum Job ad sanandum. Discite ergo non murmurare adversus Deum, et quando non exaudimini, ne dificiat in vobis quod scriptum est, per singulos dies benedicam te.

Ipse Filius, ipse Unicus pati utique venerat, solvere quod non debebat, mori in manibus peccatorum, sanguine suo delere chirographum mortis nostrae, ad hoc venerat, et tamen ut tibi ostenderet exemplum patientiae, transfiguravit corpus humilitatis nostrae conforme corpori gloriae suae (Philip. III, 21). *Pater,* inquit, *si fieri potest, transeat calix iste a me* (Mt. XXVI, 39).

Et ut impleret, quamvis non acciperet quod petere videbatur, *per singulos dies benedicam te: verum non quod ego volo,* ait, *sed quod tu vis, Pater. Oculi omnium in te sperant, et tu das escam illis in opportunitate. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Etsi non das aliquando, das tamen in opportunitate; differs, non aufers, et hoc in opportunitate.

Justus Dominus in omnibus viis suis. Et quando caedit, et quando curat, justus est, et apud eum iniquitas non est. Denique omnes sancti in tribulationibus constituti, prius justitiam ejus laudaverunt, et sic beneficia petiverunt. Prius dixerunt, justum est quod facis. Sic rogavit Daniel, sic alii sancti: justa sunt judicia tua, bene passi sumus, recte passi sumus (Dan. III, 27; IX, 5). Non dederunt Deo injustitiam, non ei dederunt iniquitatem et insipientiam. Laudaverunt primo flagellantem, et sic senserunt cibantem. *Justus Dominus in omnibus viis suis.* Nemo putet illum injustum, quando mali aliquid forte patitur; sed ipsius justitiam laudet, et suam injustitiam accuset. Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis [1].

253.—*Prope est Dominus omnibus invocantibus eum* (Ps. 144, 18). Et ubi est illud, erit enim cum invocabunt

[1] Enar. in Ps. 144, nn. 19-21.

me, et non exaudiam eos? (Prov. I, 28). Ergo vide quod sequitur: omnibus qui invocant eum in veritate. Nam multi invocant eum non in veritate. Aliud ab illo quaerunt et ipsum non quaerunt.

Quare amas Deum? Quia dedit mihi sanitatem. Istud manifestum est, ipse dedit. Non enim ab ullo est ulla salus, nisi ab illo.

Quia dedit mihi, inquit, uxorem divitem, qui nihil habebam, et servientem mihi. Et hoc ipse dedit, verum dicis. Dedit, inquit, filios et multos et bonos, dedit familiam, dedit omnia bona. Ideo amas? Ideo nihil amplius quaeris? Esto esuriens, adhuc pulsa ad ostium patrisfamilias, habet adhuc quod det. In mendicitate es cum omnibus his quae accepisti, et nescis. Pannosam carnem mortalitatis adhuc portas, stolam illam gloriae immortalitatis nunquid accepisti et quasi jam saciatus non rogas? *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur* (Mt. V, 6).

Ergo si bonus est Deus, quia ista tibi dedit: quanto beatior eris, cum seipsum tibi dederit? Desiderasti tanta ab illo, rogo te, desidera et ipsum. Neque enim vere dulciora sunt ista, quam ille, aut ex aliqua parte comparanda sunt illi. Ergo qui Deum ipsum a quo accepit de quibus gaudet, praeponit his omnibus rebus quas accepit, ipse invocat Deum in veritate. Nam ut noveritis, si talibus hominibus proponatur et dicatur, quid si ista omnia, de quibus gaudes, velit tibi auferre Deus? Jam non amabitur: non erit qui dicat: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (Job. I, 21).

Sed forte cui abstulit, quid dicit? Deus, quid tibi feci? Quare mihi abstulisti, et illis dedisti? Iniquis das,

et tuis tollis. Accusas Deum quasi injustum, et te laudas quasi justum. Convertere, accusa te, lauda illum. Tunc eris rectus, cum in omnibus bonis quae facit, Deus tibi non displicet.

Hoc est invocare Deum in veritate. Qui sic invocant Dominum, exaudit eos: Prope est, id est, nondum dedit quod vis, ibi est tamen.

Quomodo medicus si forte aliquid imponat vel oculo vel visceribus, quod urendo sanet, si roget aeger ut tollatur illi, medicus expectat tempus, non facit quod rogat aeger: non tamen recedit. Et prope est et non facit et ideo magis non facit, quia prope est.

Curando enim imposuit quod imposuit, et curando non facit quod rogatur. Non te exaudit ad praesentem voluntatem, te exaudiendo ad futuram sanitatem. Nam utique sanus esse vult, etiam qui uri non vult.

Prope est ergo Dominus omnibus invocantibus eum. Sed quibus omnibus? Omnibus qui invocant eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet. Faciet, faciet; etsi non faciat ad horam, faciet tamen. Certe, si ideo times Deum, ut tu facias ipsius voluntatem, ecce et ipse quodam modo ministrat tibi, facit voluntatem tuam. Et preces eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Vides ad hoc exaudire medicum, ut salvos faciat. Quando hoc? Audi Apostolum dicentem: *spe enim salvi facti sumus; spes autem quae videtur, non est spes; si autem quod non videmus speramus, per patientiam spectamus* (Rom. VIII, 24).

Salutem scilicet, quam dicit Petrus paratam revelari in tempore novissimo (I Petr. I, 5).

Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet. Videtis quia est apud eum severitas, apud

quem tanta suavitas. Salvos faciet omnes sperantes in se, omnes fideles, omnes timentes se, omnes invocantes se in veritate [1].

254.—Fortasse quaeras cur Apostolus dixerit, *quid enim oremus, sicut oportet, nescimus* (Rom. VIII, 26). Neque enim ullo modo credendum est vel ipsum, vel quibus ista dicebat, Dominicam nescisse orationem. Cur ergo putamus hoc eum dixisse, quod nec temere potuit, nec mendaciter dicere, nisi quia molestiae tribulationesque temporales plerumque prosunt, vel ad sanandum tumorem superbiae, vel ad probandam exercendamve patientiam, cui probatae et exercitatae clarior merces uberiorque servatur, vel ad quaecumque flagellanda et abolenda peccata; tamen nos nescientes quid ista prosint, ab omni tribulatione optamus liberari?

Ab hac ignorantia nec se ipsum Apostolus ostendit alienum, nisi forte quid oraret sicut oportet sciebat, quando in revelationum magnitudine ne extolleretur, datus est illi stimulus carnis, angelus Satanae, qui eum colaphizaret, propter quod ter Dominum rogavit, ut eum auferret ab eo, utique sicut oportet nesciens quid oraret. Denique Dei responsum cur non fieret, quod vir tantus orabat, et quare fieri non expediret, audivit: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

In his ergo tribulationibus quae possunt et prodesse et nocere, quid oremus sicut oportet nescimus: et tamen quia dura, quia molesta, quia contra sensum nostrae infirmitatis sunt, universali humana voluntate, ut a nobis haec auferantur, oramus.

---

1 Enar. in Ps. 144, nn. 22-24.

Sed hoc devotionis debemus Domino Deo nostro, ut si ea non abstulerit, non ideo nos ab eo negligi existimemus, sed potius pia patientia malorum, bona speremus ampliora: sic enim virtus in infirmitate perficitur.

Nonnullis quippe impatientibus Dominus Deus quod petebant concessit iratus, sicut contra Apostolo negavit propitius. Nam legimus Israelitae quid et quomodo rogaverint et acceperint (Num. XI, 33), sed expleta concupiscentia, impatientia est graviter castigata.

Dedit et regem petentibus secundum cor eorum (I Reg. 8, 7) sicut scriptum est, non secundum cor suum.

Dedit etiam quod diabolus postulavit, ut probandus ejus famulus tentaretur (Job. I, 12). Exaudivit rogantes et immundos spiritus ut in multos sues legio daemonum mitteretur (Lc. VIII, 32).

Haec scripta sunt, ne forte se quisque magnipendat, si fuerit exauditus, cum aliquid impatienter petit, quod non impetrare plus prosit: aut se abjiciat, et de divina erga se miseratione desperet, si non exaudiatur, cum forte aliquid petit, quo accipiendo affligatur atrocius vel a prosperitate corruptus penitus evertatur.

In talibus ergo quid oremus sicut oportet nescimus. Unde si aliquid contra quam oramus acciderit, patienter ferendo, et in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minime dubitare debemus. Nam et hujusmodi exemplum praebuit nobis ille Mediator, qui cum dixisset, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (M. XXVI, 39), humanam in se voluntatem ex hominis susceptione transformans, continuo subjecit, *verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.* Unde non immerito per

unius oboedientiam justi constituuntur multi (Rom. V, 19)[1].

[1] Epist. 130, nn. 25-26. **Aliquando Deus negat quod petitur et concedit aliquid melius.** Egisti mecum ut mihi persuaderetur Romam pergere, et potius ibi docere quod docebam Carthagine. Et hoc unde mihi persuasum est non praeteribo confiteri tibi, quoniam et in his altissimi tui recessus, et praesentissima in nos misericordia tua cogitanda et praedicanda est.

Verum tu, *spes mea et portio mea in terra viventium* (Ps. 141, 6), ad mutandum terrarum locum pro salute animae meae, et Carthagini stimulos quibus inde avellerer, admovebas, et Romae illecebras quibus attraherer, proponebas mihi per homines, qui diligunt vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes; et ad corrigendos gressus meos utebaris occulte et illorum et mea perversitate. Nam et qui perturbabant otium meum, foeda rabie caeci erant; et qui invitabant ad aliud, terram sapiebant. Ego autem qui detestabar hic veram miseriam, illic falsam felicitatem appetebam.

Sed quare hinc abirem, et illuc irem, tu sciebas, Deus; nec indicabas mihi, nec matri, quae me profectum atrociter planxit et usque ad mare secuta est. Sed fefelli eam violenter me tenentem, ut aut revocaret, aut mecum pergeret; et finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto navigaret. Et mentitus sum matri, et illi matri, et evasi: quia et hoc tu dimisisti mihi misericorditer, servans me ab aquis maris plenum execrandis sordibus usque ad aquam gratiae tuae, qua me abluto siccarentur flumina maternorum oculorum, quibus pro me cotidie tibi regabat terram sub vultu suo.

Et tamen recusanti sine me redire vix persuasi, ut in loco, qui proximus nostrae navi erat memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. Sed ea nocte clanculo ego profectus sum: illa autem remansit orando et flendo.

Et quid a te petebat, Deus meus, tantis lacrimis, nisi ut navigare me non sineres? Sed tu alte consulens, et exaudiens cardinem desiderii ejus, non curasti quod tunc petebat, ut in me faceres quod semper petebat.

Flavit ventus, et implevit vela nostra, et littus subtraxit aspectibus nostris: in quo mane illa insaniebat dolore, et querelis ac gemitu implebat aures tuas contemnentis ista: cum et me cupiditatibus meis raperes ad finiendas ipsas cupiditates, et illius carnale desiderium justo dolorum flagello vapularet. Amabat enim secum praesentiam meam more matrum, sed multis multo amplius; et nesciebat quid tu illi gaudiorum facturus esses de absentia mea. Nesciebat, ideo flebat et ejulabat, atque illis cruciatibus arguebatur in ea reliquiarium Evae, cum gemitu quaerens quod cum gemitu pepererat. Et tamen post accusationem fallaciarum et crudelitatis meae, conversa rursus ad deprecandum te pro me, abiit ad solita, et ego Romam (Confes. Lib. V, cap. 8).

Et ecce excipior ibi flagello aegritudinis corporalis, et ibam ad

Cum itaque non exaudimur ad temporalia bona retinenda vel adipiscenda, quando pro his deprecamur Deum, in eo quod nos non exaudit, derelinquit nos; sed ad potiora quae vult ut intelligamus et praeferamus et

---

inferos, portans omnia mala, quae commiseram et inte, et in me, et in alios, multa et gravia super originalis peccati vinculum quo omnes in Adam morimur. Non enim quidquam eorum mihi donaveras in Christo: nec solverat ille in cruce sua inimicitias, quas tecum contraxeram peccatis meis. Quomodo enim eas solveret in cruce phantasmatis, quod de illo credideram? Quam ergo falsa mihi videbatur mors carnis ejus, tam vera erat animae meae: et quam vera erat mors carnis ejus, tam falsa vita animae meae, quae, id non credebat. Et ingravescentibus febribus jam ibam et peribam. Quo enim irem, si tunc hinc abirem, nisi in ignem atque tormenta digna factis meis in veritate ordinis tui?

Et illa hoc nesciebat; et tamen pro me orabat absens. Tu autem ubique praesens, ubi erat exaudiebas eam: et ubi eıam miserebaris mei, ut recuperarem salutem corporis mei, adhuc insanus corde sacrilego. Neque enim desiderabam in illo tanto periculo baptismum tuum, et melior eram puer, quando illum de materna pietate flagitavi, sicut jam recordatus atque confessus sum. Sed in dedecus meum creveram, et consilia medicinae tuae demens irridebam, qui me non sivisti talem bis mori. Quo vulnere si feriretur cor matris, numquam sanaretur. Non enim satis eloquor quid erga me habebat animi, et quanto majore sollicitudine me parturiebat spiritu, quam carne pepererat.

Non itaque video quomodo sanaretur, si mea talis illa mors transverberasset viscera dilectionis ejus. Et ubi essent tantae preces et tam crebrae sine intermissione? Nusquam nisi ad te. An vero tu, Deus misericordiarum, sperneres cor contritum et humiliatum viduae castae ac sobriae, frequentantis eleemosynas, obsequentis atque servientis sanctis tuis, nullum diem praetermittentis oblationem ad altare tuum; bis in die, mane et vespere ad ecclesiam tuam sine ulla intermissione venientis, non ad vanas fabulas et aniles loquacitates, sed ut te audiret in tuis sermonibus, et tu illam in suis orationibus? Hujusne tu lacrimas, quibus non a te aurum et argentum petebat, nec aliquod nutabile aut volubile bonum, sed salutem animae filii sui; tu cujus munere talis erat, contemneres et repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam, Domine. Immo vero aderas, et exaudiebas, et faciebas ordine quo praedestinaveras esse faciendum. Absit ut tu falleres eam in illis visionibus et responsis tuis, quae jam commemoravi, et quae non commemoravi, quae illa fideli pectore tenebat, et semper orans tamquam chirographa tua ingerebat tibi.

Dignaris enim, quoniam in saeculum misericordia tua, eis quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri (ib. cap. IX).

concupiscamus, non nos derelinquit. Unde sequitur psalmus et dicit, *clamavi ad te per diem, nec exaudies, et nocte,* etiam hic subauditur nec exaudies. Sed vide quid adjungit: *et non ad insipientiam mihi.* Hoc ergo dicit: non me quidem exaudies clamantem per diem, id est, in rebus prosperis, ut eas non amittam; et nocte, id est, in rebus adversis, ut prospera quae amissa sunt, redeant; verum hoc mihi non ad insipientiam facies, sed potius ut sapiam quid jam per Novi Testamenti gratiam a te expectare, quid desiderare quid poscere debeam. Clamo quippe ego ut mihi bona temporalia non auferantur. Tu autem in sancto habitas laus Israel. Nolo ut derelinquas concupiscentiam meam, qua carnalem felicitatem requiro. Verum haec est in sordibus vetustatis, tu autem quaeris munditiam novitatis, non exaudiendo istam cupiditatem relinquis, quia caritatem in qua habites, requiris. Caritas autem Dei diffunditur in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis (Rom. V, 5). Ideo in sancto habitas laus Israel; laus videntium te, quia non in se laudantur, sed in te [1].

255.—*Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.* Perveniant ad aures tuas verba oris mei, quia non florem Ziphaeorum a te desidero [2]. Tu percipe,

---

[1] Epist. 140, n. 19.

[2] Quid ergo Ziphaei, quaerit paulo ante Augustinus? Vicus quidam erat Ziph, cujus habitatores Ziphaei, in quorum regione se absconderat David, cum eum vellet Saul invenire et occidere. Isti ergo Ziphaei cum hoc cognovissent, prodiderunt eum regi persecutori, dicentes: *nonne ecce David absconditus est apud nos* (I Reg. XXIII)? Nihil quidem profuit illis proditio eorum, et ipsi David nihil obfuit.

Si quaeramus quid interpretentur Ziphaei, invenimus *florentes.* Florentes dicuntur filii saeculi divites. Pecuniam temporalem illi appellant divitias, qui nisi temporaliter florere non possunt, nec in aeternum sibi ex his amicos facere volunt; quia veras divitias non noverunt. Has ergo divitias sola iniquitas putat, florens ad tempus ut foenum. Hi sunt Ziphaei inimici David, florentes in saeculo (nn. 1-2).

nam Ziphaeis etsi sonet oratio mea, non audiunt, quia non intelligunt. Temporalibus quippe gaudent, bona aeterna desiderate non norunt.

Ad te perveniat oratio mea, ex desiderio aeternorum tuorum beneficiorum excussa et jaculata ad aures tuas emitto eam, adjuva eam ut perveniat, ne dificiat in itinere medio, et quasi collapsa corruat. Sed etsi non mihi eveniunt, modo bona quae postulo, securus sum tamen quia postea venient. Nam et in delictis dicitur quidam rogasse Deum, et non exauditus bono suo.

Desideria enim saecularia incitaverant illum ad orandum et in tribulationibus temporalibus positus optaverat ut transirent tribulationes temporales, et ait: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Vox ipsa Christi est, sed pro membris suis. Verba, inquit, delictorum meorum, clamavi ad te per diem, nec exaudisti: et nocte, et non ad insipientiam mihi (Ps. XXI, 2, 3). Id est, et nocte clamavi et non exaudisti: et tamen hoc quod non exaudisti, non ad insipientiam mihi non exaudisti, ut intelligerem quid a te petere deberem.

Ea enim petebant quae malo meo fortassis acciperem. Petis divitias, o homo, quanti sunt eversi per divitias suas! Unde scis utrum tibi sint profuturae divitiae? Nonne multi pauperes tutius latebant; divites facti, mox ut lucere coeperunt, praeda fortioribus fuerunt? Quanto melius laterent, quanto melius nescirentur, qui coeperunt quaeri, non propter quod erant, sed propter quod habebant?

In his ergo temporalibus, fratres, admonemus vos et exhortamur in Domino, ut non petatis aliquid quasi fixum, sed quod vobis Deus expedire scit. Quid enim vobis expediat, omnino nescitis. Aliquando quod putatis

prodesse, obest: et quod putatis obesse, hoc prodest: aegri enim estis, nolite medico dictare quae vobis medicamenta velit apponere.

Si Doctor Gentium Paulus dicit: *quid enim oremus sicut oportet nescimus* (Rom. VIII, 26), quanto magis nos? Qui tamen cum sibi videretur ipse prudenter orare, ut ab eo auferretur stimulus carnis, angelus Satanae, qui eum colaphizabat, ne in magnitudine revelationum extolleretur, quid audivit a Domino? Nunquid factum est quod volebat? Non, ut fieret quod expediebat. Quid ergo audivit a Domino? *Ter,* inquit, *rogavi Dominum, ut auferret eum a me, et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur* (I Cor. XII, 7-9).

Ego medicamentum ad vulnus posui: quando posuerim novi: quando auferendum sit novi. Non recedat aegrotus a manibus medici, non det consilium medico. Ita sunt ista omnia temporalia. Tribulationes sunt, si bene colis Deum, noveris quia novit quid cuique expediat: prosperitates sunt, magis cave, ne ipsae corrumpant animum tuum, ut ab eo qui haec dedit recedat. Ergo iste intelligens quid ait? Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei [1].

---

[1] Enar. in Ps. 53, n. 5. Subjungimus per modum notae sermonem XVII, inter ineditos recensitum, ubi ceu compendium habetur rationum, quare Deus aliquando non audit orantem, etiam sanctum, etiam apostolum. Sententiae certo augustinianae sunt. En modo textus.

Largitor virtutum et remunerator meritorum, Dominus Jesus Christus, sciens humanam naturam nihil boni in se habere posse, nisi per ejus gratiam, qui ait: *sine me nihil potestis facere* (Jo. XV, 5), ad instantiam orandi et importunitatem petendi nos alibi hortatur, et admonet dicens: *petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (Jo. XVI, 24). Et ne aliquis impetrare se posse quod postulat dubitaret, si tamen in oratione non deficiat, magnam fiduciam petentibus in exordio hujus lectionis exhibuit, dicens: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ubi notan-

256.—Aliquando Deus exaudit ad vindictam: exemplum terribile. Hesterno die libellum promisimus Caritati vestrae, ubi de illo sanato a beato Stephano audire etiam possitis, quae videre non potuistis. Si ergo placet Caritati vestrae, immo quia placere debet, quod et mihi placet, ambo fratres stent in conspectu vestro; ut qui illum non viderant, in isto videant quid ille patiebatur.

---

dum quia cum nos ad petendum hortatur Dominus, sua gratuita dona, nostra vult esse merita. Et ideo quamvis sciat quid nobis necesse sit, antequam petamus eum, ut inveniat in nobis quod juste remuneret, ad petendum nos invitat, dicens: *omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur* (Mt. VII, 8).

Sed forte movet minus intelligentes, quare dicat, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; cum legamus non solum inferiores quosque, sed etiam Paulum apostolum, qui summae perfectionis fuit, aliquid petiisse et non impetrasse.

Sed ut veridica Domini promissio nobis clarius eluceat, libet diversas personas petentium inspicere, et causas impetrandi vel non impetrandi discernere. Aliquando enim solet contingere, ut in oratione bona petantur, sed quia mali sunt qui petunt, a Deo exaudiri non merentur. Superflue namque se exaudiri a Domino putant in suis orationibus, qui eum audire contemnunt in suis sermonibus, propheta testante, qui ait: *qui obturat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis* (Is. XXXIII, 15).

Aliquando vero carnales carnalia petunt, et ideo a Domino non exaudiuntur. Quibus per beatum Jacobum apostolum dicitur: *petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris permaneatis* (IV, 3).

Aliquando boni bona petunt, sed illorum mala merita pro quibus petunt, eis obsistunt, ne exaudiantur; quales erant illi pro quibus Jeremiae a Domino dicitur: tu vero noli orare pro populo hoc, et non assumas pro eis laudem et orationem, neque obsistas mihi, quia non exaudiam te (Jer. VII, 16). Et iterum: *si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum* (Jer. XV, 1). Nec tamen putandum est quod a fructu mercedis privemur, quoties pro iniquis orantes exaudiri non meremur, quia et si illi non sunt digni accipere, pro quibus petimus, nobis tamen pro bona intentione merces recompensabitur. Unde non dixit simpliciter, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit*; sed cum additamento, *dabit vobis*, quod est dicere: et si illi non merentur accipere, pro quibus petitis, vobis tamen pro affectu caritatis merces retribuetur, sicut Psalmista ait: *et oratio mea in sinu meo convertetur* (Ps. 34, 13).

Aliquando sancti sancta petunt, sed quia eorum petitio in praesenti non impletur, restat ut in futuro impleatur; sicut universalis

Stent ergo ambo, unus cui donata est gratia, et alter cui petenda est misericordia.

Exemplar libelli a Paulo dati Augustino Episcopo.

Rogo, Domine beatissime Pape Augustine, ut hunc libellum meum, quem ex praecepto tuo obtuli, sanctae plebi jubeas recitari.

Ecclesia cotidie in oratione postulat dicens: *adveniat regnum tuum*, quod regnum non finita oratione advenit, tamen post universale judicium sine dubio creditur venturum.

Aliquando sancti cum in oratione contraria animae suae ignoranter petunt, occulto judicio Dei non ad voluntatem, sed ad salutem exaudiuntur. Multo enim salubrius est exaudiri ad salutem quam ad voluntatem.

Quod ut manifestius intelligatur, duos in medio ponamus, unum malum et alterum bonum, ita tamen ut bonus petisse legatur, et non impetrasse, malus autem petisse et impetrasse. Sed ne aliquis tacita conscientia dicat, fieri posse illum ante oculos Dei justum esse, qui est exauditus, et illum injustum, qui non est exauditus, talis in malo proponendus est, cujus malitiam nullus ignoret, et talis in bono, de cujus sanctitate nullus dubitet, Paulus scilicet apostolus, et diabolus.

Quis enim diabolum auctorem malitiae esse neget, maxime cum per beatum Job de eo dicatur: *omne sublime videt, et ipse est rex super omnes filios superbiae* (XLI, 25)? Quis vero Paulum apostolum post conversionem sanctum fuisse dubitet, maxime cum ipse judex de eo testatur dicens: *vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram regibus, et gentibus, et filiis Israel* (Act. IX, 15).

Et tamen diabolus petiit et impetravit; Apostolus autem petiit et non impetravit. Petiit diabolus, ut substantiam Job laederet, et audivit: *ecce universa quae habet, in manu tua sunt* (Job. I, 12): petiit Apostolus, ut auferretur ab eo stimulus carnis suae, et non impetravit.

Quis ergo horum magis exauditus est, diabolus, an Apostolus? Diabolus exauditus est ad voluntatem, non tamen ad salutem, quia inde deterior effectus est, unde sancto viro damnum inferre conatus est. Apostolus vero non est exauditus ad voluntatem, sed ad salutem, quia non expediebat illi, ut stimulus carnis suae ab eo auferretur, qui ob custodiam humilitatis ei datus fuerat, sicut ipse dicit (II Cor. XII).

Quicumque ergo fide non dubitans ea, quae ad salutem animae suae pertinent, perseveranter petit, sine dubio exauditur, aut in praesenti aut in futuro. Unde bene dicitur, *in nomine meo*. Nomen vero ejus Jesus est, id est, Salvator, sive salutaris. Ille ergo in nomine Jesu petit, qui animae suae salutem quaerit.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Numquid non

Cum adhuc in patria nostra Caesarea Cappadociae moraremur, frater noster natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecit injuriis, in tantum ut etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos

---

ante petierunt apostoli dicentes: *Domine, dic nobis, quando haec erunt, vel quod signum adventus tui* (Mt. XXIV, 3)? Et his similia fecerant utique, sed quod ait, *usque modo non petistis quidquam in nomine meo*, duobus modis intelligi potest; sive non petistis quidquam, quia me aequalem Patri non credidistis, ut in nomine meo peteretis; sive certe non petistis quidquam, quia ad comparationem eorum quae petere debuistis, nihil sunt quae petistis. Fragiles namque mentes Apostolorum ante passionem, prius terrena et transitoria petere noverant, sicut de duobus filiis Zebedaei, qui persuaserunt matri, ut peteret ab eo, ut unus sederet a dextris, et alter a sinistris in regno ejus (Mt. XX). Sed quia ad comparationem eorum quae petere debuerant, nihil erant quae petebant, protinus audierunt: *nescitis quid petatis*. Terrena namque et transitoria aeternae felicitati comparata, nihil sunt aestimanda. Sed quia hactenus ad ea, quae aeterna sunt, petenda pigri fuerant, Domini sermonibus ad petendum incitantur, cum dicitur, *petite*, et ne se accepturos dubitarent, recte subjungitur, *et accipietis*.

Quid autem principaliter petere deberent, manifestatur cum subinfertur; *ut gaudium vestrum sit plenum*. Ubi ordo verborum talis est: petite, ut gaudium vestrum sit plenum, et accipietis. In quo loco ostenditur, quia in oratione non aurum, non argentum, non terrenas divitias, non praesentis vitae longitudinem petere debemus, sed vitam aeternam, et ea quae ad illam pertinent, id est, virtutes animae. Plenum enim et perfectum gaudium esse non potest, ubi fragilitatis mutabilitas ita variatur, ut vix per unius horae spatium gaudium nobiscum permanere possit. Subito enim laetitia a tristitia absorbetur, gaudium in dolorem vertitur, sanitas infirmitate laeditur, ampla possessio paupertate tenuatur, prosperitas adversitate prosternitur; juventus ad senectutem, vita currit ad mortem. Cum ergo dicit, petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum, illam singularem et beatam vitam nos petere admonet, ubi est laetitia sine tristitia, gaudium sine dolore, securitas sine timore, vita sine morte; quam qui adepti fuerint gaudium et laetitiam obtinebunt, et fugiet ab eis dolor et gemitus (Is. XXXV, 10); quando implebitur quod Dominus alibi promittit, dicens: *iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (Jo. XVI, 22). Hanc devotus ille supplicator specialiter concupierat, cum dicebat: *unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae; ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus* (Psalmo XXVI, 4). Et iterum, *credo videre bona Domini in terra viventium* (Serm. 17 inter ined. nn. 1-7).

omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri nostro pro matre nostra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem feminei doloris stimulis incitata, injuriosum filium maledicendo punire constituit. Cumque ad sacri baptismatis fontem post gallorum cantus memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret, tunc ei nescio quis in patrui nostri similitudine, ut intelligitur, daemon occurrit, et ab ea prior quo pergeret requisivit. Cui illa ad maledicendum filio suo ob intolerabilem contumeliam se ire respondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde insaniente locum facile invenire potuit, ut omnibus malediceret, persuasit.

Illa autem vipereis inflamata consiliis, sacrum fontem provoluta corripuit, et sparsis crinibus nudatis ue uberibus hoc a Deo potissimum postulavit, ut extorres patria et circumeuntes alienas terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo.

Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur, eumdemque continuo fratrem nostrum aetate culpaque majorem tremor membrorum tantus invasit, quantum in me usque ante hoc triduum vestra Sanctitas vidit.

Servato autem ordine, quo nati eramus, intra unum annum eadem nos poena omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam pervenisse, impietatis suae conscientiam et opprobrium hominum diutius ferre non potuit; sed laqueo guttur astringens, luctuosam vitam termino funestiore conclusit.

Egressi ergo nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, et communem patriam relinquentes passim sumus per diversa dispersi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui nascendi quoque ordine primum se-

quitur ad gloriosi martyris Laurentii Memoriam, quae apud Ravennam nuper collocata est, sicut audivimus, meruit sanitatem. Ego autem qui nascendi ordine sum sextus illorum cum hac sorore mea, quae me aetate subsequitur, ubicumque gentium, ubicumque terrarum loca esse sacra, in quibus operaretur Deus miracula, compe- rissem, magno desideratae sanitatis amore carpebam iter. Sed ut de ceteris celeberrimis sanctorum locis taceam; etiam ad Anconam, Italiae civitatem, ubi per gloriosissimum martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perveni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco divina praedestinatione servabar.

Nec Uzalim civitatem Africae praetermisi, ubi beatus martyr Stephanus magna praedicatur frequenter operari. Verumtamen ante hos tres menses, id est, Kalendarum januariarum die, tam ego quam soror mea, quae hic mecum est, eadem adhuc passione detenta, evidenti sumus visione commoniti. Ait enim mihi quidam aspectu clarus, et candido crine venerabilis, quod intra tertium mensem desiderata esset mihi sanitas affutura. Sorori autem meae in visione Sanctitas tua in ea effigie, in qua te praesentes videmus, apparuit, per quod nobis significatum est, ad istum locum nos venire debuisse. Nam et ego beatitudinem tuam saepius postea videbam per alias civitates in itinere, quo veniebamus, talem prorsus, qualem modo conspicio.

Admoniti ergo evidenti auctoritate divina, ad hanc venimus civitatem ante dies ferme quindecim. Passionis meae vel oculi vestri testes sunt, vel miserabilis soror mea quae ad eruditionem omnium communis mali praebet exemplum; ut qui in illa qualis ego fuerim vi-

dent, in me quantum per Spiritum sanctum suum Dominus sit operatus, agnoscant. Orabam ego cotidie cum magnis lacrimis in loco ubi est Memoria gloriossisimi martyris Stephani. Die autem dominico Paschae, sicut alii qui praesentes erant, viderunt, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, subito cecidi. Alienatus autem a sensu, ubi fuerim nescio. Post paululum assurrexi, et illum tremorem in corpore meo non inveni.

Huic itaque tanto Dei beneficio non ingratus, hunc libellum obtuli, in quo etiam quae de nostris calamitatibus ignorabatis, et quod de mea incolumitate et salute cognovistis, exhibui; ut et pro mea sorore orare dignemini, et pro me agere Deo gratias [1].

Misericordiam quidem Dei, fratres, sicut credendum est, omnes isti fratres, quos una Dei ira materna plaga percussit, ad hujus de quo gaudemus, quandoque perventuri sunt sanitatem.

Verumtamen discant filii obsequi, timeant parentes irasci. Scriptum est: *benedictio patris firmat domum filiorum; maledictio matris eradicat fundamenta* (Eccli. III, 11). Modo isti per terras in fundamentis patriae suae non sunt, praebent ubique spectaculum, proponunt suum supplicium, praebent oculis miseriam suam, terrent superbiam alienam. Discite, filii, quod dicit Scriptura, reddere honorem parentibus debitum.

Oravit mater contra filios, exaudita est; quia Deus vere justus est, quia vere injuriam passa fuerat. Unus ipsorum et verba contumeliosa et manus injecerat; et ceteri matris injuriam patienter tulerunt, nec unum pro ea verbum contra fratrem, responderunt. Justus Deus qui audivit precantem, audivit dolentem. Sed quid illa

---

1 Serm. 322 de S. Steph.

misera? Nonne unde citius exaudita, inde plus punita? Discite hoc petere a Deo, ubi non timeatis exaudiri.

Nos autem, fratres, satagamus Domino Deo nostro gratias referre pro illo qui sanatus est; et pro illa quae adhuc tenetur, preces fundamus. Benedicamus Deum, qui dignos nos habuit, ut hoc videremus. Quid enim sumus, quia ego apparui istis nesciens? Illi enim me videbant, et ego nesciebam; et admonebantur, ut ad istam civitatem venirent. Quis sum ego? Homo sum unus de multis, non de magnis.

Et cum haec diceret Augustinus, populus de Memoria sancti Stephani clamare coepit, *Deo gratias, Christo laudes.* In quo continuo clamore, puella quae curata est, ad absidam perducta est. Qua visa, populus cum gaudio et fletu, nullis interpositis sermonibus, sed solo strepitu interposito, aliquandiu clamorem protraxit, et silentio facto: *dixi, proloquar adversum me delictum meum Domino Deo meo, et tu dimisisti impietatem cordis mei* (Ps. 31, 15). Proloquar et tu dimisisti. Commendavi istam miseram, imo ex misera, commendavi eam vestris orationibus. Disposuimus orare, et exauditi sumus. Sit gaudium nostrum actio gratiarum. Citius exaudita est mater Ecclesia, quam in perniciem maledicta mater illa [1].

257.—Curnam Deus aliquando non audiat. Catholica fides habet, quod Patris et Filii opera non sunt separabilia. Hoc est quod volo, si possum, loqui Caritati vestrae; sed secundum illa verba Domini, *qui potes capere capiat.* Qui autem capere non potest, non mihi adscribat, sed tarditati suae, et convertat se ad illum qui cor aperit, ut infundat quod donat. Postremo et si quisquam propte-

[1] Serm. 323 de S. Steph.

rea non intellexerit, quia non a me sic dictum est ut dici debuit, ignoscat humanae fragilitati, et supplicet divinae bonitati. Habemus enim intus magistrum Christum. Quidquid per aurem vestram, et os meum capere non potueritis, in corde vestro ad eum convertimini, qui et me docet quod loquor, et vobis quemadmodum dignatur distribuit. Qui novit quid det et cui det, aderit petenti, et aperiet pulsanti. Et si forte non dederit, nemo se dicat desertum. Forte enim aliquid dare differt, sed neminem esurientem relinquit. Si enim non dat ad horam, non contemnit petentem [1].

258.—*Oculi Domini super justos.* Noli ergo timere, labora, oculi Domini super te sunt. *Et aures ejus ad preces eorum* (Ps. 23, 16). Quid vis amplius.

Si murmurantem servum in domo magna non audiret paterfamilias, quereretur et diceret: quanta hic patimur et nemo nos audit. Nunquid dicis illud de Deo, quanta patior, et nemo me audit? Si audiret me, forte dicis, tolleret mihi tribulationem; clamo, et tribulor.

Tantum tu tene vias ejus, et quando tribularis audit te. Sed medicus est, adhuc putre habes nescio quid. Clamas, sed adhuc secat, et non tollit manum, nisi secuerit quantum videtur. Etenim medicus crudelis est, qui exaudit hominem, et parcet vulneri et putredini.

Matres quomodo fricant in balneis ad salutem filios? Nonne parvuli clamant inter manus earum? Illae ergo crudeles sunt, ut non parcant, non exaudiant lacrimas? Nonne plenae sunt pietate? Et tamen clamant pueri, et non eis parcitur.

---

1 In Joan. Ev. Tract. XX, n. 3.

Sic et Deus noster plenus est caritate; sed ideo videtur non exaudire, ut sanet et parcat in sempiternum.

Clamaverunt justi et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum eruit eos (Ps. 33, 18). Justi erant tres pueri: de camino clamaverunt ad Dominum, et in laudibus eorum ignes friguerunt. Accedere et laedere flamma non potuit laudantes Deum innocentes et justos pueros, et eruit eos de flamma (Dan. III, 49).

Dicit aliquis: Ecce vere justi qui exauditi sunt, sicut scriptum est: Clamaverunt justi etc. Ego autem clamavi et non me eruit: aut ego non sum justus, aut non facio quae mihi jubet, aut forte me ille non videt.

Noli timere, tantum fac quod jubet: et si te non eruit corporaliter, eruet spiritaliter.

Ille enim qui tulit de flamma tres pueros, nunquid tulit de flamma Machabaeos? Nonne illi in ignibus hymnizabant, illi in ignibus expirabant? (2 Mach. VI, 3). Deus trium puerorum, nonne ipse est et Machabaeorum? Illos eruit, et illos non eruit; imo utrosque eruit: sed tres pueros sic eruit ut et carnales confunderentur; Machabaeos autem ideo non sic eruit, ut illi qui persequebantur, in poenas majores irent, cum putabant se oppresisse Martyres Dei.

Eruit Petrum quando venit ad illum Angelus, cum esset in vinculis, et ait illi: *Surge et exi:* et subito soluta sunt vincula, et secutus est Angelum, et eruit illum (Act. XII, 7). Nunquid Petrus perdiderat justitiam, quando non illum eruit de cruce? Non eruit tunc? Et eruit tunc. An ideo diu vixit, ut injustus fieret? Forte plus exaudivit eum postea quam prius, quando illum vere de omnibus pressuris eruit. Nam quando pri-

mum illum eruit, quanta ille pertulit postea! Illuc enim misit postea, ubi nihil mali pati potuisset [1].

259.—Refutantur communiores querelae contra efficaciam orationis. *Jucundabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et gloriabuntur omnes recti corde* (Ps. 63, 11). Hoc certe voce et ore cantamus. Haec verba Domino dixit et conscientia et lingua christiana: *jucundabitur justus in Domino,* non in saeculo. *Lux orta est justo,* dicit alibi, *et rectis corde jucunditas* (Ps. 96, 11). Et alibi, *delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* (Ps. 36, 4).

Si sensisti aliquid, si erubuisti, si quod pravum et curvum fuerat correxisti, redi, delectare in Domino, jucundare in Domino. Jucundare in iis quae jussit Dominus, ut jucunderis in Domino. Jucundare in fide, jucundare in spe, jucundare in caritate, jucundare in misericordia, jucundare in hospitalitate, jucundare in castitate. Haec omnia bona sunt, thesauri interioris hominis, gemmae non arcae tuae, sed conscientiae tuae. His ama dives esse, quas divitias nec naufragio possis amittere; unde si nudus exieris, plenus eris. Sic enim exis et rectus corde, ut lauderis, non reprehendens Dominum tuum, si quid tibi acciderit in hoc saeculo, et laudans flagellum Patris, cujus exspectas hereditatem. Fuge sub manu emendantis. Non te avertas a disciplina, quia ille qui emendat te, errare non potest. Novit quid tecum faciat, qui te fecit. An forte tam imperitum putas artificem tuum, ut sciret facere te, et obliviscatur quid tecum faciat? Antequam esses de te cogitavit; nam si de te non cogitasset, numquam esses.

---

1 Enar. 2 in Ps. 33. Serm. 2, nn. 20-22.

Ergo de te cogitavit antequam esses, ut esses; et jam te existentem, manentem, viventem, sibi servientem contemnet, teque despiciet?

Despexit, inquis: jam oravi, non me audivit. Quid si hoc petebas, quod malo tuo accepisses, si accepisses? Ploravi ante illum et non mihi dedit. O puer insensate, in quo plorasti? Ut acciperes felicitatem carnalem, felicitatem temporalem, felicitatem terrenam. Quid si ista felicitas, quam exoptabas et petebas, et pro qua plorabas, praecipitaret te?

Plorat ante te filius tuus parvus, ut eum leves in equum tuum: nunquid audis? nunquid exaudis? Durus es, an potius misericors? Quid est, dic mihi, quo consilio facis? Certe hoc consilium est caritatis, quis dubitet? Cui grandi servas totam domum, parvulum plorantem non levas in equum.

Omnia quae habes, et domum et quidquid in domo, et agrum et quidquid in agro, illi servas; et tamen in equum non levas parvulum plorantem. Ploret quantum vult, tota die ploret; non exaudis, et misericordia non exaudis, et si exaudires, crudelis esses.

Vide ergo, cogita hoc tibi faciat Dominus tuus, quando petis incongrua et non accipis. Forte enim te inopia erudiet, copia corrumpet. Quaeris tu copiam corruptionis, cum necessaria fortasse sit inopia eruditionis. Dimitte Deo tuo, qui scit quid det tibi, quid tollat tibi. Nam si det tibi quod male petis, forte iratus dat. Audi exempla de lege. Israelitas concupiscentes concupiscentias ventris et gutturis, exaudivit iratus; Paulum dicentem, tolle a me stimulum carnis, non exaudivit propitius.

Ideo delectare in Domino, jucundare in Domino,

non in saeculo. In Domino enim jucundabatur ille, qui cum perdidisset totam jucunditatem saeculi, remansit ei Dominus, in quo jucundaretur; remansit ei in ira simplex, perfecta et immutabilis jucunditas cordis ejus. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum:* ecce quid sit in Domino jucundari [1].

260.—*Et multum misericors omnibus invocantibus te* (Ps. 35, 5). Abundat enim iniquitas nostra, abundat et misericordia tua. Et quid est quod dicit multis locis Scriptura, quia invocantes, non ipsum invocant? De quibus dicitur: *Deum non invocaverunt* (Ps. 52, 6).

Invocant, sed non Deum. Invocas quidquid amas, invocas quidquid in te vocas, invocas quidquid vis ut veniat ad te. Porro si Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hereditas, ut veniat ad te saecularis dignitas, illa invocas quae vis ut veniant ad te; sed Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum.

Deus bonus, si det quod vis. Quid, si male vis, nonne erit magis non dando misericors? Porro si non dederit, jam nihil tibi Deus est; et dicis: quantum rogavi quam saepe rogavi, et non sum exauditus!

Quid enim petebas? Forte mortem inimici tui. Quid si ille petebat tuam? Qui te creavit, ipse et illum: homo es, homo est et ille: Deus autem judex est; audit ambos et non exaudit ambos.

Tristis es, quia non es exauditus contra illum; gaude, quia non est exauditus contra te. Ego, inquis, non hoc petebam; non inimici mei peteban mortem, sed vitam petebam filii mei. Quid mali petebam?

---

1 Serm. 22 in Ps. 67, nn. 1, 8, 9.

Nihil mali petebas, sicut tu sentiebas. Nam quid, *si ille raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius* (Sap. IV, II)?

Sed peccator, inquis, erat: et ideo volebam illum vivere, ut corrigeretur. Tu volebas eum vivere, ut melior esset; quid si Deus noverat, si viveret, pejorem futurum? Unde ergo nosti quid illi prodesset mori an vivere? Si ergo non nosti, redi ad cor tuum, dimitte Deo consilium suum.

Quid ergo, inquis, faciam? Quid orem? Quid ores? Quod te docuit Dominus, quod te docuit caelestis Magister. Invoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum. Illo melius nihil est: ipsum desidera, ipsum concupisce.

Vide invocantem Deum in alio Psalmo: *Unam petii a Domino, hanc requiram.* Quid est quod petit? Ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitae meae. Utquid hoc? *Ut contempler delectationem Domini* (Ps. 26, 4).

Si ergo amator Dei esse vis, sincerissimis medullis castisque suspiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, quo jucundius nihil invenis, quo melius, quo laetius, quo diuturnius. Quid enim tam diuturnum, quam id quod est sempiternum? Non times ne aliquando a te pereat, qui facit ne tu pereas.

Si ergo tu invocas Deum tanquam Deum, securus esto, exaudieris: pertines ad istum versum, et *multum misericors omnibus invocantibus eum.*

Noli ergo dicere, illud mihi non dedit. Redi ad conscientiam tuam, libra, interroga, parcere illi noli. Si vere Deum invocasti, certus esto quia id forte quod volebas temporaliter, ideo non dedit, quia non tibi proderat.

Aedificetur in hoc cor vestrum, fratres, cor christianum, cor fidele: ne incidatis tristes facti, veluti fraudati desideriis vestris, ire in indignationem contra Deum. Etenim non expedit adversus stimulum calcitrare (Act. IX, 5).

Recurrite ad Scripturas. Exauditur diabolus, et non exauditur Apostolus. Quid vobis videtur? Quomodo exaudiuntur daemones? Petierunt se ire in porcos, et concessum est eis (Mt. VIII, 32). Petiit Job tentandum, et accepit (Job. I, 12). Quomodo non est exauditus Apostolus? In magnitudine, inquit, revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus satanae qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi ut auferret eum a me, et dixit mihi; *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (2 Cor. XII, 7-9).

Exaudivit eum quem disponebat damnare et non exaudivit eum quem volebat sanare. Nam et aeger petit multa a medico, non dat medicus: non exaudit ad voluntatem ut exaudiat ad sanitatem. Ergo n edicum tuum pone Deum; pete ab illo salutem, et salus tua ipse erit: non quasi salutem extrinsecus, sed ut salus ipsa sit; ne rursus ames aliam salutem praeter ipsum, sed quomodo habes in psalmo: *dic animae meae: salus tua ego sum* (Ps. 34, 3).

Quid ad te, quid tibi dicat, ut se tibi det? Vis ut det se tibi? Quid si quod vis habere non vult ipse ut habeas, ut se tibi det? Impedimenta removet, ut intret ad te.

Bona cogitate, fratres, et considerate, quae dat Deus peccatoribus, et hinc intelligite quid servet servis suis.

Peccatoribus blasphemantibus eum cotidie dat caelum

et terram, dat fontes, fructus, salutem, filios, copias, ubertatem: haec omnia bona non dat nisi Deus. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putas servare fidelibus suis? Hoccine de illo sentiendum est, quia qui talia malis dat, nihil servat bonis? Imo vero servat non terram, sed caelum. Vilius forte aliquid dico, cum dico caelum, sed se ipsum qui fecit caelum. Pulcrum est caelum, sed pulchrior est fabricator caeli.

Sed video caelum et illum non video. Oculos enim habes ad videndum caelum; cor nondum habes ad videndum fabricatorem caeli. Ideo venit de caelo in terram ut mundet cor, quo videatur qui fecit caelum et terram.

Sed plane cum patientia salutem expecta. Quibus te medicamentis curet, ille novit; quibus sectionibus, quibus ustionibus, ille novit. Tu tibi aegritudinem comparasti peccando: ille venit non solum fovere sed et secare et urere.

Non vides quanta homines patiantur sub medicorum manibus, spem incertam homine promittente? Sanaveris, dicit medicus, sanaberis, si secuero. Et homo dicit, et homini dicit: nec qui dicit certus est, nec qui audit: quia ille dicit homini qui non fecit hominem, et non perfecte scit quid agatur in homine, et tamen ad verba hominis plus nescientis quid agatur in homine, credit homo, subdit membra, ligari se patitur, aut plerumque etiam non ligatus secatur aut uritur et accepit forte salutem paucorum dierum, jam sanatus quando moriatur ignorans; et fortasse, dum curatur, moritur, et fortasse curari non poterit. Cui autem promissit Deus aliquid et fefellit? [1].

---

[1] Enar. in Ps. 83, nn. 8-9.

261.—Solatium et dulcedo orationis. *Sitivit tibi anima mea, quam multipliciter tibi et caro mea* (Ps. 62). Ubi autem sitit anima nostra, et multipliciter caro nostra, non cuicumque, sed tibi, Domine, id est Deo nostro.

In terra deserta, et sine via, et sine aqua. Malum desertum, horribile et timendum: et tamen Deus misertus est nostri, et fecit nobis viam in deserto, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum (Jo. XIV, 6); et fecit nobis consolationem in deserto, mittendo ad nos praedicatores verbi sui, et dedit nobis aquam in deserto, implens Spiritu sancto praedicatores suos, ut fieret in eis fons aquae salientis in vitam aeternam (Jo. IV, 14).

Et ecce habemus hic omnia, sed non sunt de deserto. Ergo proprietatem deserti prius commendavit psalmus, ut et tu cum audisses in quo malo esses, si quas hic habere posses consolationes, vel sociorum, vel viae, vel aquae, non tribueres deserto, sed illi qui te visitare dignatus est in deserto.

Sic in sancto apparui tibi, ut viderem potentiam tuam et gloriam tuam. Primo sitivit anima mea, et caro mea multipliciter tibi in deserto, et in terra sine via, et sine aqua, et sic in sancto apparui tibi, ut viderem potentiam et gloriam tuam. Nisi quis primo sitiat in isto deserto, id est, malo in quo est, numquam pervenit ad bonum quod est Deus.

Cum autem erexerit se ad Deum, ut dicat illi ex medullis omnibus: sitivit tibi anima mea, quam multipliciter tibi et caro mea, ne forte vel necessaria carnis ab aliis petat et non a Deo, aut non desideret illam resurrectionem carnis quam nobis promittit Deus; cum ergo se erexerit, habebit non parvas consolationes.

Ecce, fratres, quomodo caro nostra quandiu mortalis est, quandiu fragilis est, ante illam resurrectionem habet solatia ista quibus vivimus, panem, aquam, fructus, vinum, oleum; ista omnia solatia et subsidia si nos deserant, utique non possumus; quamvis nondum receperit caro ista sanitatem illam perfectam, ubi nullam patietur angustiam, nullam indigentiam; sic et anima nostra cum hic est in ista carne, inter tentationes et pericula saeculi hujus, adhuc est infirma; habet etiam ipsa solatia verbi, solatia orationis, solatia disputationis: sic sunt ista animae nostrae, quomodo illa carnis nostrae. Cum autem surrexerit caro nostra, ut jam istis non indigeamus, habebit locum quemdam et statum incorruptionis suae; sic et anima nostra habebit cibum suum ipsum Verbum Dei, per quod facta sunt omnia [1].

Labores fructuum tuorum manducabis (Ps. 127). Modo labores habemus, fructus postea erit. Sed quia et ipsi labores non sunt sine gaudio propter spem, de qua beatus Apostolus dicit: *spe gaudentes, in tribulatione patientes* (Rom. XII, 12); modo nos ipsi labores jucundant, et laetos nos faciunt de spe. Si ergo labor noster potuit manducari, et potuit jucundare; manducatus fructus ipsius laboris qualis erit: *manducabunt labores suos, qui euntes ibant et flebant mittentes semina sua* (Ps. 125, 6): quanto jucundius manducabunt fructus laborum, qui venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos? Et ut noveritis fratres, quia manducatur labor iste, in superiore psalmo audistis dictum superbis, qui ante lucem volebant surgere, id est, ante Christum, non per humilitatem, qua surrexit Christus,

---

[1] Enar. in Ps. 62, nn. 8-10.

dictum est illis: *surgite postquam sedistis, qui manducatis panem doloris,* id est humiliamini, et inde surgite; quia et ille humiliari venit, qui exaltatus est propter vos. Et quid dictum est. *Qui manducatis panem doloris.* Iste est labor fructuum, panis doloris. Nisi enim manducaretur, non diceretur panis. Nisi autem haberet aliquam suavitatem panis iste, nemo illum manducaret.

Cum quanta suavitate plorat in gemitu, qui orat. Dulciores sunt lacrimae orantium, quam gaudia theatrorum. Et audi flammam desiderii, qua manducatur ipse panis, de quo hic dicit, qui manducatis panem doloris: alio loco dicit amans iste, cujus vocem in psalmo plerumque agnoscimus, *factae sunt mihi lacrimae meae panis die ac nocte* (Ps. 41, 4). Unde factae sunt lacrimae panis? Dum dicitur mihi cotidie, *ubi est Deus tuus*?

Antequam enim videamus eum qui nos dilexit, qui nobis pignus dedit, cui desponsati sumus, insultant nobis Pagani, et dicunt: ubi est quod colunt christiani? Ostendant nobis quem colunt. Ecce ego ostendo illis Deum meum, et ipsi ostendant mihi Deum suum. Cum tibi hoc dicit Paganus, non invenis quod illi ostendas, quia non est cui ostendas. Redis ergo, et plangis ad Deum, quia illi suspiras, antequam videas, et desiderio ipsius gemis; et quia in ipsius desiderio ploras, dulces sunt et ipsae lacrimae, et pro cibo tibi erunt, quia factae sunt tibi et ipsae panis die ac nocte, dum dicitur tibi cotidie, ubi est Deus tuus. Sed veniet Deus tuus, de quo dicitur ubi est, et absterget lacrimas (Apc. XXI, 4), et ipse pro pane lacrimarum succedet, et te in aeternum saginabit; quia erit nobiscum Verbum Dei, quo pascuntur angeli. Interim modo labores fructuum, postea fructus laboris. Labores fructuum tuorum

manducabis, beatus es et bene tibi erit. Beatus es, de praesenti est; bene tibi erit, de futuro est. Cum manducas labores fructuum tuorum, beatus es; cum perveneris ad fructum laborum tuorum, bene tibi erit. Quid dixit? Nam si bene tibi erit, utique beatus eris, et si beatus eris, bene utique tibi erit. Sed interest inter spem et rem. Si spes tam dulcis, quanto res dulcior erit [1].

---

[1] Enar. in Ps. 127, n. 10. **Doctrina divi Thomae** circa effectus orationis.

Effectus orationis. Triplex est effectus orationis: *consolatorius*, qui est praesens: *meritorius* et *impetratorius*, qui sunt futuri.

Oratio, sicut et quilibet alius actus virtutis, habet efficaciam merendi, in quantum procedit ex radice caritatis, cujus proprium objectum est bonum aeternum, cujus fruitionem meremur.

Procedit tamen oratio a *caritate*, mediante religione, cujus est actus oratio, concomitantibus etiam quibusdam aliis virtutibus, quae ad bonitatem orationis requiruntur, scilicet humilitate et fide.

Ad *religionem* enim pertinet ipsam orationem Deo offerre; ad *caritatem* vero pertinet desiderium rei cujus complementum oratio petit.

Fides autem est necessaria ex parte Dei, quem oramus; ut scilicet credamus, ab eo nos posse obtinere quod petimus.

Humilitas autem est necessaria ex parte ipsius petentis, qui suam indigentiam recognoscit.

Est etiam et *devotio* necessaria; sed haec ad religionem pertinet, cujus est primus actus necessarius ad omnes consequentes.

Efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit (2. 2. q. 83, a. 13).

Oratio est satisfactoria. Satisfactio respicit et culpam praeteritam, pro cujus offensa recompensationem facit, et culpam futuram, contra quam est medicina salvans; et haec duo orationi competunt.

Initium enim peccati est superbia; et ideo per quod homo spiritum suum humiliter Deo subdit in oratione, et pro superbia praecedentis offensae recompensationem facit, et aditum futurae culpae aufert, radicem ei amputans; et ideo oratio plene habet satisfaciendi rationem. (IV, D. XV, q. IV, a. 7, q. I).

Oratio mentalis et vocalis satisfactoria est, si in caritate fiat. Vocalis quidem, quia habet exteriorem laborem, et sic poenam quamdam; et inquantum in ea manet virtus praecedentis intentionis, habet etiam rationem boni meritorii, quae duo ad opus satisfactorium requiruntur.

Similiter oratio mentalis satisfactoria est: quia quamvis habeat jucunditatem, habet tamen et poenam admixtam; quia orare, ut dicit S. Gregorius M. est amaros gemitus in compunctione resonare (Mor. lib. 33, cp. 23), vel pro peccatis, vel pro dilatione patriae.

Et praeterea ipsa mentis elevatio est carnis afflictio, et afflictio

262.—Radix jucunditatis est Deus. *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae.* Cum invocarem, exaudivit me Deus, inquit, a quo est justitia mea. *In tribulatione dilatasti mihi.* Ab angustiis tristitiae, in latitudinem gaudiorum me duxisti; *tribulatio enim et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (Rom. II, 9). Qui autem dicit: *gaudemus in tribulatio-*

---

carnis redundat in mentem, inquantum ei unita est, et etiam in superbientem spiritum, cujus vulnus oratio sanat. Sine poena oratio humilis esse non potest (IV, D. XV, q. IV, a. 7, q. I ad I).

Inter effectum meritorium et impetratorium haec est differentia: quod meritum importat ordinem justitiae ad praemium, quia ad justitiam pertinet retribuentis ut merenti praemium reddat; sed impetratio importat ordinem misericordiae, vel liberalitatis ex parte donantis; et ideo meritum ex seipso habet unde perveniatur ad praemium; sed oratio impetrare volentis non habet ex seipsa unde impetret, sed ex proposito vel liberalitate dantis.

Unde patet quod oratio ex caritate semper habet efficaciam merendi, sed non habet semper efficaciam impetrandi: quia aliquid est quod repugnat impetrationi in providentia Dei, ad quem oratur.

Et ad haec impedimenta tollenda ponuntur quattuor condiciones, quibus positis, semper habet oratio efficaciam impetrandi.

Potest ergo impedimentum orationis esse vel ex parte orantis, si oratione inordinate emittat; et quantum ad hoc removendum dicitur *pie*, in quo importatur modus latriae, quae alio nomine pietas dicitur, secundum quam oratio modificari debet: vel ex eo quod petitur, quia quandoque etiam petenti non expedit, et sic dicitur quod sit *ad salutem*: vel ex parte ejus pro quo petitur; et hoc impedimentum vel est tunc quando oratio fit, quod non potest esse quando oratio fit ab aliquo pro seipso, si pie petat, sed quando fit pro alio; et ideo additur alia condicio, quod fiat *pro se*: vel potest esse post intermedium inter orationem et consecutionem petiti; et hoc excluditur per hoc quod dicit *perseveranter* (IV, D. XV, q. IV, a. 7, q. 3).

Oratio habet duplicem effectum: unus est expulsio tristitiae: alius augmentum spei. Primus effectus est, quia per orationem ascendit mens hominis in Deum; et quia Deus est summe bonus, quando anima inhaeret ei, sentit delectationem maximam, et delectatio pellit tristitiam vel diminuit.

Crescit in spe: quia si rex admittit aliquem ad familiare obsequium et colloquium, assumit fiduciam petendi et obtinendi. In oratione autem homo specialiter loquitur cum Deo (In Ps. 41, 19).

Orationi instantes. Per orationem in nobis sollicitudo excitatur, fervor accenditur, ad Dei servitium incitamur, gaudium spei in nobis augetur, et auxilium in tribulatione promeremur (In Ep. ad Rom. XII, lec. 2).

nibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, usque ad illud ubi ait: *quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (Rom. V, 3-5); non habet cordis angustias, quamvis extrinsecus a persequentibus ingerantur.

Mutatio autem personae, quod a tertia, ubi ait *exaudivit,* statim transiit ad secundam, ubi ait *dilasti mihi,* si non varietatis ac suavitatis causa facta est, mirum cur primum tamquam indicare voluit hominibus exauditum se esse, et postea compellare exauditorem suum. Nisi forte cum indicasset quemadmodum exauditus sit in ipsa dilatatione cordis, maluit cum Deo loqui; ut etiam hoc modo ostenderet quid sit corde dilatari, id est, jam cordi habere infusum Deum, cum quo intrinsecus colloquatur.

Quod in persona ejus, qui credens in Christum illuminatus est, recte accipitur: in ipsius autem Dominici hominis, quem suscepit Dei Sapientia, non video quemadmodum hoc possit congruere; non enim ab ea aliquando desertus est [1]. Sed quemadmodum ipsa ejus

[1] Haec locutio, *homo Dominicus,* quam etiam aliis locis adhibet sanctus Augustinus, vgr. in Libro de quaestionibus octoginta tribus, q. 36, 3.°, ubi scribit: hic praestantissimum illud et unicum exemplum Dominici hominis proponendum est, qui cum se tot miraculis tantam rerum potestatem habere monstraret, et ea sprevit quae magna bona, et ea sustinuit, quae magna mala imperiti putant: et in Sermone Dom. in Monte lib. II cp. VI, n. 20, quo dicit: nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cum ejus Unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine dominico de caelo venerit judicaturus vivos et mortuos; merito reicitur ab eodem egregio Doctore lib. I Retract. cp. 19, n. 8, ubi ait: sed non video utrum recte dicatur *homo Dominicus,* qui est Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus. Dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici? Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos divinorum eloquiorum. Sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi.

Circa hujusmodi locutionem animadvertit quoque Angelicus Ma-

deprecatio nostrae potius infirmitatis indicium est; sic etiam de ista repentina dilatatione cordis potest idem Dominus pro fidelibus suis loqui, quorum personam sibi imposuit etiam cum ait: esurivi, et non cibastis me; sitivi, et potum non dedistis mihi etc. Quare hic quoque potest dicere, dilatasti mihi, pro uno ex minimis suis colloquente cum Deo, cujus caritatem diffusam habet in corde per Spiritum sanctum qui datus est nobis [1].

Doluisti peregrinationem, quia contingit perpetuo gaudere cum sanctis, et desiderium supernae patriae ubi jam non terrarum spatio dividemur, sed semper unius contemplatione laetabimur, merito praetulisti. Felix es talia cogitando, amando felicior, et ideo eris etiam felicissima consequendo [2].

263. — **Remissio peccatorum.** Beatissimus Joannes apostolus salubriter et veraciter scribens, inter cetera ait: *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I Jo, I, 8). Sunt autem quidam inflati utres, spiritu elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbiae morbo tumentes, ut dicere audeant, inveniri homines absque peccato.

---

gister: cum dicitur homo Christus Jesus, designatur suppositum aeternum, quod est persona Filii Dei, propter hoc quod est unum suppositum utriusque naturae. De persona autem Filii Dei praedicatur Deus et *Dominus essentialiter*; et ideo non debet praedicari *denominative* seu participative, quia hoc derogat veritati unionis. Unde cum *dominicus* dicatur *denominative* a Domino, non potest vere et proprie dici quod *homo* ille sit *dominicus*, sed magis quod sit Dominus. Unde Augustinus retractavit illa verba; quod vero dicit, quamvis nonnulla ratione possit defendi, est, quia scilicet posset aliquis dicere, quod dicitur *homo dominicus* ratione humanae naturae, quam significat hoc nomen homo, non autem ratione suppositi (Sum. 3.°, p. q. 16, a. 3 et ad 1; cf. etiam q. 4, a. 3).

[1] Enar. in Ps. 4, n. 2.

[2] Epist. 267 (a. 206) ad Fabiolam.

Dicunt ergo, justos prorsus in hac vita nullum habere peccatum. Haeretici autem sunt Pelagiani, iidemque Caelestiani, qui hoc dicunt.

Et cum eis dicitur, qui sunt isti justi qui sine peccato sunt, respondent et dicunt: tota Ecclesia. Dic unde probas. Apostolus loquitur, ait: *Christus dilexit Ecclesiam: mundans eam lavacro aquae in verbo, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi* (Eph. V. 25). Audivimus de nube magna tonitrua. Nubes enim Dei Apostolus. Verba ista sonuerunt, et tremere nos fecerunt.

Sed dicite nobis, antequam quaeramus quomodo ista verba Apostolus dixerit, dicite, inquam, nobis, utrum justi estis, annon? Respondent, justi sumus; sed necesse utique erat propter humilitatem, ut diceremus nos peccatores esse.

Propter humilitatem ergo mentiris? Justus es, sine peccato es; sed propter humilitatem dicis te peccatorem. Quomodo te accipiam tamquam christianum in alterum testem, quem contra te ipsum teneo falsum testem? Justus es, sine peccato es, et dicis te habere peccatum; testis ergo falsus es contra te. Non accipit Deus mendacem humilitatem tuam. Inspice vitam, vide conscientiam tuam.

Iterum te interrogo alio modo: justus es aut peccator? Respondes, peccator. Mentiris, quia non quod te esse cordis credis, hoc ore dicis. Ergo et si non eras peccator, esse incipies dum mentiris. Dicis enim: humilitatis causa nos dicimus peccatores esse; nam Deus videt quia justi sumus. Cum ergo humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. Veritas in te non est,

nisi te ita dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. *Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?*

Omittamus Joannis verba: ecce in corpore Ecclesiae, quam dicis non habere maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, et esse sine peccato, ecce veniet hora orationis, oratura est tota Ecclesia; et tu quidem foris es, veni ad orationem dominicam, veni ad trutinam, veni et dic: *Pater noster, qui es in caelis.* Sequere et dic, *dimitte nobis debita nostra.*

Redi ergo, haeretice, ad orationem, si obsurduisti contra veram fidei rationem. *Dimitte nobis debita nostra:* Ecclesiae enim oratio est, vox est de magisterio Domini veniens. Ipse dixit, sic orate. Veritas discipulis, Pastor pastorum arietibus gregis, Rex militibus, Dominus servis, Christus apostolis, veritas hominibus loquebatur, sublimitas humilibus loquebatur. Scio quid in vobis agatur: ego vos appendo, ego de trutina mea renuntio, prorsus dico quid in vobis agitur, dicite: *dimitte nobis debita nostra.*

Ecce tota Ecclesia dicit: dimitte nobis debita nostra. Habet ergo maculas et rugas. Sed confessione ruga extenditur, confessione macula abluitur. Stat Ecclesia in oratione, ut mundetur confessione; et quandiu hic vivitur, sic stat. Et cum de corpore exierit unusquisque, dimittuntur ei omnia, quae talia habebat ut dimitterentur debita; quia et cotidianis precibus dimittuntur: et tunc exit mundatus, et thesaurizatur Ecclesia in thesauros Domini aurum purum; ac per hoc in thesauros Domini Ecclesia est sine macula et ruga. Et si ibi sine macula et ruga est, hic quid orandum est? Ut venia percipiatur. Qui dat veniam, maculam extergit,

qui ignoscit, rugam extendit. Et ubi extenditur ruga nostra? Tamquam in tendicula magni fullonis, in cruce Christi. In ipsa enim cruce, id est, in ipsa tendicula pro nobis sanguinem fudit.

Et nostis fideles quale testimonium perhibeatis sanguini, quem accepistis. Certe enim dicitis: amen. Nostis qui sit sanguis qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum (Mt. XXVI, 28).

Ecce quomodo fit Ecclesia sine macula et ruga, tamquam bene mundata in tendicula crucis extenditur; sed hic omnino potest id agi. Exhibet sibi Ecclesiam gloriosam Dominus, non habentem maculam aut rugam. Magnus est qui agit, bene curat, doctissimus artifex est. Extendit in ligno, et facit nos sine ruga, quos abluendo fecerat sine macula. Ipse qui venit sine macula et sine ruga, extensus est in tendicula; sed propter nos, non propter se, ut nos faceret sine macula et ruga. Rogemus ergo eum ut faciat, et postquam fecerit, ad horrea nos ducat, ibique nos reponat, ubi pressorium non erit.

Tu ergo qui loquebaris, sine macula et ruga es? Quid hic facis in Ecclesia, quae dicit, dimitte nobis debita nostra? Debita se habere confitetur, quae relaxentur. Qui non confitentur, non ideo non habent; sed ideo eis non relaxabuntur. Confessio nos sanat, et vita cauta, vita humilis, oratio cum fide, contritio cordis, lacrimae non fictae de vena cordis profluentes, ut dimittantur nobis peccata, sine quibus esse non possumus. Confessio, inquam, nos sanat, dicente apostolo Joanne: *si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate* (I Jo. I, 9). Non autem quia dico quod non possumus

hic esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cetera mortifera peccata, quae uno ictu perimunt. Talia non facit bonae fidei et bonae spei christianus; sed illa sola, quae cotidiano orationis penicillo terguntur. Humiles et devoti dicamus cotidie: *dimitte nobis debita nostra,* sed si faciamus quod sequitur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Sponsio haec cum Deo, vera sponsio et fixa conditio est [1].

264.—*Credo remissionem peccatorum.* Haec in Ecclesia si non esset, nulla spes esset: remissio peccatorum si in Ecclesia non esset, nulla futurae vitae et liberationis aeternae spes esset. Gratias agimus Deo, qui Ecclesiae suae dedit hoc donum.

Ecce venturi estis ad fontem sanctum, diluenimi baptismo, salutari lavacro regenerationis renovamini; eritis sine ullo peccato, ascendentes de illo lavacro. Omnia quae vos praeterita persequebantur, ibi delebuntur. Aegyptiis insequentibus Israelitas similia erunt vestra peccata; persequentibus, sed usque ad mare rubrum (Ex. XIV). Quid est usque ad mare Rubrum? Usque ad fontem Christi cruce et sanguine consecratum. Quod enim rubrum est, rubet. Non vides quomodo rubeat pars Christi? Interroga oculos fidei. Si crucem vides, attende et cruorem: si vides quod pendet, attende quod fudit. Lancea perforatum est latus Christi, et manavit pretium nostrum (Jo. XIX, 34). Ideo signo Christi signatur baptismus, id est, aqua ubi tinguimini, et quasi in mari Rubro transitis.

Peccata vestra hostes vestri sunt. Sequuntur, sed usque ad mare. Cum vos intraveritis, evadetis, illa dele-

---

1 Serm. 181, nn. 1-8.

buntur; quomodo evadentibus per siccum Israelitis, aqua cooperuit Aegyptios. Et quid dicit Scriptura? *Unus ex eis non remansit* (Ps. 105, 11). Peccasti multa, peccasti pauca; peccasti magna, peccasti parva; quod est minus ex eis non remansit.

Sed quomian victuri sumus in isto saeculo, ubi quis non vivit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri baptismatis, sed etiam in Oratione dominica et cotidiana, quam post octo dies accepturi estis. In illa invenietis quasi cotidianum baptismum vestrum, ut agatis Deo gratias qui donavit hoc munus Ecclesiae suae, quod confitemur in Symbolo; ut cum dixerimus, *sanctam Ecclesiam,* adjungamus, *remissionem peccatorum* [1].

Oratio cotidiana, quam docuit ipse Dominus, unde et Dominica nominatur, delet quidem cotidiana peccata, cum cotidie dicitur: *dimitte nobis debita nostra;* atque id quod sequitur non solum dicitur, sed etiam fit: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,* sed quia fiunt peccata, ideo dicitur, non ut ideo fiant, quia dicitur. Per hanc enim nobis voluit Salvator ostendere, quantumlibet juste in hujus vitae caligine atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata pro quibus dimittendis debeamus orare, et eis qui in nos peccant, ut et nobis ignoscatur, ignoscere.

Non itaque propterea Dominus ait: *si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis et Pater vester peccata vestra* (Mt. VI, 14), ut de hac oratione confisi, securi coti-

---

[1] Serm. 213 de tradit. Symb. n. 8. Correxi textum ad normam Operis clarissimi P. Germani Morin O. S. B. quod intitulatur: Sancti Aurelii Augustini Tractatus sive Sermones inediti ex codice Guelferbytano. Monaci, an. 1917. Opus vere insigne, quo splendet ingenium S. Augustini, potissimum in Sermone *De ordinatione Episcopi* etc.

diana scelera faceremus, vel potentia qua non timeremus hominum leges, vel astutia qua ipsos homines falleremus; sed ut per illam disceremus, non putare nos esse sine peccatis, etiamsi a criminibus essemus immunes; sicut etiam legis veteris sacerdotes hoc ipsum Deus de sacrificiis admonuit, quae jussit eos primum pro suis, deinde pro populi offerre peccatis. Nam et ipsa verba tanti Magistri et Domini nostri vigilanter intuenda sunt. Non enim ait, si dimiseritis peccata hominibus, et Pater vester dimittet vobis qualiacumque peccata; sed ait peccata vestra. Cotidianam quippe orationem docebat, et justificatis utique discipulis loquebatur. Quid est ergo peccata vestra, nisi peccata sine quibus nec vos eritis, qui justificati et sanctificati estis?

Ubi ergo illi qui per hanc orationem occasionem perpetrandorum cotidie scelerum quaerunt, dicunt Dominum significasse etiam magna peccata, quoniam non dixit, dimittet vobis parva, sed peccata vestra: ibi nos considerantes qualibus loquebatur, et audientes dictum, peccata vestra, nihil aliud debemus existimate quam parva, quoniam talium jam non erant magna [1].

---

[1] Circa hujusmodi doctrinam notatu digna sunt, quae sequuntur ex angelico Magistro desumpta. Ad remissionem peccati venialis non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicite, vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum: uno modo in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata. Et hoc modo per Eucharistiam et extremam unctionem, et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo inquantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum; nam in oratione dominica petimus; *dimitte nobis debita nostra*. Tertio modo in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum, et ad res divinas; et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedic-

Verumtamen nec ipsa magna, a quibus omnino mutatis in melius moribus recedendum est, dimittuntur orantibus, nisi fiat quod ibi dicitur: *sicut et nos dimittimus ebitoribus nostris.*

Eadem gratia Christi cotidie dimittit orantibus etiam cotidiana peccata, cum dicunt, dimitte nobis debita nostra, veraciter addentes sicut et nos dimittimus debitoribus nostris [1].

In ipsa quoque oratione Dominica, quae cotidiana est nostra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, dimitte nobis debita nostra, nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? [2].

265.—Oratio miracula etiam aliquando patratur. Apud Carthaginem autem quis novit, praeter admodum paucissimos, salutem quae facta est Innocentio Exadvocato vicariae praefecturae, ubi nos interfuimus, et oculis aspeximus nostris? Venientes enim de transmarinis, me et fratrem meum Alypium, nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes, ut erat cum tota domo sua religiosissimus, ipse susceperat, et apud eum tunc habitabamus.

Curabatur a medicis: fistulas, quas numerosas atque perplexas habuit, jam secuerant ei, et artis suae cetera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione

---

tae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum (3.ª q. 87, a. 3). In prima autem secundae partis scribit (q. 74, a. 8, ad 6): oratio dominica non solum contra peccata venialia dicenda est, sed etiam contra mortalia. Non ita tamen est sufficiens ad delectionem peccatorum mortalium, sicut ad delectionem venialium.

[1] Op. imperf. cont. Jul. lib. 2, n. 212.

[2] De nupt. et concup. lib. I, n. 38.

illa et diuturnos et acerbos dolores. Sed unus inter multus sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Denique sanatis omnibus quae aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustra impendebatur labor.

Praeterierunt et alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne quod fiebat. Tandem medici fatentur eum nisi ferro nullo modo posse sanari. Expavit, expalluit nimio timore turbatus; sed postremo convictus, placuit ut sinum illum ferro aperirent. Quae res dilata est in consequentem diem. Sed cum abiissent medici, ex maerore nimio domini tantus est in domo illa exortus dolor, ut tamquam funeris planctus vix comprimeretur a nobis.

Visitabant eum cotidie sancti viri, episcopus tunc Uzalensis, beatae memoriae Saturninus, et presbyter Gelosus, ac diaconi Carthaginensis Ecclesiae; in quibus erat, et ex quibus solus est nunc in rebus humanis, jam episcopus cum honore a nobis nominandus Aurelius, cum quo recordantes mirabilia opera Dei, de hac re saepe collocuti sumus, eumque valde meminisse, quod commemoramus, invenimus. Qui cum eum, sicut solebant, vespere visitarent, rogavit eos miserabilibus lacrimis, ut mane dignarentur esse praesentes suo funeri potius quam dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus invaserat poenis, ut se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum.

Consolati sunt eum illi, et hortati ut in Deo fideret, ejusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus: ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terrae, ille se ita projecit, tamquam fuisset aliquo impellente graviter prostratus, et

coepit orare: quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lacrimarum, quibus gemitibus atque singultibus succutientibus omnia membra ejus et paene intercludentibus spiritum, quis ullis explicet verbis?

Utrum orarent alii, nec in haec eorum averteretur intentio, nesciebam. Ego tamen prorsus orare non poteram: hoc tantummodo breviter in corde meo dixi: *Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis?* Nihil enim mihi videbatur addi jam posse, nisi ut exspiraret orando.

Surreximus, et accepta ab episcopo benedictione discessimus, rogante illo ut mane adessent, illis ut aequo animo esset hortantibus. Illuxit dies qui metuebatur, aderant servi Dei, sicut se affuturos esse promiserant: ingressi sunt medici, parantur omnia quae hora illa poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis suspensisque omnibus. Eis autem, quorum erat major auctoritas, defectum animi ejus consolando erigentibus, ad manus secturi membra in lectulo componuntur, solvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus, et secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitisque contrectat; tentat denique modis omnibus: invenit firmissimam cicatricem.

Jam illa laetitia et laus atque gratiarum actio misericordi et omnipotenti Deo, quae fusa est ore omnium lacrimantibus gaudiis, non est committenda meis verbis: cogitetur potius quam dicatur [1].

---

[1] De Civit. Dei, lib. XXII. cp, 8, n. 3.

APPENDIX AD CAPUT XI

E SANTTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 266-267. *Modus auxilii voluntati Dei relinquendus.*—268-269. *Ad nostram utilitatem Deus nos aliquando non exaudit.*—270. *Efficacia orationis semper magna est.*—271-272. *Augetur haec efficacia, cum accedunt eleemosyna et lacrimae.*—273-276. *Oratio in communitate facta est efficacior.*—277. *Ejus inefficacia provenit aliquando ex ipsis pro quibus oratur.*—278-280. *Miri orationis effectus ac fructus.*—281-282. *Est animae solatium repellitque tristitias.*—283. *Facilia reddit praecepta.*—284. *Purgat peccata.*

266.—Modus auxilii Dei voluntati relinquendus. Quomodo misericordiam et salutem consequemur a Deo? Ego dicam: orationem in corde semper suscipiamus, ejusque fructus, nempe humilitatem et mansuetudinem: discite enim, inquit, a me quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris (Mt. XI, 29); rursumque David: sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (Ps. 59, 19). Nihil enim ita Deus amplectitur et amat, ut animam mitem et humilem et gratam. Adverte igitur et tu, frater, cum quid inexspectatum tibi acciderit molestiamque crearit, ne ad homines confugias, ne ad mortale auxilium respicias; sed omnes transcurrens, mente tua ad animarum medicum te confer. Nam ipse solus cordi medelam afferre potest, qui finxit singillatim corda nostra et intelligit omnia opera nostra (Ps. 32); ipse potest in conscientiam nostram ingredi, mentem tangere animamque cohortari. Quod si ipse non cohortetur corda nostra, quae ab hominibus accedent, superflua et inutilia erunt; quemadmodum vicissim Deo cohortante et consolante, etiamsi sexcentas homines molestias creaverint, ne minimum quidem nobis nocere poterunt; cum enim cor nostrum firmaverit, nemo exagitare valebit.

Verumtamen modum quo nobis ad Deum confugientibus succurrat, non doceamus eum.

Nam si causidicis et rhetoribus apud forenses judices tractanda negotia nostra dicimus tantum, modum autem defensionis ipsis relinquimus, ut pro lubitu res nostras disponant: multo magis erga Deum ita faciendum est.

Dixisti ei causam tuam, dixisti quae passus es? Cave dicas illi quo pacto tibi auxilium sit ferendum: ille quippe novit quid tibi competat.

Sunt autem plurimi qui mille versus inter orandum proferunt, dicuntque: Domine, da mihi corporis sanitatem, duplo plures, quam habeo, facultates, ulciscere inimicum meum: quod est ingenti plenum absurditate.

Quamobrem his omnibus omissis ita orandum precandumque est, ut publicanus ille qui dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori* (Lc. XVIII, 13), et ipse novit quo pacto tibi sit opitulandum: nam *quaerite,* inquit, *primum regnum Dei et haec omnia adjicientur vobis* (Mt. VI, 33).

Sic itaque, dilecti, cum labore et humilitate incumbamus orationi, percutientes pectora nostra, quemadmodum ille, et quae petimus consequemur; sin ira furoreque pleni precemur, abominabiles et odiosi apud Deum reperiemur. Conteramus igitur mentem nostram, humiliemus animas nostras, precemurque pro nobis, proque iis qui nos molestia affecerunt. Si namque velis judicem ad auxilium animae tuae demulcere, et ad tuas partes attrahere, numquam eum contra adversarium tuum compellaveris. Etenim judicis illius talis es mos, illis maxime annuit et postulata concedit, qui pro inimicis orant, qui non sunt injuriae memores, qui contra inimicos suos non efferuntur. Et quanto magis hi se ita gerunt, tanto magis Deus eorum inimicos ulciscitur, nisi ad poenitentiam convertantur [1].

267.—Sunt revera multiloqui viri multi, et futilibus instructi verbis, qui terrena a Deo universorum postulant, eorumque quae vere sunt bona, nullam rationem habent.

Atqui medicum medicamentorum usum non aegroti do-

---

1 De poenit. homil. 5, n. 4.

cent, sed hi, quantumvis durus molestusque sit curationis modus, quae ab illo offeruntur, sustinent.

Uni tantum Deo, qui quae nobis utilia opportunaque sunt, accurate novit, illi male feriati homines cedere nesciunt, sed perniciosa quasi utilia postulant, perinde atque aegrotus, qui a medico petit, non ea quae morbum depellant, sed quae materiam illam morbi matrem alant. Verum medicus infirmi preces non admittit, sed etiamsi lacrimantem ingementemque videat, artis praeceptis obtemperabit potius, quam illius flectatur lacrimis: tumque medici inobsequentiam, non inhumanitatem, sed humanitatem vocamus.

Sic animarum nostrarum medicus, quae noxia futura sunt, petentibus nunquam dederit.

Neque enim patres prolis amantes filiis adhuc tenellis gladios aut ignitos carbones petentibus, umquam porrexerint; norunt enim haec damno futura esse, si dentur: nonnulli vero in extremam prolapsi dementiam, non modo corporis pulchritudinem, divitias, potentiam ceteraque id genus ab universorum Deo postulant; sed etiam inimicis suis imprecantur, ipsosque poenis supplicioque affici rogant: et quem sibi propitium benignumque esse precantur, inimicis immitem inhumanumque esse peroptant.

Quae omnia Dominus reprimere praeoccupans, multiloquium vetat, docetque quid sit in oratione dicendum ac paucis verbis ad omnem virtutem instituit; illa quippe verba non modo doctrina ad precandum sunt, sed etiam ad perfectam vitam institutio. Verba haec quae tamquam divinas leges non dubitanter observare debemus, orationem Dominicam constituunt: *Pater noster, qui es in caelis* [1].

268.—**Ad nostram utilitatem Deus nos aliquando non exaudit.** Semper utique magna vis orationis: quando autem cum jejunio emittitur precatio, potentiorem reddit animam. Nunc temperantia cogitationum magna apud nos est: nunc mens excitatur, supernaque omnia videt anima. Propterea semper Scriptura jejunio orationem adjunxit.

---

[1] De angusta porta, n. 2.

Hoc genus daemoniorum non egreditur, nisi in oratione et jejunio (Mt. XVII, 20). Postquam orassent et jejunassent, imposuerunt illis manus (Act. I, 23).

Videsne ubique cum jejunio orationem? Tunc enim jucundior et probatior a lyra emittitur melodia. Non sunt cordae humidae ebrietatis excessu solutae, sed viget cogitatio, excitata est mens, vigil anima.

Sic accedere ad Deum et eum alloqui oportet solum cum solo. Nam si quando amicis rem necessariam aliquam dicere opus est, seorsim abstractos alloquimur: quanto magis erga Deum hoc praestandum est, ingressos scilicet in cubiculum cum multa quiete: et prorsus omnia consequemur, si utilia petamus. Etenim ingens bonum est oratio, quando cum grata et vigili anima emittitur.

Quomodo autem grata fuerit? Si nos ita instituamus, ut non modo cum accipimus, sed etiam quando non auditi discedimus, gratias agamus Deo. Nam aliquando concedit Deus, aliquando minime: utrumque autem utiliter agit; ita ut sive acceperis, sive non, etiam in non accipiendo accipias: sive voti compos sis, sive non, voti tamen compos fias.

Est enim aliquando utilius non consequi quod petimus, quam consequi. Nam nisi nobis utile saepe esset non accipere, semper ipse daret: non esse autem voti compotem utiliter, illud est esse voti compotem.

Ideoque differt saepe petita concedere, non ut nobis moras afferat; sed ut procrastinatione doni ad assiduam et perennem supplicationem sapienter inducat.

Quia enim saepe postquam accepimus ea quae petiimus, precandi curam ponimus, ut nostram in precationibus vigilantiam adaugeat, donum differt.

Sic et prolis amantes patres faciunt, qui segnitiei deditos pueros suos, qui ad pueriles lusus accurrunt, saepe maximi doni pollicitatione apud se retinent: ideoque aliquando differunt, aliquando penitus non dant.

Accidit enim nonnunquam ut noxia petamus; qui vero quae nobis utilia sunt, magis quam nos cognovit Deus, non annuit orationibus nostris, id quod in nostram vertit utilitatem, etiam nobis ignorantibus, procurans.

Et quid mirum si nos non audiat, quando etiam illud Pau-

lo accidit? Etenim ipse saepe cum petiisset, voti compos factus non est: ac non modo non maerore affectus est, sed etiam gratias Deo retulit: propter quod, inquit, ter Domino rogavi; illud vero ter, saepe significat. Quod si Paulus postquam saepe petierat, non impetravit, multo magis nobis perseverandum est. Sed videmus, quia postquam saepe petierat non accepit, quomodo affectus erat, quod voti compos factus non esset. Non modo non doluit, sed etiam gloriabatur quod non accepisset. Cum dixisset enim, propter quod ter Dominum rogavi, et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur (II Cor. XII, 9), sic pergit: libenter gloriabor in infirmitatibus meis.

Vidistine gratum famuli animum?

Petiit beatus Paulus ab infirmitatibus liberari, et non annuit Deus: ac non modo non doluit Paulus, sed etiam gloriatur in infirmitate. Eodem quoque modo et nos animas nostras disponamus, sive dederit Deus, sive non dederit ea quae petimus, pro utroque gratias agamus Deo. Utrumque enim ad nostram utilitatem facit.

Si dandi potestatem habet, igitur habet et dandi, quando vult, et quod vult, atque etiam non dandi.

Tu non nosti ea quae tibi prosunt, ut ille clare novit. Saepe postulas noxia et damnosa: ille vero salutem tuam magis quam tu curans, non attendit petitioni; sed etiam antequam preceris, quid tibi conducat ubique prospicit.

Si enim carnales patres puellis suis petentibus non omnia largiuntur, non quod illos despiciant, sed quia maximam eorum curam gerunt: multo magis Deus, qui plus amat, et plus quam omnes quid sit utile novit, idipsum praestat [1].

269.—Orantes gratias agamus exspectantes auxilium Dei. Annon poterat Deus ante precationem bona nobis conferre? annon vitam dolore vacuam concedere, atque a quavis aerumna remotam? Sed utraque ille summo amore facit. Cur enim nos vexari permittit, nec illico auxilium admovet? Qua de causa? Ut ipsum assidue adeamus, ejus postulantes opem, ad ipsumque confugiamus, et frequenter ipsum ad auxilium vocemus.

---

1 Hom. in Ps. 145, nn. 4-6.

Ideo corporis dolores, ideo penuriae fructuum, ideo fames; ut ex his aerumnis ab illo semper pendeamus, atque sic per temporales aerumnas vitam aeternam in haereditatem consequamur. Itaque pro his etiam Deo gratias agere debemus, qui multis modis sanitatem et salutem confert animabus nostris. Homines enim si minimum quidpiam nobis beneficii contulerint, iisque postea vel inviti aliquantulum molestiae afferamus, statim exprobant beneficium, ita ut multi sibi ipsis maledicant, quod ab iis beneficium quodvis acceperint: Deus vero non sic, sed etiam si statim post collata beneficia contemnatur afficiaturque contumelia, adhuc sese purgat, rationesque init cum his, qui se injuria affecerunt, his verbis: popule meus, quid feci tibi? (Mich. VI, 3).

Igitur horum omnium malorum causa frequenter ad eum confugiamus, et in omni maerore consolationem ejus quaeramus, in omni calamitate ejus solutionem, ejus misericordiam, in omni tentatione ejus auxilium: quantumcumque enim malum fuerit, quantacumque calamitatis magnitudo, omnia ille solvere et amovere potest: neque hoc tantum, sed omnem securitatem, virtutem, veram gloriam, incolumitatem corporis, philosophiam animae, spem bonam, et ut non facile peccemus, id nobis ejus bonitas conferet.

Ne itaque ingratorum servorum more murmuremus, neque Dominum incusemus; sed in omnibus gratias agamus, et unum solum malum esse putemus, nempe in eum peccare [1].

270.—Efficacia orationis semper est magna. *Supra vires aggravati sumus, ut ne fidentes simus in nobis ipsis, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui de tantis mortibus nos eripuit; in quem speramus quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus etiam vobis in oratione pro nobis* (II Cor. I). Quoniam id quod dixerat, ut ne simus fidentes in nobis ipsis, commune crimen et accusatio esse videbatur, quae nonnullos eorum perstringeret, mitigat rursus id quod dixit, preces ipsorum ingentis praesidii loco implorans, illudque simul indicans vitam nostram in perpetua cura et sollicitudine esse oportere. Nam

---

[1] De poenit. et orat. homil. 4, n. 6.

dum ait, speramus autem quoniam et adhuc eripiet, multarum tentationum agmen praenuntiat, nec tamen usquam derelictionem, sed auxilium ac suppetias.

Ideo monet ut precibus affixi sint; *adjuvantibus* inquit, *vobis in oratione pro nobis.* Posteaquam afflictionum utilitatem ostendit, ac deinde sollicitudinem ipsis injecit, rursus eorum animos acuit atque ad virtutem promptiores efficit, magnum ipsorum precibus testimonium tribuens, siquidem ob eas Paulum ipsis donarint: *adjuvantibus* enim, inquit, *vobis in orationibus.*

Ita ipse qui tot partibus sublimior illis erat, eorum precibus salutem se consequutum esse, ac propter ipsorum orationes beneficium accepisse dicit. Quin illud quoque animadverte, quod etiamsi Deus misericordia permotus aliquid faciat, tamen hic quoque precatio multum adjumenti affert. Etenim in principio salutem suam Dei miserationibus acceptam retulit, *Deus* enim *miserationum,* inquit, *nos eripuit;* hic autem eamdem ipsorum quoque precibus adscripsit.

Nam etiam illum, qui talentorum decem millia debebat, postquam ad ipius pedes accessisset, miseratus est; et tamen dictum est, *misericordia motus dimisit eum.* Atque item cananaeae post multam illam assiduitatem ac tolerantiam, tum denique filiae salutem concessit, etiamsi alioqui misericordia ductus ipsi salutem attulerit. Ex quo nimirum discimus, quamvis Deus misericordiam erga nos adhibiturus sit, nobis tamen istud prius faciendum esse, ut misericordia dignos nosipsos praestemus. Quamvis enim misericordia sit, dignos tamen requirit; non enim temere quibusvis obtingit, etiam stupore laborantibus: *miserebor* enim, inquit, *cujus miserebor, et misericordiam praestabo ei, cui miserebor* (Ex. XXXIII, 19).

Vide quippe quidnam hic quoque dicat: *adjuvantibus et vobis in oratione.* Nam nec totum ipsis tribuit, ne eorum animos efferat; nec rursus eos omni ex parte ab hujus beneficii laude submovit, ut eos incitet alacrioresque efficiat, atque inter se devinciat. Unde etiam dicebat, *salutem meam vobis donavit.*

Nam persaepe quoque Deus quasi pudore commovetur, cum multitudinem ad precationem concordem atque cons-

pirantem cernit; ideoque prophetae dicebat: *ego autem non parcam huic civitati, in qua habitant plus quam centum millia hominum* (Jon. IV, 11)? Deinde ne putes Deum ob multitudinem duntaxat ad misericordiam inflecti, his verbis utitur: *si fuerit numerus Israel tamquam arena maris, reliquiae salvae fient* (Is. X, 22). Qui factum est igitur, ut Ninivitas servarit? Nempe quia non multitudo solum erat, sed multitudo virtute praedita; poenitentiam enim unusquisque egit, et a via sua prava recessit. Atque etiam ipse, dum salutem ipsis aferret, aiebat: *nesciunt quid sit inter dextram et sinistram* (Jon, IV, 19).

Ex quo perspicuum est, eos in priora peccata simplicitate potius quam animi perversitate lapsos fuisse; idque ex eo constat, quod paucis verbis auditis ad meliorem mentem se receperunt. Quod si ad eos servandos hoc satis virium habuisset, quod centum viginti hominum millia erant, quidnam prius quoque prohibuisset, quin salutem adipiscerentur? Cur igitur non dixit ei, ego autem non parcam civitati huic ita immutatae, sed tota millia profert? Ex abundanti hoc facit; nam mutatio quidem manifesta erat, numerus autem et simplicitas civium prophetae ignota erant. Undique igitur eorum animos emollire studet; nam tum viribus pollet multitudo, cum virtus insuper accedit.

Hoc etiam alio loco Scriptura his verbis declarat: *oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (Act. XII, 5): tantamque vim habuit, ut quamvis etiam fores clausae essent, et catenae apostolum stringerent, custodesque utrimque ad ipsius latus dormirent, eum tamen eduxerit atque ex omnibus illis difficultatibus liberarit. Verum quemadmodum si virtus adsit, magna vim habet multitudo; ita si vitium adsit, nullam utilitatem affert. Siquidem et Israelitae, quos arenae maris numerum adaequasse Scriptura refert, omnes perierunt; atque etiam tempore Noe permulti, imo innumeri erant, nec tamen eos quidquam hoc juvit: sola enim multitudo nihil potest, verum tum demun cum accessionis loco est.

Demus igitur operam, ut in precibus coeamus, alii pro aliis precemur, quemadmodum illi pro apostolis. Sic enim et mandatum explemus, et ad caritatem incitamur: *cum*

autem caritatem dico, omnia bona hoc vocabulo complector, atque etiam majore studio gratias agere discamus. Nam qui pro alienis gratias Deo agunt, multo magis id pro suis faciunt. Hoc David quoque faciebat, *magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum* (Ps. 33, 4): hoc et Apostolus passim exposcit: hoc nos item faciamus, atque apud omnes Dei beneficium praedicemus, ut eos laudationis socios assumamus.

Nam si cum beneficium aliquod ab hominibus accepimus atque id celebramus, promptiores eos ad bene de nobis merendum reddimus; multo magis Dei beneficia praedicantes, ad majorem benevolentiam ipsum attrahemus. Et si cum beneficium aliquod ab hominibus consequuti sumus, ad gratias nobiscum agendas alios etiam excitamus, multo profecto magis nobis curandum est, ut multos, qui gratias pro nobis agant, ad Deum adhibeamus. Istud praesertim sacerdotum munus est, utpote bonum omnium praestantissimum. Accedentes enim, primo pro universo orbe communibusque commodis gratias agimus.

Quamobrem pro aliorum quoque apud Deum libertate ac fiducia gratias agamus; *siquidem prisca lex haec est, atque antiquitus in Ecclesia instituta.* Sic Paulus pro Romanis, pro Corinthiis, pro universo orbe gratias agit [1].

271. — **Preces magnam vim acquirunt ex eleemosyna.** Ignis est precatio, praecipue cum a vigilante et sobria mente proficiscitur; sed ignis iste opus habet oleo, ut ad ipsa caeli convexa perveniat: ceterum oleum, quo ignis hic fovetur, non aliud est quam eleemosyna. Affunde igitur oleum hoc largiter, ut exhilaratus hoc tuo bono opere, cum majore alacritate precationem tuam absolvas.

Sicut enim qui nullius bonae rei sibi sunt conscii, nulla cum fiducia precari possunt: ita qui bene aliquid egerunt, et post ista opera ad precandum se conferunt laeti recordatione bene gestorum, majore cum alacritate supplicationem suam offerunt. Ut igitur hac quoque parte efficaciores sint preces nostrae, nimirum mente per beneficentiae memoriam

1 In Epist. II ad Cor. homil. II, nn. 3-5.

excitata, cum eleemosyna ad precandum accedamus, et diligenter omnia in memoria retineamus, et ante omnia illam pauperum imaginem, qua eos dixi [1] pro foribus oratorii consistere, idipsum in animae usum praestantes, quod in corporis usum fons exhibet. Si enim horum memores continuo mentem abluerimus, poterimus et puras preces ad Dominum allegare, multam apud Deum fiduciam obtinere, et caelestem regnum consequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi [2].

272.—Lacrimae et oratio. *Et surrexit Anna, postquam ipsi comederant in Selom, et biberant, et stetit coram Domino* (I Reg. 1, 9). Non sine causa dictum est hoc quoque, *postquam comederant et biberant;* sed ut intelligas, quod alii voluptatibus et otio tempus impendunt, illud eam precibus ac lacrimis impendisse, quod sobria plurimum ac vigilans esset. *Et stetit coram Domino: et Heli sacerdos,* inquit, *sedebat super sellam in liminibus templi Domini.* Ne hoc quidem temere positum est, *Heli sacerdos sedebat in liminibus templi Dei;* sed ut fervor mulieris ostendatur.

Nam ut saepe vidua mulier auxilio destituta ac deserta, contumeliis ac variis injuriis affecta, cum forte imminet Imperatoris adventus, satellitibus, clypeatis militibus, equitibus, alioque multo famulitio praecedente, minime terre-

---

[1] Paulo ante dixerat eloquentissimus orator: Quia magna alacritate video vos de eleemosyna sermonem excipere, eo magis libet istam exhortationem continuare. Medici animarum nostrarum sunt pauperes, benefactores et protectores: neque enim tantum das, quantum accipis; das pecuniam, et accipis regnum caelorum; sublebas egestatem, et reconcilias tibi Dominum.

Hac de causa majores nostri pro foribus ecclesiarum pauperes constituerunt, ut vel inhumanissimum et segnissimum quemque aspectus ipse egenorum ad eleemosynam excitet. Ubi enim stat chorus senum incurvorum, squalidorum, baculos tenentium etc. Hac de causa pro foribus nostris stant, et ipso aspectu, magis quam ullis verbis possunt, ad beneficentiam provocant eos qui introgrediuntur. Quemadmodum enim solemne est ut fontes praesto sint ante oratoria, ut adoraturi Deum manus prius lotas inter precandum attollant; ita pauperes fontium vice ante fores collocaverunt majores nostri, ut quemadmodum manus abluimus aqua, sic prius per beneficentiam abstersa anima, tum demum preces nostras offeramus.

[2] De verbis Apost. utinam sustineretis mod. n. 12.

tur, neque patrono indiget, sed omnes illos perrumpens multa cum fiducia Imperatorem alloquitur suamque calamitatem deplorat, ad ejus alloquium ab ipsa necessitate deducta; sic nimirum et mulier ista non erubuit, neque illam puduit sedente sacerdote per se ipsam petere, ac multa cum fiducia ad Imperatorem accedere, sed impulsa desiderio, atque in caelum mente subvecta, tamquam ipsum contueretur Deum, ita cum summo illum fervore compellebat.

Quid vero ait? Imo vero nullum verbum prius emittit, sed fletuum praemittit exordium, et callidos lacrimarum rivos effundit. Et sicut, cum imbres decidunt, tellus ipsa durior irrigata et emollita seipsam facilius ad producendas fruges excitat; sic etiam in hac muliere contigit.

Audiamus autem ipsa verba, pulchramque istam supplicationem. *Plorans,* inquid, *ploravit, et votum vovit Domino dicens: Adonai Domine Eloi Sabaoth.* Tremenda verba et horroris plena: recteque factum est a scriptore, cum in nostram linguam ea non transtulit; neque enim propria retenta virtute in graecum illa sermonem convertere potuisset. Nec uno illum vocabulo mulier appellavit, sed pluribus quae illi tribuuntur, amorem erga illum suum, et ardentem affectum ostenderet. Et sicut qui libellos supplices offerendos Imperatori scribunt, non unum inserunt nomen, sed Triumphatorem, Augustum, Imperatorem, et alia multa sublimiora istis cum addiderint, tum demum suas preces offerunt; sic et ista cum libellum quemdam supplicem offerret Deo, multa in exordio supplicationis suae nomina ponit, cum ut affectum, ut antea dixi, proprium, tum ut honorem indicet, quo prosequitur eum cui supplicat.

Enimvero preces istas dictavit dolor; quapropter et confestim exaudita est, cum illas admodum prudenter scripsisset. Tales quippe sunt, quae ex animi dolore funduntur orationes. Nam pro charta fuit mens ejus, pro calamo lingua, lacrima pro atramento; quam ob causan ad hunc usque diem ejus supplicatio permansit. Indelebiles quippe fiunt ejusmodi litterae, quae illo tinctae fuerint atramento. Atque exordium quidem libelli supplicis tale fuit: quae vero sequuntur, quaenam? *Si respiciens respexeris,* inquit, *super humiliationem ancillae tuae* (I Reg. I, II). Necdum quid-

quam accepit, et a promissione orationis duxit exordium. Remuneratur Deum, cum nihilum manibus teneat. Adeo fervebat, et ad hoc potius quam ad illud aspirabat, ideoque sibi filium dari precabatur. Si respiciens respexeris super humiliationem ancillae tuae. Duplici jure nitor, inquit, servitutis et calamitatis. *Et da mihi ancillae tuae semen viri, dabo illud datum coram te.* Quid est, *coram te datum?* Deditium et plane servum. Omni potestate me abdico. Eatenus enim tantum fieri mater cupio, quatenus a me filius ducat initium, tum deinceps meo jure cedo, ac rursus ei renuntio [1].

273.—Oratio in communi efficacior est. Magna sacri conventus, hoc est, Ecclesiarum vis ac potentia est. Animadverte quanta sit vis caetus Eclesiae: oratio Petrum e vinculis exemit, Pauli os aperuit (Act. XII, 5); horum suffragium eos qui ad spirituales dignitates veniunt, haud leviter exornat. Ac propterea is, qui ordinaturus est illorum preces tum poscit, atque ipsi calculum suum addunt, acclamantque ea quae norunt, qui mysteriis initiati sunt: neque enim fas est coram profanis cuncta detegere.

Interdum autem nihil inter sacerdotem interest, et eos quibus praeest, velut cum tremenda mysteria percipienda sunt; aeque enim omnes ad ea admittimur: non sicut in veteri Testamento alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescebatur. Nunc autem secus se res habet, omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur. In precationibus quoque populum videris multum conferre.

Etenim pro energumenis et pro iis qui in poenitentia sunt, communes et a sacerdote et ab ipsis preces fiunt; atque omnes unam eamdemque precem concipiunt, precem, inquam, misericordia plenam. Rursum cum eos, qui sacrosanctae mensae participes esse nequeunt, a sacris septis arcemus, ineunda est altera oratio, in qua omnes aeque humi jacemus, omnes aeque consurgimus. Ad haec cum pax danda vicissimque accipienda est, omnes mutuo nos exosculamur.

---

[1] Serm. I de Anna, n. 5.

Jam in tremendis mysteriis quoque, ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit: haec enim verba, *et cum spiritu tuo,* nihil aliud quam hoc significant.

Rursus ea oratio, qua Deo gratiae aguntur, utriusque communis est; neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id digne ac juste fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur. Quid autem miraris, si cum sacerdote plebs interdum loquatur, cum etiam cum ipsis Cherubim ac supernis Virtutibus sacrosanctos illos hymnos communiter in caelum mittat?

Haec porro cuncta eo a me dicuntur, ut unusquisque, etiam ex iis qui subsunt, advigilent; illudque intelligamus, nos omnes unum corpus esse, tantumque duntaxat inter nos differre, quantum membra a membris differunt; ac proinde ne omnia ad sacerdotes rejiciamus; quin potius nos Ecclesiae totius, perinde ac communis corporis, cura afficiamur. Hoc enim et majorem securitatem affert, et majus virtutis incrementum nobis comparat [1].

274.—*Laudate, puerit Dominum, laudate nomen Domini.* Multae in Scripturis hujusmodi laudes commemorantur; non est enim quid leve, sed sacrificium quoddam, et oblatio Deo accepta: *sacrificium enim,* inquit, *laudis glorificabit me* (Ps. 49, 23). Et rursus: *laudabo nomen Dei mei cum cantico, magnificabo ipsum in laude; et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas* (Ps. 68, 31, 32). Sacri quoque libri id saepe praecipiunt, et qui servantur, pro magnis gratiarum actionibus id offerunt. Et quamnam habet, inquies, hoc difficultatem? Cui autem vel humilis et abjectae condicionis id praestare, et Deum laudare non est facile? Si rem diligenter et exacte didiceris, videbis et laborem qui in re inest, et lucrum quod ex ea percipitur. Primum quidem haec laus a justis requiritur, et oportet vitam prius recte instituentem, hymnos ita Deo canere. *Non est enim pulchra laus in ore peccatoris* (Eccli. XV, 9). Secundo non verbis solum, sed etiam factis laudare oportet, et hanc

1 In Epist. II ad Cor. homil. 18, n. 3.

laudem Deus maxime requirit, hanc gloriam: *luceat enim,* inquit, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est in caelis* (Mt. V, 16).

Ita laudant Cherubim. Quocirca propheta quoque cum illam mysticam audisset melodiam, seipsum miserum praedicans dicens: *hei mihi, quod homo sum, impura habens labia, et habito in medio populi impura labia habentis* (Is. VI, 5). Et ideo cum praecipit laudes offerre, incipit a superioribus potestatibus, sic dicens: *laudate Dominum de caelis, laudate eum omnes angeli ejus* (Ps. 148). Oportet itaque angelum fieri, et ita laudare. Ne ergo hanc laudem rem esse levem existimemus; sed ante os nostrum vita nostra ipsam sonet, atque ante linguam vitae institutum clamet. Ita quidem vel tacentes Deum laudare possumus: ita etiam loquentes edemus modulationem vitae convenientem. Non hoc autem solum ex psalmo dicere possumus, sed etiam quod omnes ducat ad symphoniam, et chorum integrum statuat. Non enim unum tantum aut duos alloquitur, sed universum populum. Et quemadmodum Christus nos deducens ad caritatem et concordiam, jubet communes preces offerri, et ab universa Ecclesia tamquam ab una persona dici: *Pater noster,* et *panem nostrum,* et *dimitte nobis debita nostra:* ubique utens plurali nomine, et praecipiens unicuique, sive solus oret, sive cum aliis, pro fratribus offerre orationem: ita etiam propheta vocat omnes simul ad concentum orationis, et dicit, *laudate nomen Domini.* Quid igitur sibi vult haec adjectio nominis? Maxime quidem explicat affectionem dicentis: significat etiam ut nomen ejus per nos glorificetur, ut ex nostra quoque vita videatur laudabile; est enim quidem natura tale; vult autem hanc quoque laudem per rectam nostrae vitae institutionem illustrari [1].

275.—Precemur eos qui morbo spirituali laborant ad sanitatem revocari. Nam si pro aegrotis, pro laborantibus ad metalla, pro dura servitute pressis, pro energumenis Deum rogare jubemus, quanto magis pro his? Impietas quippe ipso daemone tetrior est; illa namque insania veniam meretur, hic vero morbus nullam habet defensionem.

---

[1] Expos. in Ps. 112, n. 1.

At quando de oratione pro energumenis mentionem feci, aliquid ea de re vestrae caritati disserere animus est, quo gravem ab Ecclesia morbum exscindamus. Etenim absurdum esset dum exterorum morbis tanta cura medemur, propria negligere membra. Quod genus morbi illud est?

Ingentem hanc populi multitudinem nunc coactam, et tanto studio auscultantem, tremenda illa hora oculis perquirens, videre non potui: admodum ingemui, quod loquente quidem conservo, ingens sit studium, summa alacritas, cunctis sese mutuo impellentibus, et ad usque finem manentibus; cum autem Christus in sacris mysteriis sese ostensurus est, ecclesia vacua desertaque maneat. Quo pacto isthaec veniam mereantur? Tali certe segnitie omnem studii in auscultando vestri laudem amittitis.

Quis enim ex vobis non nos quoque damnaturus est, cum videat totum concionis fructum vobis statim effluxisse? Nam si dictis sedulo attenderetis, operibus sane vestram exhiberetis diligentiam. Quod autem statim atque audivistis, discedatis, id profecto signum est vos nihil dictorum animo suscepisse. At enim si ea in animis vestris deposita essent, vos plane intus retinerent, et majori cum pietate horrendis illis mysteriis admoverent: nunc autem quasi citharoedum quempiam audissetis, sic omni fructu vacui cessante concione receditis. At quorsum frigida illa multorum excusatio? Precari etiam domi possumus, concionem doctrinamque audire nonnisi in ecclesia possumus.

Te ipsum, mi homo, decipis. Precari etiam domi potest; ita vero precari, ut in ecclesia, non potes, ubi tanta patrum frequentia, ubi clamor unanimiter ad Deum emissus.

Non perinde exaudieris cum penes te solus Deum precaris, atque ubi cum fratribus tuis. Hic aliquid amplius est, nempe concordia et consensus, caritatis vinculum, et sacerdotum orationes.

Ideo namque sacerdotes praesunt, ut multitudinis preces infirmiores cum hisce validioribus conjunctae una cum eis in caelum ascendant. Alioquin quid concio prosit, nisi sit cum oratione conjuncta? Prius oratio, deinde sermo: sic ajunt Apostoli: *Nos autem in oratione et verbi ministerio perseveremus* (Act. VI, 4).

Sic et Paulus facit, cum in epistolarum exordiis precetur, ut quasi lumen lucernae, ita et orationis lux verbo praeeat. Si ita te assuefeceris orandi diligentiae, consevorum doctrina non egebis, ipso Deo sine ullo mediatore mentem tuam irradiante.

Quod si unius oratio tantam vim habeat, multo magis ea quae cum multitudine emittitur: haec plus habet nervorum, majoremque fiduciam, quam domi emissa.

Undenam id liquet? Ipsum audi Paulum loquentem: *Qui de tanta morte eripuit nos, et adhuc eruet. Speramus autem quod adhuc eripiet: vobis quoque in oratione pro nobis subvenientibus, ut de dono nobis collato per multas personas gratiae agantur pro nobis* (2 Cor. I, 10 ,11).

Sic etiam Petrus carcerem effugit: *oratio enim fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (Act. XII, 5). Quod si Ecclesiae oratio Petro profuit, ac columnam illam eduxit ex carcere, quare tu ejus vim despicis, dic mihi, et quam habebis excusationem?

Ipsum quoque Deum dicentem audi, se multitudine cum benevolentia orante placari. Nam cum sese apud Jonam excusaret de cucurbitae fructice, ait: *Tu quidem pepercisti cucurbitae, pro qua non laborasti, neque excoluisti eam; et ego non parcam Ninivae civitati magnae, in qua habitant plus quam centum viginti millia hominum* (Jon. IV, 10, 11).

Non abs re multitudinem opponit, sed ut scias, orationem uno consensu factam magnam vim habere.

Declarat exemplo multitudinis que petit a rege vel imperatore veniam pro aliquo, et addit. Itane terreni Imperatoris iram placare volentes, cum liberis et uxoribus omnes accurritis: caelorum vero Imperatorem vobis propitium reddere studentes, atque ex ira ultioneque ejus non unum, vel duos aut tres, aut centum, sed omnes per orbem peccatores, necnon demoniacos a diaboli laqueis erepturi, sedetis, nec simul omnes concurritis, ut Deus concordiam vestram reveritus, et illis poenam et vobis peccata remittat [1].

276.—Haec magna est nostra securitas, ut caritate vestra perpetuo fruamur, tali populo ac tanto. Nam qui frui-

[1] Homil. 3 de Incomprehen. n. 6.

tur caritate, precibus etiam omnino fruetur. Hoc vero quantum sit bonum, inde licet colligere.

Paulus ille, qui tertium in caelum raptus fuerat, qui audiverat arcana verba, qui omnes naturae necessitates subegerat, qui perfecta deinceps in securitate permanebat, precibus etiam discipulorum indigebat ac dicebat: orate pro me, ut liberer ab infidelibus (Rom. XV, 30); et rursus, orate ut detur mihi sermo in apertione oris mei (Ephes. VI, 19). Et ubique videtis ipsum et discipulorum orationes postulare, et cum obtinuerit, gratias illis agere. Nam ne forte dicat aliquis eum prae nimia humilitate ad discipulorum preces confugere, virtutem illarum ostendit., cum ita loquitur: qui de tantis mortibus nos eripuit; speramus autem, quoniam et adhuc eripiet adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis, ut ob donationem, quae in vobis est, per multos gratiae pro nobis agantur (II Cor. I, 10).

Quod si Paulum a periculis oratio multitudinis liberavit, annon etiam a nobis exspectari par est, ut ex hoc subsidio magna commoda consequamur?

Cum enim infirmi simus, dum soli precamur, ubi vero congregati fuerimus, robustiores, multitudine ac societate inita Deum exoramus.

Sic etiam rex saepe cum aliquem ad mortem damnarit, uni quidem oranti pro damnato non annuit; ab integra vero civitate deprecante facile exoratur, eumque qui ad barathrum abducebatur, ob deprecatorum multitudinem supplicio eximit, atque ad vitam reducit. Tanta vis est orationis multitudinis.

Idcirco etiam colligimur et convenimus huc omnes, ut vehementius Deum ad misericordiam flectamus.

Nam cum orantes soli, ut ante dixi, imbecilles simus, per conjunctionem caritatis Deum exoramus, ut nobis postulata concedat.

Haec vero non temere a me proferuntur, neque propter me ipsum tantum, sed ut semper ad collectas properetis, nec dicatis: Annon enim orare domi possum? Potes tu quidem orare, sed tantam virtutem non habet oratio, quam ubi cum propriis membris fit, quam totum corpus Ecclesiae

unanimiter et una voce preces fundit, sacerdotibus praesentibus, ac verba communis coetus offerentibus.

Visne discere quanta sit virtus orationis quae in ecclesia fit?

Vinctus erat aliquando Petrus in carcere, ac multis catenis circumdatus: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo* (Act. XII, 5), et confestim illum eduxit e carcere.

Quid igitur hac potentius fieri queat oratione, quae de columnis ac turribus Ecclesiae bene merita est? Petrus enim et Paulus turres erant et columnae Ecclesiae, atque illius quidem vincula solvit, hujus autem os aperuit

Sed ut non solum ex iis, quae tum acciderunt, sed etiam ex iis quae singulis diebus perficiuntur duplicem ejus virtutem demonstremus, orationis ipsius quae a populo fit vobis memoriam refricemus.

Quanquam si quis e vulgo vobis imperaret, ut singuli ac soli pro episcopi salute oraretis, unusquisque sese excusaret, atque hoc tamquam onus viribus suis majus a se amoliretur: dum vero communiter omnes diaconi vocem auditis id imperantis ac dicentis: Oremus pro episcopo, ut recte tractet verbum veritatis, et pro iis qui hic sunt, et ubique terrarum, quod imperatum est, agere non recusatis, sed magna animi contentione preces offertis, quod quanta sit vis concursus vestris probe intelligatis.

Sciunt quid dicam, ii qui mysteriis sunt initiati; nam oration catechumenorum nondum est illud permissum quandoquidem nondum ad hanc loquendi licentiam pervenerunt; vos autem ut pro toto terrarum orbe, pro Ecclesia quae ad terrae fines usque protenditur, et pro episcopis omnibus qui eam regunt, preces offeratis, coortatur is, qui ministrat illis, et obsequimini summo studio, ac reipsa testamini magnam orationis esse virtutem, quae a populo in Ecclesia communi consensu offeratur [1].

277.—Inefficacia orationis provenit aliquando ex iis pro quibus oratur. Bonum est frui sanctorum precibus, sed cum ipsi quoque fuerimus intenti operi.

[1] De prophetiarum obscur. homil. 2, nn. 4, 5.

Et quid mihi, inquit, opus est aliorum precibus cum fuero intentus operi, nec me eo redigam, ut opus habeam? Nec ego quidem hoc volo; sed opus semper habemus si sapiamus.

Paulus non dicebat, quid mihi opus est precibus, etiamsi qui precabantur non essent illo digni, imo vero ne pares quidem: et tu dicis, quid mihi opus est precibus? Petrus non dixit, quid mihi opus est precibus: *oratio enim,* inquit, *fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (Act. XII, 5): et tu dicis, quid mihi opus est precibus? Propterea tibi opus est, quoniam existimas te non opus habere. Etiamsi fueris sicut Paulus, opus habes precibus. Ne te extollas, ne reddaris humilis. Sed, ut dixi, si simus quidem intenti operi, preces pro nobis emissae juvant.

Audi Paulum dicentem: *scio enim quod hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem et subministrationem Spiritus Jesu Christi* (Philip. I, 19); et rursus, *adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis. Ut ex multis personis ejus quae nobis est donationis per multos gratiae agantur pro nobis* (II Cor. I, 11). Et tu dicis, quid mihi opus est oratione?

Sin autem simus pigri, nemo nobis prodesse poterit. Quid profuit Jeremias Judaeis? Nonne ter ad Deum accessit, et ter audivit, *ne preceris nec roges pro populo isto, quoniam non te exaudiam* (VII, 16)? Quid Sauli profuit Samuel?

Nonne eum luxit usque ad extremum diem? Nec solum pro eo oravit, et quid profuit Israelitis? Nonne dicebat, *absit ut peccem intermittens orare pro vobis* (I Reg. XII, 23), et nonne omnes perierunt?

Nihil ergo prosunt, inquies, preces? Imo vero valde prosunt; sed quando nos quoque aliquid agimus; nam simul agunt preces et opem ferunt: simul autem agit quisque et opem fert ei qui ipse operatur; sin autem maneas piger et otiosus, ex eis non magnam accipies utilitatem.

Nam si valerent preces nos otiosos in regnum introducere, cur non omnes Graeci fiunt christiani? Nonne oramus pro toto mundo, nonne hoc quoque faciebat Paulus, nonne rogamus ut omnes convertantur? Dic enim, cur mali non fiunt boni? Annon ut palam est, quia nihil possunt ex se aferre? Valde ergo prossunt preces, cum nos quoque a nobis, quae sunt nostra, attulerimus.

Vis scire quantum prosint preces? Cogita Cornelium, Tabitham (Act. X, IX): audi etiam Jacobum dicentem Labano: *nisi timor patris mei esset mihi, vacuum me dimisisses* (Gen. XXXI, 42): audi Deum quoque rursus dicentem: *protegam hanc civitatem propter me et propter David servum meum* (IV Reg. XIX, 34). Sed quando? Tempore Ezechiae qui erat justus. Nam si valerent preces etiam tempore valde sceleratorum, cur non etiam quando venit Nabucodonosor, hoc dixit Deus, sed tradidit civitatem? Quoniam plus valuit scelus et vitium. Rursus ipse Samuel oravit pro Israelitis, et impetravit, sed quando? Quando ipsi quoque Deo grati erant et accepti, tunc fugavit inimicos.

Et quid opus, inquit, alterius precibus, quamdo ego Deo sum gratus? Ne hoc umquam dixeris, o homo. Opus est et valde opus est multis precibus: audi enim Deum dicentem de amicis Jobi: *et orabit,* inquit, *pro vobis et dimittetur vobis peccatum* (Job. XLII, 8); quoniam peccarant quidem, sed non magnum admiserant peccatum. Sed hic ipse justus, qui per preces tunc amicos suos servavit, in tempore judaico non potuit servare judaeos pereuntes. Et ut id scias, audi Deum dicentem per prophetam: *si steterit Noe, et Job, et Daniel, non eripient filios suos et filias, quoniam praevaluit vitium* (Ezech. XIV, 16); et rursus, *si steterit Moyses, et Samuel* (Jer. XV, 1).

Et vide quomodo hoc dicitur duobus prophetis; quoniam ambo pro ipsis rogarant, et non erant assequuti. Dicit enim Ezechiel: *hei mihi, Domine, deles tu reliquias Israelis* (IX, 8). Deinde ostendens Deus quod hoc juste faciat, nec ipsum despiciat, cum precationem ejus non excipit, ipsorum peccata ipsi declarat, ac si diceret: Haec per se satis sunt ut tibi persuadeant me, non quod te despiciam, sed ob peccata ipsorum non acceptam habere supplicationem; sed tamen subjungit et dicit, *si steterit Noe, et Job, et Daniel;* et merito illi magis haec dicit, quoniam ipse est qui est multa passus. Dixisti, inquit, mihi ut super stercora comederem, et comedi; dixisti ut me raderem, et sum rasus; jussisti, et dormivi super unum latus; jussisti onustum exire per foramen, et exii; accepisti uxorem meam, et praecepisti mihi ne lugerem, et non luxi, sed tuli fortiter: innumerabilia alia feci

propter ipsos; et ego pro ipsis te rogo, nec exaudis? Ut ostendat ergo Deus se, non quod ipsum contemnat id facere, dicit: *si Noe et Job et Daniel pro filiis et filiabus oraverint, non persuadeor.*

Jeremiae quoque qui pauciora quidem patiebatur a Dei jussis, plura autem ab eorum vitio et scelere, quid dicit? *Annon vides quid isti faciunt?* Certe, inquit, faciunt, sed fac propter me. Propterea dicit ei, *si steterit Moyses et Samuel;* Moyses, primus legislator, qui saepe ipsos eripuit a periculis, qui dixit, *si dimittas quidem peccatum, dimitte; sin minus, me quoque dele* (Ex. XXXI, 32).

Si hic ergo nunc esset, et haec diceret, non impetraret: et si rursus Samuel, qui ipse quoque eos eripuit, qui ab ineunte aetate habitus fuit in admiratione. De illo enim dixi, quod tamquam amicus cum amico sim loquutus, et non per aenigmata; de hoc autem dixi, me in prima aetate ei visum esse, et ab ipso placatum, exclusam aperuisse prophetiam. *Etenim verbum,* inquit, *erat pretiosum, et non erat visio distincta* (I Reg. III, 1). Si isti ergo steterint, nihil proficient. Et de Noe dicit, *justus perfectus in generatione sua erat Noe* (Gen. VI, 9): et de Jobo, *irreprehensibilis, justus, verus, pius* (Job. I).

Hos itaque stantes et Danielem, quem etiam deum Chaldaei existimarunt, non potuisse liberare inquit filios ipsorum et filias. Cum haec ergo sciamus, neque preces sanctorum contemnamus, neque totum in eas conjiciamus, tum ut ne pigri simus et socordes, et ne temere vitam ducamus; tum ut ne a magno lucro excidamus; sed et hortemur ad orandum pro nobis et ad manus nobis porrigendas; et ipsi virtutem sectemur, ut bona quae sunt promissa iis qui ipsum diligunt consequi possimus gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi [1].

278.—Miri orationis effectus ac fructus. Ne desinamus preces emittere: magnum enim telum oratio, thesaurus indeficiens, divitiae inexhaustae, occasio tranquillitatis: innumerabilium bonorum radix, fons et mater est oratio, ipsoque regno potentior.

1 In Epist. I ad Thes. homil. I, nn. 3-4.

Saepe itaque illo ipso qui diademate ornatur febricitante et in lecto jacente, adstant mecidi, satellites, famuli, duces: neque medicorum ars, neque amicorum praesentia, non servorum famulatus, non medicamentorum varietas, non apparatus magnificentia, non pecuniarum copia, nec aliud quidpiam humanum potest aegrotanti solatium afferre.

Si quis vero eorum, qui in Domino fiduciam habent, ingrediatur, corpusque solummodo tangat, puramque pro illo orationem emittat, infirmitatem omnem abigit.

Quodque non divitiae potuerunt, non ministrorum frequentia, non medicinalis experientia, non regius fastus, hoc saepe potuit unius pauperis et inopis oratio.

Orationem dico, non hanc levem et segnitie plenam, sed ferventem, quae animo dolente et intenta mente funditur. Haec quippe in caelum ascendit; ac quemadmodum aquae donec in plano loco feruntur, et latum spatium occupant, non in sublime ascendunt: cum manus artificum ipsas comprimens, in angustum deduxit, telo velociores sese in altum jaculantur; sic et humana mens, donec multa fruitur licentia, diffunditur et effluit, cum autem aerumnis deprimitur, in angustumque deducitur, sic probe exercitata puras et ferventes in altum emittit orationes. Ut autem ediscas illas maxime exaudire posse, quae in angustia emittuntur, audi prophetam: *Ad Dominum cum tribularer clamavi et exaudivit me* (Ps. 119, 1).

Nihil ita segnitiem et socordiam abigit, ut maeror et afflictio, quae undique mentem colligit, et ad seipsam reverti facit. Qui sic in afflictione et oratione versatur, post emissas preces magnam animi voluptatem capere valebit.

Ac quemadmodum nubium conflictus principio aerem caligine offuscat; ubi vero crebras emiserit stillas, evacuata pluvia, serenum laetumque aerem relinquit, sic et maeror donec intus versatur, cogitationem abducit nostram: postquam autem orationis verbis, comitantibus lacrimis, evacuatus fuerit et ejectus difflatusque, magnam affert animi laetitiam, Dei patrocinio radii instar in orantis mentem illapso [1].

---

[1] De Incomprehen. homil. 5, n. 6.

279.—Cum aliquam videris oriri difficultatem vel in matrimonio, vel in aliquo alio rerum statu, Deum precare: hic solus optimus e malis emergendi modus.

Magna quippe est orationis armatura. Hoc et saepenumero dixi, et nunc dico, neque dicere cessabo: licet peccator sis, converte oculos tuos in publicanum qui repulsam non tulit, qui tam multis se peccatis expiavit.

Visne intelligere quanta res sit oratio? Non tam valet amicitia apud Deum quam oratio. Neque meus est hic sermo: neque enim auderem tanti momenti rem ex mea sententia definire, audi ex Scriptura, quod amicitia non, id ab oratione esse perfectum (Lc. II, 5-8).

Orationis vis vim ignis exstinxit, leonum furorem refraenavit, bella composuit, pugnas sedavit, tempestates sustulit, daemones fugavit, caeli portas aperuit, vincula mortis abrupit, morbos ejecit, damna repulit, urbes concussas firmavit, inflictas caelitus plagas, hominum insidias, omnia denique mala sustulit oratio.

Orationem porro dico, non eam quae ore tenus effertur, sed eam quae ex intimo mentis ascendit. Quemadmodum enim arbores illae, quae radice altius miserint, etsi in numeros ventorum impulsus excipiant, non franguntur nec evelluntur, radicibus in imo terrae firmiter haerentibus; sic orationes ex intimo mentis emissae, hac innixae radice, secure in sublime tolluntur, nulloque cogitationum impetu subvertuntur: ideo propheta dicebat, *de profundis clamavi ad te, Domine* (Ps. 129, 1). [1]

Magna est armatura oratio, magnum praesidium. Audistis quo pacto tres pueri vincti impetum ignis represserint, quo pacto flammam calcarint, quo pacto fornacem superaverint, quo pacto virtutem elementorum devicerint? Oratione.

Generosus ac magnus Isaac precibus obtinuit a Deo ut uxor Rebecca filios haberet. Deprecabatur, inquit Scriptura, Isaac pro Rebecca uxore sua, et exaudivit eum Deus (Gen. XXV, 21).

Noli enim putare Deum illum invocasse, ac statim exau-

---

1 Hom. V. de Incomprehensibili, n. 7.

ditum fuisse: multum enim temporis Deum orare consumpsit. Ac si discere velitis quantum, ego vobis illud exacte narrabo. Viginti annorum numerum orando consumpsit.

Unde id constat? Ex ipsa serie narrationis.

Annon igitur erubescimus et confundimur, cum justum videmus annos viginti exspectasse, nec abstitisse: nos vero post unam vel alteram petitionem saepe deficimus, et indignamur?

Tametsi hic multam apud Deum fiduciam habebat, et tamen dilationem doni aegre non ferebat, sed patienter exspectabat: at nos innumeris onerati peccatis, prava conscientia torti, nec ullam erga Dominum benevolentiam exhibentes, nisi prius quam eloquuti fuerimus, audiamur, animo concidimus, aegre ferimus, a precatione absistimus: quo fit ut vacuis semper manibus recedamus [1].

280.—*Cadens igitur ad pedes eius obsecrabat dicens: patientiam habe in me, et omnia reddam tibi* (Mt. XVIII, 26). Non fassus est se nihil habere quod redderet; sed hic mos est debitorum, ut in summa inopia promittant tamen, quo praesens periculum vitare possint.

Audiamus quotquot ignavi sumus ad precandum, quanta sit obsecrationum vis. Non jejunium ostentavit, non ultroneam paupertatem, aut aliquid istiusmodi, sed desertus, sed nudus omni virtute, ubi se ad obsecrandum convertit, eo solo potuit dominum ad misericordiam pertrahere. Ne igitur deficiamus in fundendis precibus.

Quis enim hoc sceleratior, qui et tot criminibus obnoxius erat, et nullum recte factum possidebat? Non tamen secum ad istum modum loquutus est: non audeo loqui, pudore plenus sum, qui potero accedere, qui potero orare? Quod plerique peccatorum dicunt, diabolica laborantes timiditate. Non adest tibi fiducia loquendi? Propterea accede, ut majorem fiduciam pares. Non enim homo est, quem placare cupis, ut pudore et verecundia laborandum sit. Deus est qui magis quam tu ipse, exoptat te a criminibus liberari: non tu tantopere tuam securitatem concupiscis, quantopere ille tuam salutem expetit, idque rebus ipsis docuit.

[1] Homil. de non evulg. pec. fratr., n. 6-10.

Non habes fiduciam? Eo ipso potes fiduciam habere, quod ita affectus sis; maxima enim fiducia est, cum quis se existimat fidere non debere. Nam ut summopere pudenda res est, justificare seipsum coram Domino; ille enim impurus est quicumque id facit, etiamsi omnibus hominibus sanctior fuerit: ita quoque justus fit, qui se credit omnium hominum extremum esse. Cujus rei testes sunt pharisaeus et publicanus. Ne igitur despondeamus animum ob peccata neque desperemus, sed adeamus Deum, procidamus, obsecremus, quemadmodum iste fecit hactenus bona mente usus. Non despondere animum, non desperare, confiteri peccata, postulare dilationem aliquam et moram, et omnia ista bona sunt et mentis contritae, et animae humiliatae.

Quae jam sequuntur, nequaquam similia sunt superioribus; quae enim per supplicationem congregaverat, haec omnia in universum effudit per iram, quam in proximum exercuit.

Sed jam ad modum donatae veniae procedamus. Videamus qualitatem istius remissionis, et quibus rebus ad id dominus adductus fuerit. *Misertus illius dominus,* inquit evangelista, *absolvit eum, et debitum remisit* (Mt. XVIII, 20). Ille dilationem petiit, iste veniam concessit, adeo ut plus ceperit, quam postularit. Quapropter Paulus inquit: *ei qui potest omnia facere superabundantius quam petimus, aut cogitamus* (Ephes. III, 20). Non enim potes cogitare tanta, quanta ille instituit donare tibi.

Ne igitur pudefias, neve erubescas, imo potius pudorem de peccatis collige, ne desperes, neve absistas a precatione, sed accede, licet peccator sis, ut reconcilies tibi Dominum, ut des illi locum suam humanitatem in condonatione tuorum criminum exhibendi; quia si timeas accedere, impedis illius bonitatem, remoraris illius bonitatis largitatem, quantum ad te attinet.

Ne igitur animo despondeamus, neve nos segnes timidosque ad preces exhibeamus. Etiamsi detrusi simus ad barathrum malitiae, facile inde nos extrahere poterit. Nemo tantum peccavit quantum iste; nam in omne genus scelerum prorruperat, id enim significat dena millia talentorum: nemo ita inops virtutis est, ut iste fuit, hoc enim intelligi-

tur ex eo, quod nihil haberet quod rependeret. Attamen undecumque desertum et inopem potuit vis precum liberare. Tantum, inquit valet precatio, ut eum qui innumeris rebus et factis Dominum offenderit, a poena et supplicio eripere possit? Potest haud dubie.

Non enim illa sola est quae omnia conficit, sed habet sociam et auxiliatricem maximam humanitatem Dei, qui preces accipit, cujus viribus omnia fiunt, et quae orationem efficacem reddidit.

Id igitur subindicans, dixit: Misertus Dominus ejus absolvit eum, et aes alienum remisit ei: ut discas, et post preces, et ante preces domini viscera totum illud negotium fecisse [1].

281.—Oratio animae solatium est, ejusque repellit tristitias. Si hominibus calamitates proprias narrare, iisque mala sua describere, id quamdam affert maerentibus consolationem, ac si illa per loquelam exsufflentur, multo magis, si animi tui miserias Domino tuo communicaveris, quamdam recreationem consolationemque multam accipies.

Homo enim saepe gravatur, querentis lugentisque fastidio eumque rejicit abigitque: at Deus non item, sed admittit ac pertrahit: si calamitates tuas ipsi communicare diu pergas, tunc te magis diligit, tuisque precibus annuit. Hoc ipsum indicans Christus dicebat: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Mt. XI, 28).

Vocat igitur, ne inobsequentes simus; attrahit ne resiliamus; etsi peccatis innumeris obnoxii simus, tunc magis accurramus: hujusmodi enim homnines vocat ille: *non veni,* inquit, *vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam* (Mt. IX, 13). Oneratos hic vocat eos, qui laborant, qui peccatorum gravitate affliguntur; vocatur enim Deus consolationis, et Deus misericordiarum (II Cor. 1, 3): quoniam hoc ejus officium est perpetuum, ut dolentes et afflictos consoletur et hortetur, etiamsi innumeris sint peccatis onusti. Tantum nos ipsi dedamus, tantum accurramus ad eum, nec desistamus, atque experimento dictorum veritatem ediscemus,

---

[1] Homil. de decem millium talent. debitore, n. 6, 7.

nullaque res nos dolore afficere poterit, si assidua et accurata oratione utamur. Quidquid enim accidat, per illam facile depellere poterimus. Ecquid mirum si humanas aerumnas oratio solvere possit, quando peccatorum naturam ita facile exstinguit et delet? Ut igitur praesentem vitam cum facilitate transigamus, et peccata quae contraximus, deponamus, cumque fiducia stemus ante tribunal Christi, hoc nobis perpetuo medicamentum paremus lacrimis, studio, assiduitate, patientia illud condientes; ita enim et perenni fruemur valetudine, et futura consequemur bona gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi [1].

282.—Convenit ratiocinationibus perpetuisque precationibus has tristitias tenebrasque spirituales dissipare. Nam et beatus David, magnus ille vir atque mirabilis, his medicamentis frequenter usus est, hisque plurimos dolores pressurarum removit, nunc quidem orans ac dicens: *tribulationes cordis mei multiplicatae sunt, de necessitatibus meis erue me* (Ps. 24, 17): nunc piis ac religiosis ratiocinationibus admotis inquiens: *quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi* (Ps. 42, 5).

Rursumque ex ratiocinationibus hujusmodi ad orationes conversus: *remitte,* inquit, *mihi, ut refrigerer priusquam abeam, et ultra jam non ero* (Ps. 38, 14); atque ab orationibus ad ratiocinationes; *quid enim,* ait, *mihi est in caelo, et a te quid volui super terram* (Ps. 72, 25)?

Ita et Job uxori quae verba diabolica suggerebat, ratiocinationibus reluctabatur, illamque increpans dicebat: *Quare tamquam una stultarum mulierum loquuta es? Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (Job. II, 10)? Ad Deum vero precibus utebatur.

Ac beatus Paulus utrisque his armis eos, qui in pressuris ac tentationibus erant, juvabat, nunc quidem dicens: *si autem extra disciplinam estis, ergo adulterini, non filii; quis enim filius, quem non corripit pater* (Hebr. XII, 8)? nunc orans, *fidelis,* inquit, *Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

---

1 De Incomprenhens. Dei natura, hom. 5, n. 7.

Si igitur armis his ipse quoque usus fueris, ac te ipsum perfecte undique armaveris, cogitationibus maeroris retundens impetum, orationibus vero tam tuis, quam aliorum te veluti muro fortissimo muniens, celeriter disciplinae istius percipies fructus. Non enim hoc solum lucraberis, quod praesentia fortiter feras, verum his exercitationibus robustissimus effectus, nullis jam vitae hujus adversis casibus frangi vel dejici poteris [1].

283.—Oratio facilia reddit praecepta. Cum patientia aliud quoque auxilium praebet ad divina praecepta adimplenda, dicens: *orationi instantes.* Cum ergo dilectio facilitatem afferat, spiritus adjuvet, spes allevet, tribulatio probatum faciat et idoneum ad omnia generoso ferenda, et cum his aliam armaturam maximam habeas orationem, et supplicationis opem: quidnam postea erit in praeceptis laboriosum? Nihil. Videsne quomodo athletam undique firmet, et quam levia ostendat praecepta? [2].

Ipsi detrahebant mihi, ego autem orabam (Ps. 108, 4). Est et alius quoque qui insidias et calumnias sustinens dolet, et insuavem vitam, nusquam humanum invenire valens auxilium. Docetur et hic ab eodem beato propheta in talibus angustiis non ad humanum praesidium confugiendum: audit enim ipsum dicentem, *ipsi detrahebant mihi, ego autem orabam.*

Vidisti unde quaerat auxilium? Alii, inquit, dolos consuunt, et calumnias insidiasque; ego autem ad inexpugnabilem murum confugio, ad tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem, ad preces, inquam, per quas omnia difficilia levia et facilia mihi fiunt [3].

284.—Oratio purgat peccata. Habes aliam viam poenitentiae opportunam, qua poteris a peccatis te vindicare. Ora per singulas horas, neque orans deficias neque negligenter Dei clementiam implora; non repellet te perseverantem, sed peccata dimittet, et petita concedet. Orans qui-

[1] Ad Stagirium, lib. III, n. 14.
[2] In Epist. ad Rom. homil. 21, n. 3.
[3] In Gen. homil. 29, n. 1.

dem si exauditus fueris, permane gratias agens in oratione; non exauditus, mane orans ut exaudiaris. Neque dixeris multum oravi, atque haud exauditus sum: etenim vel id saepe tuae utilitatis fit gratia. Novit enim quod piger sis, et animo deficias, et si compos voti fueris, abeas oratione dimissa; et per occasionem necessitatis differt te, quo crebrius Deum alloquaris, orationique vaces. Nam si ea in necessitate exsistens, atque indigens pigritaris, neque orationi insistis; quidnam egeris, horum si nullo indigueris? Itaque id tibi facit ad utilitatem tuam, nolens te absistere ab oratione. Mane ergo et ora, dilecte, neque segnis esto; multum enim oratio potest, neque tamquam rem parvam aggrediens, orationi vaces.

Quod autem oratio peccatum dimittat, vel ex divinis evangeliis disce. Quid enim inquit? Simile est regnum caelorum homini, qui suam januam clausit, et recubuit cum filiis suis: venit autem quidam vespere, accipere volens ab eo panes, et pulsat dicens: aperi mihi, quoniam indigeo panibus. Hic ad eum: non possum dare tibi, recubuimus enim et nos et puerit nostri. At ille perseverabat januam pulsans. Et ait rursus ad eum: non possum tibi dare, recubuimus enim et nos et pueri nostri.

Ille autem his auditis insistebat pulsans, neque recedebat, donec dixit paterfamilias: surgite, et date ei, et sinite abire (Lc. XI, 5 sq.).

Docet ergo te orare semper neque obtorpescere; et si minus acceperis, permanere, quoad acceperis [1].

---

[1] De poenit. homil. III, n. 4.

CAPUT XII. De tempore, loco et situ orationis.

Summa: 285. *Tempus orationis: orandum per intervalla.* —286-288. *Per noctem et diem.*—289. *Ante prandium.* —290-293. *Praecipue tempore Quadragesimae et Sabbati sancti.*—294. *Locus orationis: ubique orare possumus.*—295-297. *Situs seu modus quoad corpus: regula tenenda. Potes quis orare sedens, stans, levans manus.*

285.—In ipsa fide et spe et caritate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum et temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus: quantuncumque in hoc desiderio profecerimus nobis ipsis innotescamus, et ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus. *Dignior enim sequetur effectus, quem praecedit affectus.* Ac per hoc et quod ait Apostolus, *sine intermissione orate* (I Thes. V, 16), quid est aliud quam beatam vitam, quae nulla nisi aeterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus et oremus semper.

Sed ideo ab aliis curis et negotiis, quibus ipsum desiderium quodam modo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus intendere, ne quod tepescere coeperat, omnino frigescat, et penitus extin-

guatur, nisi crebrius inflammetur. Unde et illud quod idem Apostolus ait, *postulationes vestrae innotescant apud Deum* (Phil. IV, 6), non sic accipiendum est, tanquam Deo innotescant, qui eas et antequam essent, utique noverat, sed nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam.

Aut forte etiam innotescant Angelis qui sunt apud Deum, ut quodam modo eas offerant Deo, et de his consulant, et quod eo jubente implendum esse cognoverint, sicut oportere ibi cognoverint, hoc nobis vel evidenter vel latenter apportent. Dixit angelus homini (Tob. XII, 12): *Et nunc quando orabas tu et Sara, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei* [1].

286.—Oratio per noctem. *Praeveni in nocte intempesta, et clamavi: in verbis tuis speravi.* Si hoc ad unumquemque fidelium referamus, et ad proprietatem rei gestae; saepe contingit ut tali noctis tempore vigilet amor Dei, et magno urgente orationis affectu non exspectetur, sed praeveniatur, quod post galli cantum consuevit esse tempus orandi.

Si autem accipiamus hoc totum saeculum noctem, utique intempesta nocte clamamus ad Deum, et prae-

---

[1] Epist. 130 ad Prob. n. 18. **Doctrina divi Thomae:** Tria exigit sanctus Paulus a viris in orando: quod sit assidua, pura et quieta. Assidua *in omni tempore et loco.* Bonum est quod homo oret. In omni loco potest homo spiritualiter et mentaliter orare.

Oratio mentalis ubique fieri potest, sed signa orationis exterius non debent fieri in omni loco, quia homo non debet apparere in exterioribus, quia propter hoc posset haberi inanis gloria.

Sunt tamen factae ecclesiae, non quod locus sit de necessitate orationis, sed ad bene esse ejus, quia oratio requirit solitudinem et quietem (In Ep. I ad Tim. 2, lec. 2).

Factus est dies festus ad habendam spiritualem laetitiam, quam facit oratio: unde et tali die multiplicari debent preces (Opusc. III, cp. 16).

venimus maturitatem temporis, in quo nobis redditurus est quod promisit, sicut alibi legitur: *praeveniamus faciem ejus in confessione* (Ps. 94, 2). Quamquam si velimus intelligere immaturum tempus noctis hujus, antequam venisset plenitudo temporis, id est, ipsa maturitas, quando Christus manifestaretur in carne (Gal. IV, 4), nec tunc Ecclesia tacuit, sed praeveniens istam maturitatem prophetando clamavit, et in verbis Dei speravit potentis facere quod promisit, *ut in semine Abrahae benedicerentur omnes gentes* (Gen. XII, 3; XXII, 18). Ipsa et quod sequitur dicit: *praevenerunt oculi mei ad matutinum, ut meditarer eloquia tua.* Ponamus enim matutinum, quando qui sedebant in umbra mortis, lux orta est eis (Is. IX, 2); nonne in sanctis qui prius erant in terra, ad hoc matutinum oculi Ecclesiae praevenerunt, quia hoc futurum ante praeviderunt, ut meditarentur eloquia Dei, quae tunc erant, et in lege ac prophetis haec futura nuntiabant? [1].

287.—*In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit* (Ps. 41, 9). Nulli vacat audire in tribulatione. Attendite cum vobis bene est: discite, cum tranquilli estis, sapientiae disciplinam, et verbum Dei ut cibum colligite. Quando enim quisque in tribulatione est, prodesse illi debet quod securus audivit. Etenim in rebus prosperis mandat tibi Deus misericordiam suam, si ei fideliter servieris; quia liberat te de tribulatione; sed non tibi declarat ipsam misericordiam, quam tibi per diem mandavit. Etenim scriptum est quodam loco: *speciosa misericordia Domini in tempore tribulationis, sicut nubes pluviae in tempore siccitatis* (Eccli. XXXV, 26).

[1] Enar. in Ps. 118, serm. 29, nn. 4-5.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit. Non tibi ostendit quia subvenit tibi, nisi venerit tibi tribulatio, unde eruaris ab illo qui tibi per diem promisit. Ideo admonemur imitari formicam (Prov. VI, 6). Sicut enim prosperitas saeculi significatur die, adversitas saeculi significatur nocte: ita alio modo prosperitas saeculi significatur aestate, adversitas saeculi significatur hyeme. Et quid facit formica? Per aestatem colligit, quod ei per hyemem prosit. Ergo cum est aestas, cum bene est vobis, cum tranquilli estis, audite verbum Domini. Unde enim fieri potest ut in hac tempestate saeculi hujus sine tribulatione totum hoc mare transeatis? Cui hoc hominum contigit? Si contigit alicui, plus metuenda est ipsa tranquillitas. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit.

Quid ergo agas in hac peregrinatione? Apud me oratio Deo vitae meae. Hoc hic ago cervus sitiens et desiderans ad fontes aquarum, recordans dulcedinem vocis illius qua ductus sum per tabernaculum usque ad domum Dei: quandiu hoc corpus quod corrumpitur aggravat animam: apud me oratio vitae meae.

Non enim ut supplicem Deo, empturus sum de transmarinis locis; aut ut exaudiat me Deus meus, navigabo, ut de longinquo afferam thura et aromata, aut de grege adducam vitulum vel arietem. Apud me oratio vitae meae. Intus habeo victimam quam immolem, intus habeo thus quod imponam, intus habeo sacrificium quo flectam Deum meum: *sacrificium Deo spiritus contribulatus* (Ps. 50, 19). Quod sacrificium contribulati spiritus intus habeam, audi: *dicam Deo, susceptor meus es, quare mei oblitus es?* Sic enim hic laboro, quasi tu

oblitus sis mei. Tu autem exerces me; et novi quia differs mihi, non mihi aufers quod promisisti; sed tamen quare mei oblitus es? Tamquam de voce nostra clamavit et caput nostrum, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (Ps. 21, 2)? Dicam Deo, susceptor meus es, quare mei oblitus es? [1].

288.—**Oratio per diem.** Postremam ponit Epiphanius Massilianorum haeresim, quod nomen ex lingua syra est. Grece autem dicuntur *Euchitae,* ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur.

Nam cum Dominus dixerit: *oportet semper orare, et non deficere* (Lc. XVIII, 1); et Apostolus, *sine intermissione orate* (I Thes. V, 17), quod sanissime sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi; isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicarentur inter haereticos nominandi [2].

289.—**Orandum ante prandium.** Non unius modi est sanctificatio; nam et catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi et orationem manus impositionis puto sanctificari: et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est [3]. Verum et ipsos cibos, quibus ad necessitatem

---

[1] Enar. in Ps. 41, nn. 16-17.

[2] De haeresibus, n. 57.

[3] Accipiebant catechumeni sacramentum salis, qua de re extat Carthaginensis concilii III, can. 5. Id rursus Augustinus in lib. de catechizandis rudibus cp. 26, sacramentum appellat et *speciem benedictione sanctificatam*: qui etiam lib. I confess. cp. II de suo ipsius catechumenatu loquens, *et signabar jam,* ait, *signo crucis ejus et condiebar ejus sale.*

sustentandae hujus vitae alimur, sanctificari idem Apostolus dixit (I Tim. IV, 5) per verbum Dei et orationem, qua oramus, utique nostra corpuscula refecturi [1].

290.—Praecipue orare debemus diebus Quadragesimae. Induamus Dominum Jesum, et carnis curam ne fecerimus in concupiscentiis. Sic semper hic vive, christiane: si terreno limo gressus non vis immergere, noli de cruce ista carnis descendere. Si autem hoc faciendum est per hanc totam vitam, quanto magis per istos Quadragesimae dies quibus non solum agitur, verum etiam significatur haec vita?

Per alios ergo dies non graventur corda vestra in crapula et ebrietate (Rom. XIII, 13): per hos autem etiam jejunate. Per alios dies, adulteria, fornicationes, omnesque illicitas corruptelas nolite contingere: per hos autem etiam a conjugibus abstinete. Quod vobis demitis jejunando, eleemosynis addite praerogando. Tempus quod reddendo conjugali debito occupabatur, supplicationibus impendatur. Corpus quod carnalibus affectibus solvebatur, puris precibus prosternatur. Manus quae amplexibus implicabantur, orationibus extendantur. Vos autem qui etiam per alios dies jejunatis, per hos augete quod facitis. Qui per alios dies perpetua continentia crucifigitis corpus, per hos Deo vestro crebrioribus et intentioribus inhaerete orationibus. Omnes unanimes, omnes fideles fideliter, omnes in hac peregrinatione unius patriae desiderio suspirantes, et amore ferventes.

Donum Dei, quod ipse non habet, nullus in altero invideat, nullus irrideat. In spiritalibus bonis, tuum deputa, quod amas in fratre; suum deputet, quod amat in

[1] De Peccat. meritis et remiss. lib. II, n. 42.

te. Nemo sub abstinentiae specie, mutare affectet potius, quam resecare, delicias: ut pretiosos cibos quaerat, quia carne non vescitur, et inusitatos liquores, quia vinum non bibit; ne per occasionem quasi domandae carnis, magis agat negotium voluptatis. Alimenta quidem mundis munda sunt omnia, sed in nullo munda est luxuria.

Prae ceteris, fratres, a litibus et discordiis jejunate. Mementote prophetam quibusdam exprobantem atque clamantem: *in diebus jejunii vestri, inveniuntur voluntates vestrae, quod omnes qui sub jugo vestro sunt, stimulatis, et caeditis pugnis; auditur in clamore vox vestra,* et cetera talia. Quibus commemoratis adjunxit: *non hoc jejunium ego elegi, dicit Dominus* (Is. LVIII, 3-5).

Si clamare vultis, illum frequentate clamorem, de quo scriptum est: *voce mea ad Dominum clamavi* (Ps. 141, 2). Ille quippe non est litis, sed caritatis; non carnis, sed cordis. Non est talis ille, de quo dicitur: *exspectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem; et non justitiam, sed clamorem* (Is. V, 7). Dimittite et dimittetur vobis; date et dabitur vobis. Hae sunt duae alae orationis, quibus volat ad Deum; si illud quod committitur, ignoscit delinquenti, et donat egenti [1].

291.—Anniversario reditu Quadragesimae tempus advenit, quo vobis exhortatio nostra debetur; quia et vos tempori congrua Domino opera vestra debetis; quae tamen non Domino utilia possint esse, sed vobis. Orationibus, jejuniis, eleemosynis et alia quidem tempora debent christiano fervere; verumtamen et illos qui diebus aliis in his pigri sunt, debet ista solemnitas excitare: et

---

1 Serm. 205 in Quadrag. nn. 2-3.

ii qui per alios dies ad ista sunt alacres, nunc ea debent ferventius exercere.

Tempus quippe humilitatis nostrae vita in hoc saeculo est, quam dies significant isti, Domino pro nobis Christo, qui semel moriendo pro nobis passus est, velut annis omnibus revoluta solemnitate passuro. Quod enim semel in toto tempore factum est, ut vita nostra novaretur; celebratur annis omnibus, ut in memoriam revocetur. Si ergo veracissimae pietatis affectu, toto peregrinationis hujus tempore, quo in mediis tentationibus vivimus, humiles corde esse debemus; quanto magis his diebus, quibus ipsum tempus humilitatis nostrae non solum vivendo agimus, sed etiam celebrando significamus? Humiles esse nos docuit humilitas Christi, quia impiis moriendo cessit: excelsos nos facit celsitudo Christi, quia pios resurgendo praecessit. *Si enim commortui sumus,* ait Apostolus, *et convivemus: si toleramus, et conregnabimus* (II Tim. II, 11).

Unum horum modo, tamquam ejus propinquante passione; alterum post Pascha, tamquam ejus resurrectione completa, devotione debita celebranus. Tunc enim post dies hujus humilitatis, etiam nostrae celsitudinis tempus, etsi nondum videndo agere vacat; jam tamen praemeditando significare delectat.

Nunc itaque orationibus ingemiscamus instantius: tunc uberius exhilarabimur laudibus. Sed orationibus nostris, quibus ad Deum facilius volando perveniant, eleemosynis et jejuniis pennas pietatis addamus. Hinc autem intelligit animus christianus, quantum remotus esse debet a fraude alienae rei, quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua non tribuerit indigenti. Dominus dicit; date et dabitur vobis; dimittite et dimittetur vo-

bis. Haec duo genera eleemosynarum, tribuendi et ignoscendi, clementer et ferventer operemur; qui nobis a Domino ut bona tribuantur, et mala non retribuantur, oramus. Date, inquit, et dabitur vobis. Quid verius, quid justius, ut qui dare detrectat, se fraudet ipse, nec accipiat? Si impudenter agricola quaerit messem, ubi se novit non praemisisse semen; quanto impudentius quaenorit Deum divitem dantem, qui hominem pauperem noluit exaudire poscentem? In paupere enim se pasci voluit, qui non esurit. Deum ergo nostrum egentem non spernamus in paupere, ut egentes satiemur in divite.

Ita oratio nostra humilitate et caritate, jejunando et dando, temperando et ignoscendo, bona tribuendo et mala non retribuendo, a malo declinando et bona faciendo, quaerit pacem et consequitur eam. Volat enim talibus oratio pennis adminiculata virtutum: et quo Christus pax nostra praecessit, facilius perfertur in caelum [1].

In adjutorio misericordiae Dei nostri, tentationes saeculi, insidiae diaboli, mundi labor, carnis illecebra, turbulentorum temporum fluctus, et corporalis omnis atque spiritalis adversitas, eleemosynis, et jejuniis atque orationibus superandae sunt. Haec cum per totam vitam fervere debeant christiano, tum maxime propinquante solemnitate paschali, quae suo reditu anniversario nostras excitat mentes, innovans in eis memoria salutari, quod Dominus noster unicus Dei Filius misericordiam praestitit nobis, jejunavit, oravitque pro nobis.

His igitur diebus adminiculis piarum eleemosynarum et frugalium jejuniorum oratio nostra in superna sustollitur: quia nec impudenter a Deo misericordia petitur,

1 Serm. 206 in quadrag.

cum ab homine homini non negatur, nec serena cordis petentis intentio carnalium voluptatum phantasmatibus nubilis impeditur.

Sit autem oratio casta, ne forte non quod caritas, sed quod cupiditas quaerit, optemus; ne inimicis aliquid mali imprecemur; ne in quos nocendo vel vindicando non possumus, orando saeviamus.

Certe sicut nos apti efficimur ad orandum eleemosynis et jejuniis, sic et ipsa nostra oratio facit eleemosynas, cum dirigitur atque profunditur, non pro amicis tantum, verum etiam pro inimicis, et jejunat ab ira et odio et a perniciosissimis vitiis. Semper oratio jejunet ab odio, semper dilectione pascatur [1].

292.—Solemne tempus advenit, quod amplius quam per anni cetera spatia, nos orationibus atque jejuniis animam humiliare, et corpus castigare commoneat. Cur autem hoc, propinquante solemnitate passionis Dominicae, et cur quadragesimi numeri mysterio celebretur, quoniam solet movere nonnullos, merito de hac re quod dicendum Dominus donare dignatus est, ad vestram Caritatem proferre suscipimus. Quos autem ista non ad litigandum, sed ad cognoscendum quaerere novimus, eorum fide atque pietate multum adjuvamur, ut dicenda impetrare possimus.

Cur nos ante solemnitatem passionis Dominicae jejunemus, et illa jejuniorum relaxatio quincuagesimo die perficiatur, haec ratio est. Omnis qui recte jejunat, aut animam suam in gemitu orationis et castigatione corporis humiliat ex fide non ficta, aut ab illecebra carnali inopia aliqua spiritali veritatis et sapientiae delectatio-

---

[1] Serm. 207 in quadrag. n. 3.

ne suspensa ad famem sitimque sentiendam descendit ejus intentio. De utroque jejunii genere Dominus respondit interrogantibus cur Discipuli ejus non jejunarent. Nam de illo primo, quod habet animae humilitationem: *non possunt*, inquit, *lugere filii sponsi, quandiu cum eis est sponsus. Sed veniet hora quando auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.* De illo autem altero, quod habet epulas mentis, ita consequenter loquutus est: *nemo assuit pannum novum vestimento veteri, ne major scissura fiat: neque mittunt vinum novum in utres veteres, ne et utres rumpantur, et vinum effundatur; sed vinum novum in utres novos mittunt, et utraque servantur* (Mt. IX, 15-17). Proinde quia jam sponsus ablatus est, utique nobis filiis illius pulchri sponsi, lugendum est. *Speciosus enim forma prae filiis hominum, cujus diffusa gratia in labiis ejus* (Ps. 44, 3), inter manus persequentium non habuit speciem neque decorem (Is. LIII, 2, 8), et ablata est de terra vita ejus.

Et recte lugemus, si flagramus desiderio ejus. Beati quibus eum licuit ante passionem tunc habere praesentem, interrogare sicut vellent, et audire sicut audire deberent. Quis non sancti desiderii flamma uratur? Quis hic non lugeat, quis non laboret in gemitu suo? Quis non dicat: *factae sunt mihi lacrimae meae panis die ac nocte, dum dicitur mihi cotidie, ubi est Deus tuus?* Credimus quippe in eum jam sedentem ad dexteram Patris; sed tamen quandiu sumus in corpore, peregrinamur ab eo (II Cor. V, 6).

Unde jejunandum et orandum est. Et quando potius, quando instantius, quam propinquante ipsa Dominicae passionis solemnitate, qua celebritate anniversaria quodam modo nobis ejusdem noctis memoria resculpitur,

ne oblivione deleatur, ne nos non corpore, sed spiritu dormientes, ille rugiens devorator inveniat.

Nam et ipsa Dominica passio, quid aliud nobis in capite nostro Christo Jesu, quam ipsam vitae hujus tentationem maxime commendavit? Unde adveniente jam mortis suae tempore, Petro dixit: *postulavit Satanas vexare vos sicut triticum; et ego rogavi, Petre, pro te, ne deficiat fides tua: vade et conforta fratres tuos* (Lc. XXII, 31). *Et plane confortavit nos per apostolatum, per martyrium, per Epistolas suas.* Ubi etiam noctem, de qua loquor, admonens formidandam, consolatione prophetiae tamquam nocturni luminis, ut cauti vigilaremus edocuit (II Pet. I, 19).

Sint ergo lumbi nostri accincti, et lucernae ardentes in manibus nostris, et nos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando veniat a nuptiis. Nec dicamus invicem nobis: *manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (I Cor. XV, 32); sed eo magis, quo incertus est mortis dies, et molestus est vitae dies, jejunemus et oremus, cras enim moriemur. Nunc ergo jejunemus et oremus, quoad usque veniat gaudium, quod nemo auferet a nobis.

Hoc totum corpus Christi per totum orbem diffusum, id est, tota hoc agit Ecclesia, et illa unitas quae dicit in Psalmo: *a finibus terrae ad te clamavi, dum angeretur cor meum* (Ps. 60). Unde jam nobis elucet cur Quadragesima instituta sit hujus humiliationis solemnitas. Quae enim a finibus terrae clamat, cum angitur cor ejus, a quatuor orbis terrae partibus clamat, quas frequenter etiam Scriptura commemorat, Oriente et Occidente, Aquilone et Meridie. Per hoc totum ille Decalogus legis, jam non per litteram tantummodo metuendus, sed per gratiam caritatis implendus, indictus est.

Nunc itaque, in persona Christi, ut non circumveniamini a Satana, exhortor vos, dilectissimi, ut cotidianis jejuniis, largioribus eleemosynis, ferventioribus orationibus Deum propitietis.

Nunc tempus est, ut omnes orationibus vacent: quanquam et per totum annum certis diebus hoc facere debeant: et quanto crebrius, tanto utique melius. Oratio quippe spiritalis res est, et ideo tanto est acceptior, quanto magis suae naturae implet effectum. Tanto magis autem spiritali opere funditur, quanto magis animus qui eam fundit, a carnali voluptate suspenditur [1].

293.—Sabbato sancto orare debemus. Dominus noster Jesus Christus in plenitudine temporis pro aeterna nostra salute passurus monuit discipulos dicens: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* Quod licet assidue debeat curare christianus, ne singulas noctes somnus absumat, exemplo apostoli dicentis, *in vigiliis saepius,* hac tamen nocte ut universus Christo vigilet mundus, sacratior et sanctior vigilia constituta est; ut id quod semel fecit divina miseratio, anniversaria sollemnitate celebret humana devotio, ne delere permittat oblivio. *Semel enim Christus mortuus est, justus pro injustis. Resurgens autem a mortuis jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccatò, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Sic et nos existimemus nos mortuos esse peccato, vivere autem Deo in Christo Jesu* (I Petr. III, 18; Rom. VI, 9-11). Hoc tam magnum sacramentum ut semper memoria retineret, dies anni quo factum est, non utique debuit similis ceteris noctibus praeterire; sed celebritate sol-

1 Serm. 210 in quadrag. nn. 2, 4-9.

lemnissima in mentes religiosorum redit. Ad hoc autem Judaei Christum occiderunt, ut perderent de terra memoriam ejus.

Hoc eis excepta poena aeterna interim redditur, ut illius clarificata memoria nec ipsorum scelus mundus obliviscatur; quisquis enim noctis hujus lucem toto terrarum orbem miratur, simul Judaeorum tenebras detestatur. Sed facinus eorum nos abominemur: tantum autem bonum, quod nobis Dominus de malo eorum praestitit, fideliter teneamus, et sollemniter celebremus.

Quia hac nocte, carissimi fratres, qua sepultum recolimus Dominum, vigilias celebramus, eo tempore vigilemus, quo pro nobis ille dormivit. Ille quippe longe ante per prophetam suam nuntians passionem: *Ego dormivi,* inquit, *et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me* (Ps. 3, 6). Patrem Dominum appellavit.

Nocte igitur qua dormivit, nos vigilamus, ut morte, qua passus est, nos vivamus; illius dormitione temporali vigilias celebramus, ut illo pro nobis vigilante in aeternam vigiliam resurrecti infatigabiles maneamus. Hac autem nocte etiam resurrexit, cui resurrectioni nostra vigilat exspectatio. *Traditus est propter peccata nostra, et dormivit; resurrexit propter justificationem nostram* (Rom. IV, 25). Unde nos hac ipsa nocte, in qua dormivit, nostram vigiliam frequentamus, ut in ejus vigilia securi eodem somno quandoque careamus; et evigilationis ejus horam vigilando espectamus, ne in ipsa justificatione nostra, propter quam resurrexit, subrepente negligentia, non corpore sed corde dormiamus. Vigilemus ergo, carissimi, et oremus· ne intremus in tentationem [1]

[1] Tract. I de nocte sancta, nn. 1-2.

Quoniam Dominus noster Jesus Christus diem, quem fecerat moriendo luctuosum, fecit resurgendo gloriosum, utrumque tempus in sollemnem memoriam revocantes, ejus mortem recordando vigilemus, et ejus resurrectionem suscipiendo gaudeamus. Hoc est anniversarium festum nostrum, et pascha nostrum; non sicut populo veteri per occisionem pecoris figuratum, sed sicut populo novo per victimam Salvatoris impletum: *quia pascha nostrum immolatus est Christus, et vetera transierunt, et ecce facta sunt nova* (1 Cor. V, 7). Neque enim lugemus nisi nostris delictis gravati, aut vero gaudemus nisi ejus gratia justificati: *quoniam traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (2 Cor. V, 17). Lugendo illud, hoc gaudendo laetamur; et quod propter nos atque pro nobis triste commissum est, laetumque praemissum est, non ingrata oblivione praeterimus, sed grata memoria celebramus. Vigilemus ergo, carissimi, quia usque ad istam noctem Christi sepultura producta est; ut in hac ipsa nocte fieret carnis resurrectio, quae tunc irrisa est in ligno, nunc adoratur in caelo et terra. Nox quippe ista ad consequentem diem, quem dominicum habemus, intelligitur pertinere. Et utique nocte resurgere debuit, quia sua resurrectione et tenebras nostras inluminavit; neque enim ei frustra tanto ante cantatum est: *Tu inluminabis lucernam meam Domine: Deus meus, inluminabis tenebras meas* (Psal. 17, 29).

Proinde tam grande mysterium etiam devotio nostra commendat: ut quemadmodum ejus resurrectione fides nostra firmata jam vigilat, sic et nostra vigilia etiam nox ista inluminata praefulgeat; ut digne possimus cum orbe terrarum Ecclesia diffusa cogitare hodie ne inve-

niamur in nocte. Tot tantisque populis, quos Christi nomine tam insignis ubique sollemnitas congregavit, sol abscessit, dies non recessit, cum lucente caelo lucens terra sucessit.

Causas tamen hujus tantae vigiliae nostrae si quis inquirat, et sollerter invenire et fideliter respondere potest. Ille quippe, qui nobis gloriam sui nominis donavit, ipse inluminavit hanc noctem; et cui dicimus, *Inluminabis tenebras meas,* praebet lucem cordibus nostris; ut quemadmodum gaudentibus oculis istum splendorem luminum cernimus, ita hujus tam clarae noctis rationem inluminata mente videamus. Quid est ergo, quod festo anniversario vigilant hodie Christiani? Nunc enim maxime vigilamus, nec alia sollemnitas talis intelligi solet; in isto desiderio dum quaerimus et dicimus: quando vigilamus? ad tot dies vigilamus; tamquam in hujus comparatione aliae non sint reputandae vigiliae.

Apostolus quidem, sicut jejuniorum, ita etiam vigiliarum assiduitatem commendavit Ecclesiae, de se ipso commemorans et dicens: *In jejuniis saepius, in vigiliis saepius* (II Cor. 11, 27); sed hujus noctis vigilia tanta est, ut sola sibi etiam ceterarum commune nomen velut proprium vendicaret. Prius itaque de generali vigilia, postea de speciali et hodierna, quae Dominus dederit, pauca dicimus.

In illa vita, pro cujus adipiscenda requie laboramus, quam nobis post hujus corporis mortem, vel etiam post hujus saeculi finem, in resurrectione veritas pollicetur, numquam dormituri sumus, sicut numquam utique morituri. Quid est enim aliud somnus, quam cotidiana mors, quae nec penitus hinc aufert, nec diutius detinet hominem? Et quid est aliud mors, quam diuturnus et

altissimus somnus, a quo Deus excitat hominem? Ubi ergo nulla mors venit, nec imago ejus somnus intervenit. Denique somnus nullus nisi mortalium. Non est ista requies angelorum: illi quia semper vivunt, numquam salutem somno recipiunt. Sicut ipsa vita, ita est illic sine fine vigilia; nec aliud ibi est vivere, quam vigilare; nec aliud vigilare, quam vivere. Nos autem in hoc corpore, quod corrumpitur et agravat animam, quoniam non vivimus nisi vires dormiendo reparemus, similitudine mortis interrumpimus vitam, ut vivere saltim per intervalla possimus. Ac per hoc quisquis caste et innocenter assidue utitur vigiliis, angelorum vitam procul dubio meditatur—quantum enim carnis hujus infirmitas sit oneri terreno, caelestia desideria comprimuntur—exercens contra molem mortiferam diuturniore vigilia, ut ei meritum comparet in vita perpetua. Neque enim sibi ipse consonat, qui desiderat semper vivere, et non amat prolixius vigilare; mortem vult omnino non esse et ejus imaginem non vult minuere. Haec causa, ista ratio est, cur in vigiliis saepius sit mens exercenda Christiano.

Nunc jam, fratres, alia pauca, dum commemoramus, advertite de speciali noctis hujus vigilia. Dictum est enim, quare saepius somnum detrahere et vigilias addere debeamus: nunc autem dicendum est, cur tanta celebritate hodierna potissimum nocte vigilemus.

Quod die tertio resurrexerit a mortuis Dominus Christus, nullus ambigit Christianus. Hac autem nocte hoc factum esse sanctum evangelium contestatur. Totum enim diem a praecedente nocte computari non dubium est; non secundum dierum ordinem, qui commemoratur in Genesi—quamquam et illic tenebrae praecesse-

rint; nam tenebrae erant super abyssum, cum dixit Deus, *fiat lux, et facta est lux* (1, 2)—sed quia illae tenebrae nondum erant nox, nondum erant dies. Divisit quippe Deus inter lucem et tenebras; et prius lucem vocavit diem, deinde tenebras noctem, et a facta luce usque ad alterum mane commemoratus est dies unus. Manifestum est illos dies a luce coepisse, et transacta nocte usque ad mane singulos terminatos.

Sed postea quam creatus homo a luce justitiae in peccati tenebras declinavit, a quibus eum Christi gratia liberavit, factum est ut nunc ad tenebras, sed a tenebris ad lucem venire conamur, et Domino adjuvante speramus.

Sic et Apostolus dicit: *Nox praecessit, dies autem adpropinquavit; abjiciamus itaque opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis* (Rom. 13, 12). Dies igitur dominicae passionis, quo crucifixus est, jam transactam noctem propriam sequebatur; ideoque clausus et terminatus est usque ad parasceve, quam Judaei etiam cenam puram vocant, ab ejus noctis exordio incipiente sabbati observatione. Deinde sabbati dies, a sua nocte incipiens, finitus est vespere incipientis noctis, quae pertinet ad initium dominici diei; quoniam eum Dominus suae resurrectionis gloria consecravit. Illius itaque noctis ad initium diei dominici pertinentis nunc istam sollemnitatis memoriam celebramus. Illam noctem agimus vigilando, qua Dominus resurrexit, et illam vitam, de qua paulo ante dicebamus, ubi nec mors ulla nec somnus est, in sua carne nobis inchoavit; quam sic excitavit a mortuis, ut jam non moriatur, nec mors ei ultra dominetur. Nam quoniam venientes ad sepulchrum ejus, a quibus diligentibus quaerabatur diluculo

corpus non invenerunt, responsumque acceperunt ab angelis, quod jam resurrexerat, manifestum est quod ea nocte resurrexerit, cujus extremitas illud diluculum fuit. Proinde cui resurgenti paulo diutius vigilando concinimus, praestabit ut cum illo sine fine vivendo regnemus. Sed et si forte his horis, quibus nos ducimus istam vigiliam, illius adhuc, corpus in sepulchro erat, nondumque surrexerat, nec sic vigilando sumus incongrui; quia ille dormivit ut vigilaremus, qui est mortuus ut viveremus [1].

294.—Dominus noster Jesus Christus passioni proximus, ubi pro debitis nostris quod non debebat exsolvit, ut chirographum quo rei tenebamur ejus sanguine deleretur, ait discipulis suis: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.* Ex hac ejus commendatione instituta est ista sollemnitas; ut ejus diei anniversario reditu vigiletur, quo ejus expectata est resurrectio. Exaudiat nos vigilantes in sollemnitate sua, qui dormivit pro salute nostra.

In ejus quippe rei prophetia et ex persona ipsius dictum fuerat: *Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me.* Tamquam si diceret: Ne sibi Judaei praevaluisse videantur: ego dormivi, voluntatis fuit, non necessitatis. Ipse prorsus, ipse dormivit, tamquam dignatus, non tamquam superatus; quippe qui potestatem habebat ponendi animam suam, et iterum sumendi eam. Non tamen ideo Judaei sine scelere fuerunt, quia ipse potestate dormivit; ut enim eorum facinus demonstraret, dixit in alio psalmo: *Dormivi turbatus* (56, 5). Nam hoc ad ipsos retulit, qui eum a se turbatum esse putaverunt, cui velut victo insultaverunt,

1 Tract. II de nocte sancta, nn. 1-4.

et tamen, cum ejus velut victo nefariis vocibus expetissent, alienos se facere ab ejus interfectione conati sunt: ut non ipsorum sed Pilati factum videretur, qui eum crucifigendum militibus dedit. Ideo continuo psalmus ipse: *Filii hominum,* inquit, *dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus* (ib.). Tamquam diceret: Et si non propriis manibus, ore tamen proprio peremistis, cujus mortem petistis. Sed quid in alio psalmo dicit? *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat.* (Ps. 40, 9)? Ecce surrexit qui dormierat; vigilavit, *et factus est sicut passer singularis super tectum* (Ps. 101, 8), id est, super caelum, ubi interpellat pro nobis, ubi jam non moritur, nec mors ei ultra dominabitur; quia non dormiet neque dormitabit, qui custodit nos. Ecce illi, qui se aliquid nocuisse putaverunt, etiam regnum ipsum, ubi eum sibi regnare noluerunt, extirpati exinde perierunt; ut et visibiliter impleretur, quod in eodem psalmo, dormiturus ait: *Suscita me et reddam illis* (40, 11).

Humiliantes igitur animas nostras vigilias celebremus, ut ejus vigili corde speremus et exspectemus adventum, cujus vox omnes dormientes etiam de tumulis excitabit: *qui bene fecerunt, ad resurrectionem vitae; qui male fecerunt, ad resurrectionem judicii* (Jo. V, 29).

Ipse namque est, de cujus somno in cruce exaltati Jacob tanto ante praedixit: *Ascendisti recumbens, dormisti sicut leo* (Gen. 49, 9). Ipse *vicit leo de tribu Juda;* quia et Jacob illud dixit, cum benediceret Judam. Quoniam ergo dormivit leo, deputatus est inter mortuos; sed quia vicit leo, veniet judicare vivos et mortuos [1].

---

[1] Tract. III de nocte sancta. Escripsi ex Opere recentissimo P. Germani Morin, O. S. B., in quo vulgavit aliquos Tractatus sive sermones ineditos sancti Augustini. Opus egregium magnique aestimandum. Cf. pag. 182 h. op.

295.—Quolibet loco orare possumus. Et quomodo invocabo Deum meum, Deum et Dominum meum? Quoniam utique in me ipsum eum vocabo, cum invocabo cum. Et quis locus est in me, quo veniat in me Deus meus? quo Deus veniat in me, Deus qui fecit caelum et terram? Itane, Domine Deus meus, est quidquam in me quod capiat te? An vero caelum et terra quae fecisti, et in quibus me fecisti, capiunt te? An quia sine te non esset quidquid est, fit ut quidquid est capiat te? Quoniam et ego sum, quid peto ut venias in me, qui non essem, nisi esses in me? Non enim ego jam in inferis, et tamen etiam ibi es. Nam si descendero in infernum, ades (Ps. 138, 8). Non ergo essem, Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me. An potius non essem, nisi essem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia? (Rom. XI, 36). Etiam sic, Domine, etiam sic. Quo te invoco, cum in te sim? Aut unde venias in me? Quo enim recedam extra caelum et terram, ut inde in me veniat Deus meus, qui dixit (Jer. XXIII, 24), caelum et terram ego impleo? [1].

296.—De situ in oratione habendo: regula tenenda. Miror sane quid ita volueris, ut de iis quae per varia loca observantur, tibi aliqua scriberem, cum et non sit necessarium, et una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quae non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim

---

1 Confess. lib. I, cp. 2.

eo modo impediat, ut majora studiosorum lucra speranda sint, quod calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maxime id quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de hymnis et psalmis canendis, cum et ipsius Domini et Apostolorum habeamus documenta et exempla et praecepta.

De hac re tam utili ad movendum pie animum, et accendendum dilectionis affectum, varia consuetudo est, et pleraque in Africa Ecclesiae membra pigriora sunt; ita ut Donatistae nos reprehendant, quod sobrie psallimus in ecclesia divina cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi ad turbas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus, cum in ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi; nisi cum legitur aut disputatur, aut antistes clara voce deprecatur, aut communis oratio voce diaconi indicitur? Aliis vero particulis temporum quid melius a congregatis christianis fiat, quid utilius, quid sanctius, omnino non video.

Quod autem instituitur praeter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum, etiamsi multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbanda non audeo. Sed hoc nimis doleo, quod multa quae in divinis libris saluberrime praecepta sunt, minus curantur; et tam multis praesumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit.

Omnia itaque talia, quae neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis epis-

coporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universae Ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causae, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint; ipsam tamen religionem, quam paucissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit condicio Judaeorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subjiciuntur.

Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit [1].

Dies qui celebrantur post Domini resurrectionem, jam in figura non laboris, sed quietis et laetitiae celebrantur. Propter hoc et jejunia relaxantur, et stantes oramus, quod est signum resurrectionis (unde etiam omnibus diebus dominicis id ad altare observatur) et alleluia canitur, quod significat actionem nostram futuram non esse nisi laudare Deum, sicut scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine. in saecula saeculorum laudabunt te* (Ps. 83, 5).

Ut autem alleluia per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur; nam et aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique. Ut autem stantes in illis diebus et omnibus Dominicis oremus, utrum ubique sevetur

---

[1] Lib. ad Inquisit. Jan. nn. 24-25.

ignoro; tamen quid in eo sequatur Ecclesia, dixi ut potui, et arbitror esse manifestum [1].

297.—Quod autem quaeris, quid sit quod scriptum est, *intravit rex David, et sedit ante Dominum* (II Reg. VII, 18), quid aliud intelligendum est nisi quia sedit in conspectu Domini, sive ubi erat arca Testamenti, per quam sacratior et commendatior quaedam praesentia Domini accipi potest: sive quia oraturus sedit, quod non fit recte nisi in conspectu Dei, hoc est in intimis cordis?

Potest enim et sic accipi quod dictum est, *ante Dominum,* ubi nullus esset hominum, qui audiret orantem. Sive ergo propter arcam Testamenti, sive propter secretum locum semotum ab arbitris, sive propter intinum cordis ubi erat orantis affectus, convenienter dictum est: *sedit ante Dominum.*

Nisi forte quod sedens oravit hoc movet: cum et sanctus Elias hoc fecerit, quando pluviam orando impetravit. Quibus admonemur exemplis, *non esse praescriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dum animus Deo praesens peragat intentionem suam.* Nam et stantes oramus, sicut scriptum est: *Publicanus auten de longinquo stabat* (Lc. XIII, 5): et fixis genibus sicut in Actibus Apostolorum legimus: et sedentes, sicut ecce David et Elias (Act. VII, 39). Nisi autem etiam jacentes oramus; non scriptum est in Psalmis, *lavabo per singulas noctes lectum meum, in lacrimis meis stratum meum rigabo* (Ps. VI, 77)?

Cum enim quisque orationem quaerit, collocat membra, sicut ei occurrerit accommodata pro tempore positio corporis ad movendum animum. Cum autem non

[1] Epist. 55 seu lib. ad Inquisit. Januar. nn. 28, 32.

quaeritur, sed infertur appetitus orandi, hoc est, cum aliquid repente venit in mentem, quo supplicandi moveatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocunque modo invenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quaeramus quo secedamus, aut ubi stemus, aut ubi prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio solitudinem, et saepe etiam obliviscitur vel ad quam caeli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus invenerit [1].

Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas (Ps. 62, 5). Leva ergo manus in oratione.

Levavit pro nobis Dominus noster manus in cruce, et extensae sunt manus ejus pro nobis. Ideo extensae sunt manus ejus in cruce, ut manus nostrae extendantur in bona opera: quia crux ipsius misericordiam nobis praebuit.

Ecce levavit ille manus, et obtulit pro nobis sacrificium Deo se ipsum, et per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra.

Levemus et nos manus nostras ad Deum in prece: et non confundentur manus nostrae levatae ad Deum, si exerceantur in bonis operibus.

Quid enim facit qui levat manus? Unde praeceptum est ut levatis manibus oremus ad Deum?

Apostolus enim dicit: *Levantes puras manus sine ira et disceptatione* (I Tim. 2, 8). Ut cum levas manus ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Quia enim manus istae levantur ut impetres quod vis, ipsas manus cogitas in bonis operibus exercere, ne erubescant levari ad Deum.

In nomine tuo levabo manus meas. Istae preces nos-

---

1 De diversis quaestionibus ad Simplician. libr. 2, q. IV.

trae sunt in hac Idumaea, in hoc deserto, in terra sine aqua et sine via, ubi nobis Christus est via (Jo. XIV, 6), sed non via de hac terra [1].

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me (Ps. 118, 82)? Ecce rursus in oculis, sed utique interioribus, laudabilis et felix: ille defectus non veniens ex infirmitate animi, sed ex fortitudine desiderii in promissum Dei. Hoc enim ait, in eloquium tuum. Quomodo autem tales oculi dicunt, quando consolaberis me, nisi cum tali intentione et exspectatione oratur et gemitur? Lingua enim loqui, non oculi solent; sed oculorum quodam modo vox est desiderium orationis. Verum in eo quod ait, quando consolaberis me, tamquam moras se perpeti ostendit; unde est etiam illud, et tu Domine, usquequo? Quod aut ideo fit ut dulcior veniat dilata jucunditas, aut iste sensus est desiderantium, cum spatium temporis, etiam quod subvenienti breve est, longum est amanti. *Novit autem Dominus quid quando faciat qui in mensura et numero et pondere cuncta disponit* [2]

---

[1] Enar. In Ps. 62, n. 13.
[2] Sap. I, 21; Enar. in Ps. 118, ser. 20, n. 2.

APPENDIX AD CAPUT XII

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 298. *Magna precandi facilitas.*—299-300. *Orare debemus initio diei, interdiu atque noctu.*—301. *Efficacia nocturnae orationis.*—302-303. *Oratio ante et post communionem eucharisticam.*—304. *Preces ante et post prandium.*—305. *Cantus et psalmodia post prandium.*—306. *Orare debemus diebus festis.*—307-309. *Omnis locus ad precandum opportunus.*—310. *Cujusdam sancti viri precatio.*

298.—**Magna precandi facilitas.** Ad Deum semper confugiamus, qui vult et potest calamitates solvere nostras.

At enim quando homines exorare oportet, ostiarios prius alloqui necesse nobis est, parasitos item adulatoresque precari, multumque itineris capessere. Apud Deum vero nihil simile, sed sine intercessore exorabilis est, sine pecuniis, sine sumptibus annuit: sufficit solo corde clamare, et lacrimas offerre, et statim ingressus eum attraxeris.

At hominem cum rogamus, saepe metuimus, ne quis ex inimicis, aut amicus eorum, aut adversarius quispiam rem audiat, aliusve referat ea, quae dicta sunt, et jus pervertat: in Deo autem nihil tale suspicari licet.

Cum enim me volueris precari, inquit, solus accede, nemine praesente, id est, corde clama, neque labia movens: nam *intra*, inquit, *in cubiculum tuum, claude ostium tuum, et ora Patrem tuum qui est in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet in publico* (Mt. VI, 6).

Vide honoris excellentiam. Cum me rogas, inquit, nemo videat; cum autem te honore afficio, orbem evoco beneficii testem.

Obtemperemus ergo, neque ad ostentationem precemur, neque contra inimicos nostros, neu modum auxilii doceamus eum [1].

---

1 Homil. IV de Poenit. et orat. n. 4.

Vides quanta facilitas? In hominibus oportet eum, qui aliquem adit, esse dicendi facultate praeditum, et posse blanditiis sibi conciliare omnes asseclas principis, et multa alia excogitare, ut gratus esse possit.

Hic autem nullo alio, praeterquam sola vigilanti mente opus est, et nihil est quod prohibeat quominus prope Deum simus. *Deus* enim *appropinquans ego sum, et non Deus procul* (Jer. XXIII, 23).

Ita ut quod longe absit, id a nobis proficiscatur: ipse enim semper prope est.

Et quid dico nos non opus habere dicendi facultate? Saepenumero ne voce quidem opus habemus. Nam si vel in corde loquutus fueris, et eum ut oportet vocaveris, vel tunc quoque facile annuet. Ita et Moysem audivit, ita etiam Annam [1].

299.—Oratio matutina et nocturna. *Mane exaudies vocem meam* (Ps. V, 4). Vides ne vehemens studium, et contritum animum? A principio enim diei, inquit, hoc ago. Audiant qui post innumera opera tandem veniunt ad orationes. At non ipse; sed ab initio diei dabat Deo primitias.

Oportet enim, inquit, ad gratias tibi agendas solem praevenire, et ante ortum lucis te alloqui (Sap. XVI, 28).

Tu autem non patiaris ut is, qui te inferior sit, Imperatorem ante te adoret: nunc sole adorante ipse dormis, et cedis primo loco creaturae, nec omnem creaturam praevenis, quae propter te facta est, nec ei agis gratias, sed cum surgis, manus et faciem lavas, animam autem inmundam negligis? Nescis sicut corpus aqua, ita oratione mundari animam? Lava ergo ante corpus animam. Multae illi insident vitiorum maculae, eas expellamus per orationem. Si enim os nostrum ita munierimus, diurnae actionis pulchrum jecerimus fundamentum [2].

Si memor fui tui super stratum meum, si in matutinis meditabar in te (Ps. 62, 7). Atque semper quidem, maxime autem Dei tunc oportet meminisse, quando in silentio et

[1] Expos. in Ps. IV, n. 2.
[2] Exposit. in Ps. 5, n. 3.

quiete nostra est cogitatio, quando per illam memoriam se potest condemnare, quando in memoria tenere. In die enim quo fuerimus recordati, ingressae aliae sollicitudines et tumultus eam expellunt: noctu autem perpetuo possumus meminisse; quando in tranquillitate et quiete fuerit anima, quando in portu, quando in serenitate: *quae dicitis,* inquit, *in cordibus vestris. in cubilibus vestris compungimini* (Ps. 4, 5). Nam oporteret quidem etiam interdiu hanc habere Domini memoriam; quoniam autem semper estis solliciti et distrahimini in his quae ad hanc vitam pertinent, saltem tunc in matutino, Dei in cubili mementote: *in matutinis meditamini in ipso* (Ps. 62, 7).

Si in matutinis haec meditemur, cum multa securitate procedemus ad negotia: si supplicatione primum nobis Deum fecerimus propitium, ita procedentes nullum habebimus inimicum; sin autem habeas, irridebis, Deum habens propitium.

Bellum est in foro, pugna sunt res diurnae, sunt fluctus, sunt tempestas. Nobis ergo opus est armis: magna autem arma sunt preces.

Propterea precatione nobis opus est, maxime matutina et nocturna [1].

Precibus ergo vacemus assidue, non die solum, sed etiam noctu. Audi enim quid dicat ipse propheta: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiae tuae* (Ps. 118, 62).

Rex tot detentus curis, populorum, urbium, gentium imperio potitus, pacem curans... non modo dies, sed etiam noctes orationibus insumebat.

Quod si rex qui in tantis deliciis vivebat tot affectus curis, tot negotiis circumstantibus, ne noctu quidem quiescebat, sed diligentius quam ipsi monachi in montibus degentes, preces assidue fundebat: quam, quaeso, veniam nos consequemur, qui in multa libertate vivimus, ac privatam negotiisque vacuam vitam elegimus, quique non modo tota nocte somno obruimur, sed ne in die quidem cum debita vigilantia consuetas orationes persolvimus [2].

---

[1] In Ep. ad Haebr. Homil. 4, n. 4.
[2] Homil. in Ps. 145, n. 6.

300.—*Media autem nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum, et audiebant eos vincti* (Act. XVI, 25). Quid his par fuerit animabus? Virgis caesi multas plagas acceperant, contumelias et extrema pericula subierant, in ligno vincti erant, in carcere interiori, et ne sic quidem somnum capere volebant, sed pervigilium agebant. Videtis quantum sit afflictio bonum? Nos autem in mollibus lectis sine ullo terrore per totam dormimus noctem. Forte ideo pervigilium agebant, quia hoc in statu erant. Non illos somni tyrannis cepit, non dolor inflexit, non timor consternatos reddidit; sed haec multo magis illos excitabant, et multa replebant voluptate.

Cogitemus igitur illam noctem, hymnos; et hoc nos facere studeamus, et aperiemus nobis non carcerem, sed caelum. Si precemur, caelum ipsum aperire poterimus. Elias et clausit et aperuit caelum precibus. Est quoque in caelo carcer. *Quaecumque,* inquit, *ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo* (Mt. XVI, 10). Precemur noctu, et haec vincula solvemus. Quod enim preces peccata solvant, nobis vidua persuadeat, illeque amicus qui intempesta nocte perseverat et pulsat: persuadeat et Cornelius; *orationes tuae,* inquit, *et eleemosynae tuae ascenderunt in conspectu Dei* (Act. 10,4); persuadeat nobis Paulus dicens: *quae autem vere vidua est et solitaria, speravit in Deum, et perseverat in precibus nocte et die* (1 Tim. V, 5). Si de vidua, infirma muliere, haec ille dicit, multo magis de viris.

Etiam dixi vobis, et nunc dicam: excitemur nocte; etiamsi non multas orationes emittas, unam emitte cum vigilantia, et sufficit: nihil amplius peto. Si non media nocte, saltem diluculo. Ostende noctem non modo corporis esse, sed etiam animae: ne sinas illam inutiliter transire, sed Domino hanc vicem repende, imò ipsa in te revertitur. Dic mihi, si in grave negotium incidimus, quem non precamur, et si petitionem cito impetramus, utique respiramus. Quis tibi det, ut is qui rogatur, paratus sit ad habendum tibi gratiam, quod rogas? Quis tibi det, ut non circumeas, quaerens a quo peteres, sed paratum invenias, nec aliis opus habeas per quos petas? Quid hoc majus est? Hic quippe tunc maxime facit, cum non alios rogamus; ut sincerus amicus tunc maxime nos objurgat, quod non ejus amicitiae fidamus, cum alios adhi-

bemus, qui ipsum precentur. Sic et nos facimus iis qui nos rogant: tunc maxime iis gratiam largimur, quando per seipsos, non per alios, ad nos accedunt.

Quid ergo, inquies, si offenderim? Offendere desine, et lacrimas funde; sic accede et cito in primis illum placatum invenies. Dic tantum: offendi; dic ex animo et sincera mente, et soluta sunt omnia. Non adeo cupis remitti peccata, ut ille cupit remittere. Quod autem tu non cupias, cogita; neque enim vigilias suscipis, neque pecunias effundis: ille vero ut peccata nostra dimitteret, Unigenito non pepercit, genuino Filio ejusdemque throni consorte [1].

Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (Ps. 50). Nam quod est contritum, non exsurgit, non ferit, sed est paratum ad male patiendum, ipsum autem non exsurgit. Talis est cordis contritio; etiamsi affecta fuerit contumelia, etiamsi male passa, quiescit, nec concitatur ad vindictam.

Post humilitatem vero opus est intensis precibus, multis lacrimis, et interdiu et noctu: lavabo enim, inquit, per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo; laboravi in gemitu meo (Ps. 6, 7). Et post orationem adeo intensam opus est eleemosyna [2].

301.—Magna efficacia orationis nocturnae. *Petrus servabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (Act. XII, 5). Erat tunc de capite certamen. Ideo orabatur pro illo. Amoris indicium erat oratio. Patrem omnes quaerebant, patrem mansuetum. *Sine intermissione,* inquit, *oratio pro illo fiebat.* Audite, quo essent affectu erga doctores suos. Non tumultuabantur, non turbabantur; sed ad orationem versi sunt, verum et inexpugnabile commilititium: ad illam confugiebant. Non dicebant: humilis ego et nullius pretii pro illo orarem! Quia enim ex caritate agebant, nihil hujusmodi cogitabant.

Cum autem producturus eum esset Herodes, nocte illa Petrus dormiebat. Vide Petrum dormientem, nec terrore vel metu detentum. Ea ipsa nocte, qua producendus erat, dor

---

[1] In Act. apost. homil. 37, nn. 1-3.
[2] In Epist. ad Hebr. homil. 9, n. 4.

miebat, omnia in Deum rejiciens. *Et ecce angelus Domini adstitit, dicens: surge velociter.* Vide quantum sit bonum afflictio, quantum noctu precantes proficerent, quam vigiles hinc efficerentur.

Ubi sunt nunc mulieres, quae tota nocte dormiunt? Ubi viri, qui neque in lecto se versant? Videsne vigilem animam? Cum uxoribus, pueris et ancillis Deum celebrabant, per tribulationem puriores caelo effecti. Nunc vero, si parvulum videamus periculum, concidimus. Nihil Ecclesia illa jerosolimitana splendidius. Ipsos imitemur, aemulemur.

Non ideo facta est nox, ut per totam dormiamus et otiemur. Hoc testificantur artifices, negotiatores, mercatores, Ecclesia Dei media surgens nocte. Surge et tu, et vide stellarum chorum, profundum silentium, quietem multam: obtupesce de Domini tui Providentia. Purior tunc est anima, levior, subtilior, sublimis, expedita: tenebrae ipsae, silentium multum, in compunctionem inducere possunt. Si vero caelum respicias stellis quasi innumeris distinctum oculis, omnimoda voluptate frueris Creatorem statim mente reputans. Si cogitaveris eos, qui interdiu clamant, rident, exsultant, saliunt, injuste agunt, avaritiae student, minantur, innumera mala inferunt, tunc a mortuis nihil differre, humanam omnem arrogantiam damnabis. Somnus accessit, et naturam superavit: imago est mortis et consummationis. Si vicum respexeris, nullam vocem audies; si domum, omnes videbis quasi in sepulchro jacentes. Haec omnia possunt animam excitare, et ad cogitationem consummationis inducere.

Hic vero mihi et ad viros et ad mulieres sermo est. Flecte genua, ingemisce, Deum precare ut tibi sit propitius: nocturnis ille precibus magis flectitur, cum requiei tempus in luctum verteris. Recordare verborum regis illius: *laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo* (Ps. 6, 7). Quantumvis deliciis affluas, non magis quam ille; quantumvis sis dives, non es ditior Davide. Iterumque ait ille: *media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiae tuae* (Ps. 118, 62).

Tunc vana gloria non te exagitat: quomodo posset enim omnibus dormientibus, nec videntibus? Tunc nec ignavia,

nec oscitantia invadunt: quomodo possent enim, cum tot tantaque animam excitent? Post talia pervigilia somnus suavis est, et revelationes mirabiles. Hoc fac et tu vir, non sola mulier. Sit ecclesia domus viris et mulieribus constans. Ne quia tu solus vir, ipsa sola mulier est, putes id impedimento esse. Nam ubi duo fuerint congregati in nomine meo, inquit, illic sum in medio eorum (Mt. XVIII, 20).

Ubi Christus medius, ibi magna multitudo est: ubi Christus, necesse est et angelos esse et archangelos et alias potestates. Non igitur soli estis omnium habentes Dominum. Rursus audi prophetam dicentem: melior est unus faciens voluntatem Domini, quam mille iniqui (Eccli. XVI, 3). Nihil infirmius multis iniquis, nihil fortius uno, qui secundum legem Dei vivit. Si tibi sint liberi, excita illos et sit omnino noctis tempore domus ecclesia: si vero sint teneri, nec vigilare possint, unam alteramve emittant orationem et quiescant. Tantum surge, et illud in consuetudine pone. Audi prophetam dicentem: *si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabar in te* (Ps. 62, 7).

At dices: per diem multum laboravi, nec possum. Haec obtentus sunt et cavillationes. Quantumvis enim laboraveris, non quantum faber aerarius, qui tam gravem malleum ab alto ad usque prunas demittit, et fumum toto corpore excipit; et tamen maximam noctis partem ea in re consumit.

Nostis etiam, mulieres, si quando nobis in agrum concedere opus fuit, aut ad pervigilium, quomodo per totam noctem illi vigilant. Et tibi ergo officina sit spiritualis, non ut ollas et lebetes, sed ut animam tuam pares, quae et aerario et aurifice multo melior est.

Animam peccatis inveteratam induc in officinam confessionis: malleum a summo induc, id est, verborum damnationem, accende ignem spiritus. Multo praestantiorem artem habes. Non aurea vasa concinnas; sed auro omni pretiosiorem animam sicut aerarium tractas: non vas corporeum apparas; sed animam ab omni saeculari phantasia liberas. Adsit tibi lucerna, non haec ardens, sed quam memorat propheta: *lucerna pedibus meis lex tua* (Ps. 118, 105). Accende orationibus animam: si satis illam habere videris, educ, efforma illam ut vis.

Crede mihi, non sic ignis rubiginem purgat, ut nocturna oratio rubiginem peccatorum nostrorum. Revereamur, si neminem alium, saltem nocturnos custodes. Illi ob humanam legem circumeunt in frigore multum clamantes, et in vicis gradientes, saepe madidi vel rigentes, idque propter te tuamque salutem, ac pecuniarum tuarum custodiam. Ille pecuniarum tuarum tantam curam gerit; tu vero nec animam tuam curas.

Non te cogo, ut sub dio circumeas sicut ille, neque ut altum clames et dirumparis; sed in ipso penuario vel cubiculo flecte genua, precare Dominum. Cur ipse Christus pernoctavit in monte? Annon ut nobis exemplo esset? Tunc respirant plantae, in nocte dico: tunc anima plus quam illae rorem excipit. Quae in die sol adussit, ea noctu refrigerantur. Magis quam ros nocturnae lacrimae contra concupiscentias et contra omnem ardorem aestumque demittuntur, nec sinunt grave quidpiam pati. Nisi autem rore illo fruatur anima, interdiu aduretur. Verum absit, ut aliquis vestrum ab igne illo exuratur. Sed utinam nos omnes refrigerati et divina fruentes clementia, a peccatorum sarcina liberemur gratia et liberalitate Domini nostri Jesu Christi [1].

302.—Orare debemus cum ad sacram mensam accedimus. Omnia Dei beneficia mente volventes, et commemorantes divinam vocem dicentem *inhabitabo in illis, et inambulabo* (Levit. VI, 12; II Cor. VI, 16); et rursum, *vos templum Dei estis et Spiritus Dei inhabitat in vobis* (I Cor. III, 16), Deum incarnatum ob tam indulgentem ad nos usque sui demissionem glorificemus, et pro virium nostrarum facultate condignam ipsi venerationem gratiamque reddamus: Deo autem nulla a nobis gratiarum par retributio fieri queat, nisi solum ea, quae consistit in nostra animarumque nostrarum salute, atque in virtutis studio. Ne simus ergo hic ingrati erga tanti in nos beneficii auctorem, sed omnes omnia ei pro virili offeramus fidem, spem, caritatem, temperantiam, misericordiam, hospitalitatem.

Et ad quod nuper vos cohortatus sum, ad id etiam nunc

---

[1] In Acta Apostol. homil. 26, n. 4.

et in posterum semper vos cohortari non desistam. Quidnam hoc? Cum accessuri estis ad tremendam divinamque illam mensam et sacra mysteria, cum timore et tremore hoc facite, cum pura conscientia, cum jejunio et precatione: non tumultuantes, non calcitrantes, non proximum impellentes; extremae enim hoc superbiae est, contemptionisque minime vulgaris: quare etiam talia perpetrantibus punitionem multam conciliat. Tecum reputa, o homo, qualem hostiam es contrectaturus, qualem mensam aditurus; tecum reputa, quod cum terra sis et cinis, corpus et sanguinem Christi sumis.

Et si vos rex quidem ad convivium vocet, cum timore accumbitis, cibosque appositos cum reverentia et silentio sumitis; Deo autem te ad suam mensam vocante, filiumque suum ibi apponente, ubi angelicae potestates adsistunt cum timore et tremore, ubi Cherubim velant facies suas, atque Seraphim cum tremore clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, tu mihi audes vociferando ac tumultuando ad spiritale illud convivium accedere? An te fugit eo tempore multa tranquillitate mentem esse plenam oportere? Multaque pace ac quiete opus est, non autem tumultu, iracundia, strepituque; haec enim immundam animam accedentem efficiunt.

Quaenam autem venia nobis habeatur, si post tanta peccata, saltem tempus hoc, quo ad sacram hanc mensam adimus, ab irrationalibus hisce perturbationibus non purgemus? Quid autem omnino est magis necessarium, quam ea quae in hac mensa proponuntur, aut quid urget nos, ut connitamur, spiritualibus rebus relictis, illuc properare? Ne, rogo vos atque obtestor, ne divinam in nos iram concitemus: medicamentum est id quod proponitur vulnerum nostrorum salutare, divitiae indesinentes, quae caelorum nobis regnum conciliant. Cum horrore itaque accedamus, gratias agamus, procumbamus confitentes peccata nostra; lacrimemur mala nostra lugentes, intentas ac largas preces Deo fundamus: sicque nos ipsos emundantes, tacite et cum debita modestia tamquam ad caelorum regem adeuntes accedamus, sanctamque hanc et immaculatam hostiam recipientes, exosculemur, oculis eam complexi, mentemque et animum incendamus, ne

in judicium aut damnationem conveniamus, sed in animae temperantiam, in dilectionem, in virtutem, et cum Deo reconciliationem, in pacem firmam, ac mille denique bonorum occasionem: ut et nos ipsos sanctos reddamus, et proximos aedificemus [1].

Considera, o homo, quantam dignitatem assequeris. Et cum tu ipse quoque templum factus sis, quanta a te jure sit praestanda puritas. Quomodo autem exhibueris puritatem? Si omnem malam cogitationem expuleris, si feceris ut ad mentis castellum diabolicis actionibus nullus pateat aditus, si tamquam in sanctis adytis perpetuo tuum animum exornes.

Si enim in templo judaico non licebat omnibus quemvis locum ingredi; sed erant multa et varia discrimina, et erat hic quidem locus praestitutus proselitis, ille vero judaeis qui fuerant ab initio, alius sacerdotibus, alius pontifici soli, idque non semper, sed semel in anno; cogita apud te quanta tibi sanctitate opus sit, qui signa multa majora acceperis, quam quae sancta sanctorum tunc acceperint.

Neque enim Cherubim, sed ipsorum Cherubim Dominum habes inhabitantem, neque urnam, manna, tabulas lapideas, et virgam Aaron, sed corpus et sanguinem dominicum, et Spiritum pro littera, et gratiam, qua superat humanam cogitationem, et donum inenarrabile. Quo autem majoribus signis ac symbolis et magis venerandis mysteriis dignatus es, eo major est a te praestanda sanctitas, et eo eris majori obnoxius supplicio, si quae jussa sunt transilieris.

In noctibus extollite manus vestras in sancta. Alius, *sancte.* Alius, *sanctificate, et benedicite Dominum.* Cur dixit *in noctibus?* Docens nos non eam totam somno consumendam esse, ostendensque puriores tunc esse preces, quando et mens est levior, et nobis est plus otii. Quod si in nocte oportet ad sancta accedere, considera quamnam consequetur veniam, qui ne domi quidem illo tempore preces fundit. Propheta enim te e lecto excitat, et deducit in templum, jubens totam illic noctem agere; at tu ne domi quidem manens hoc facis.

---

[1] Homil. in diem natal. Christi, nn. 6-7.

Pulchre autem dixit *sancte,* docens esse orandum absque odio et malevolentia, absque avaritia, absque ullo alio ejusmodi peccato, quod affert animae exitium. *Et benedicite Dominum.* Hoc est enim benedictio, quando verborum et vitae fuerit consensus, et per opera Deum qui te creavit gloria affeceris, ut vult Evangelium dicens: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui est in caelis* (Mt. V, 16). *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit caelum et terram.* Hoc est, si haec feceris, consequeris quoque Dei benedictionem, si pernoctes, si sancte ores, si sis dignus stare in domo Domini, si teipsum templum aptum praebueris. Postquam ergo ea qua oportuit exhortatione usus est, precatione concludit oratione. Hoc est enim optimi doctoris, et consilio auditorem erigere, et precibus confirmare, robustumque reddere.

Quid sibi vult hoc quod dicit, *ex Sion?* Erat eis nomen desiderabile, sacrique omnes ritus illic peragebantur; et ideo precatur ut recuperent priorem statum religionis, illosque sacros ritus peragant, et hanc consequantur benedictionem. Deinde eos sustollens ad altiora dogmata, et Deum ubique esse docens, jussisse autem templum aedificari propter eorum imbecillitatem, et oportere eum undique invocare, subjunxit, *qui fecit caelum et terram.*

Sed illi quidem eum tunc invocabant, nos autem in omni loco, in omni agro, in domo in foro, in solitudine, in navi, in diversorio, et ubicumque fuerimus. A loco enim non prohibentur preces, modo sint mores, qui precibus conveniant. Postquam ergo in hac re nos recte gesserimus, Deum ubique invocemus, et aderit, nosque adjuvabit, et quaecumque sunt nobis difficilia, facilia reddet et expedita, nosque bonis futuris dignabitur: quae detur nobis consequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi [1].

303.—Sacrae mensae particeps fuisti, et cum omnium mitissimus esse debuisses et par angelis, omnium crudelissimus effectus es. Gustasti sanguinem dominicum, et neque fratrem ita agnoscis; et qua dignus venia fueris? Quamquam

[1] Expos. in Ps. 133.

etsi antea ignorabas, a mensa illum agnoscere oportuit: nunc autem ipsam etiam mensam dedecoras, dum illum qui dignatus est illius particeps fieri, ne cibis quidem tuis dignum existimas.

Non audisti quanta passus est ille qui centum denarios exigebat, quomodo sibi collatum donum irritum fecerit? Non cogitas quis cum esses, quis effectus fueris? Non recordaris te hoc in pecuniis paupere longe fuisse pauperiorem in bonis operibus, cum mille peccatis plenus esses? Attamen ab his omnibus te liberavit Deus, teque tali mensa dignatus est: tu vero ne sic quidem benignior effectus es.

Itaque nihil aliud restat, quam ut tradaris tortoribus. Haec verba nos quoque omnes audiamus, quotquot cum pauperibus ad sacram hanc mensam accedimus. Hinc autem egressi, ne illos quidem respexisse videmur, sed et ebrii sumus et esurientes praetercurrimus: qua de re tunc Corinthii accusabantur. Et quandonam, inquies, hoc fit? Semper quidem, praecipue vero in diebus festis, cum maxime fieri non oporteret. Tunc enim post communionem statim excipit ebrietas et pauperum contemptus; et postquam sanguinem recepisti, cum jejunii tibi tempus est et sobrietatis, debaccharis et comessaris. Et si quid boni perceperis in prandio, caves ne alio pravo cibo priorem labefactes: cum autem spiritualem cibum acceperis, satanicas inducis delicias.

Cogita quid apostoli fecerint, cum illas sacras percepissent coenas: nonne ad orationem convertebantur et ad hymnos celebrandos? Nonne ad sacra pervigilia? Nonne ad doctrinam longam, quae magna erat plena philosophia? Non audisti quomodo illa tria millia hominum, qui communionis participes erant, semper perseverabant in oratione et in doctrina, non in ebrietatibus, non in comessationibus? Tu vero antequam percipias quidem, jejunas, ut quomodocumque dignus communione videaris, ubi autem percepisti, cum oporteret te temperantiam augere omnia perdis. Atqui non par res est antea jejunare, et postea: in utroque enim tempore temperantem esse oportet, maxime vero postquam sponsum excepisti; antea quidem, ut dignus sis qui accipias; postea vero, ne indignus videaris iis quae accepisti.

Quid ergo, jejunandum est postquam acceperim? Non hoc

dico, neque te cogo. Bonum quidem hoc quoque esset; verum non vim infero, sed adhortor ne te deliciis impleas extra mensuram. Si enim numquam oporteat deliciari; hoc enim declaravit Paulus dicens: *quae autem in deliciis est, vivens mortua est* (1 Tim. V, 6); multo magis tunc morietur. Si autem deliciae mors sunt mulieri, multo magis viro; et si alio tempore deliciae perdunt, multo magis post perceptam mysteriorum communionem. Tu autem pane vitae accepto, rem morte dignam facis, et non horrescis? Nescis quam multa mala ex deliciis inducantur? Risus intempestivus, incondita verba, scurrilitas perniciei plena, nugae inutiles et alia quae ne fas quidem est dicere.

Et haec facis postquam ad Christi mensam exceptus fuisti, illo die quo dignatus fuisti carnes ejus lingua tangere. Quisquis ergo sis, ne haec fiant expurga dexteram tuam, linguam, labia, quae ingressui Christi vestibula fuere; et apposita mensa sensibili, ad illam mensam mentem intende, ad cenam Dominicam, ad vigilias discipulorum, illa sacra nocte; imo vero, si quis accurate examinaverit, praesentia nox sunt. Vigilemus ergo cum Domino, compungamur cum discipulis. Precum tempus est, non ebrietatis, semper quidem, maxime autem in die festo. Dies festus enim ideo institutus est, non ut turpiter agamus, non ut peccata accumulemus, sed ut quae admissa fuere de medio tollamus [1].

304.—Preces fundendae ante et post prandium. Nihil est deliciis perniciosius. Audi quid de illis dicat Moyses: *impinguatus est, incrassatus est, dilatatus est, et recalcitravit dilectus* (Deut. XXXII, 15). Nec ait, recessit, sed *recalcitravit dilectus,* illius intractabilem animum nobis significans. Atque alio rursus loco: *ubi comederis ac biberis, cave tibi, ne quando obliviscaris Domini Dei tui* (Deut. VIII, 10). Adeo deliciae solent ad numinis oblivionem adducere. Proinde tu quoque, carissime, cum sederis ad mensam, memento quod post convivium orandum est tibi. Ita moderate ventrem exple, ne gravatus non queas genua flectere, ac Deum invocare. Annon videtis, quod jumenta jugum ferentia, posteaquam ad

---

1 In Epist. I ad Cor. homil. 27, n. 5.

praesepe pasca sunt, iter agunt, onera gestant, suumque explent ministerium? Tu vero qui sublata mensa, ad omne opus inutilis es et ineptus; num vitare poteris, quod minus videaris asinis deterior? Quamobrem? Quia tum maxime convenit esse sobrium ac vigilantem.

Nam tempus post mensam agendi gratias tempus est: non decet autem agentem gratias ebrium esse, sed sobrium ac vigilantem. A mensa non ad lectum, sed ad precationem vertamur, ne brutis animantibus simus magis bruti.

Novi fore multos qui damnent ea quae nunc dicuntur; veluti quae novam quamdam et miram vitae consuetudinem invehant. At ego magis damnabo pravam consuetudinem, quae nunc obtinuit. Etenim quod post cibum ac mensam non ad somnum oporteat ire, nec ad cubile, sed oporteat cibo preces ac divinarum Scripturarum lectionem succedere, manifestius declaravit ipse Christus, qui cum immensam multitudinem excepisset convivio in deserto, non remisit illos ad lectum aut somnum, sed ad audiendos sermones divinos invitavit. Non enim distenderat illorum ventres, neque ad ebrietatem impulerat, verum ubi saturasset illos, quantum exigebat necessitas, ad spiritualem adduxit alimoniam. Itidem nos quoque faciamus, eoque modo consuescamus capere cibum, ut ad vitam tuendam duntaxat sufficiat, non ut nos valeat disrumpere et gravare.

Non enim in hoc nati sumus ac vivimus, ut edamus ac bibamus; sed ideo edimus, ut vivamus. Ab initio non erat cibi causa data vita, sed vitae causa datus est cibus [1].

Surrexit Anna, postquam illi comederant et biberant in Selom, et post potum constitit in conspectu Domini (I Reg. I, 9). Vides ne? Quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus precationis: post convivium accurrens ad supplicationem fontes lacrimarum emisit, mentemque prae se tulit sobriam ac vigilantem: ac post epulas adeo intente oravit, ut donum acciperet supra naturam, solveretque sterilitatem, ac naturae imbecillitatem corrigeret.

Hoc igitur a femina lucri consequuti sumus, ut sciamus et post convivium orare.

---

[1] De Lazaro, conc. I, nn. 8-9.

Quisquis enim ad hoc praeparatus fuerit, nunquam in ebrietatem aut vinolentiam incidet, nunquam crapula disrumpetur; sed quoniam exspectationem precationis habet pro freno impositam animo, conveniente mensura attinget ex omnibus quae fuerint apposita, multaque benedictione tum animum, tum corpus implebit.

Convivium enim quod a precatione coeptum in precationem desinit, nunquam deficiet, sed quovis fonte uberius nobis omnia adferet bona. Ne igitur tantum negligamus lucrum. Absurdum enim fuerit, si cum famuli nostri, si quando partem aliquam eorum, quae nobis apposita sunt, acceperint, nobis gratias agant, beneque nobis precantes abeant: nos cum tot tantisque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persolvamus, licet hinc multam simus assecuturi securitatem.

Ubi enim precatio et gratiarum actio, eo sancti Spiritus advenit gratia, abiguntur daemones, et omnis adversaria potestas diffugit ac discedit.

Qui se conversurus est ad orandum, non audet quidquam absurde loqui, ne in medio quidem convivio, aut si loquutus fuerit, mox resipiscit.

Proinde oportet tum in initio, tum in fine convivii gratias agere Deo ob hanc praecipue causam, quod ut dicere coeperam, haud facile prolabemur in ebrietatem, si nos ipsos in hanc consuetudinem constituerimus.

Quin si quando surrexeris crapula potuque gravatus, nec sic quidem abjicias consuetudinem; sed quamvis habeamus gravatum caput, quamvis vertigine circumferamur, et concidamus, nihilo secius tamen oremus, nec aboleamus consuetudinem. Etenim si praecedenti die ad hunc oraveris modum, postridie corriges dedecus pridie commissum. Quoties igitur prandebimus, meminerimus hujus mulieris, et illius lacrimarum, necnon praeclarae ejus ebrietatis. Nam ebria erat mulier, non e vino, sed ex abundantia pietatis. Etenim si post prandium talis fuit, qualis erat sub auroram? Si tam instanter oravit post cibum, qualis erat jejuna? [1].

Petrus et Joannes ascendebant in templum circa orationis

---

[1] Homil. 2 de Anna, n. 6.

nonam (Act. III, 1). Neque ipsam horam sine causa observarunt.

Quando ceteri post prandium et ebrietatem alto sopiti somno dormiunt, tum illi sobrii atque vigilantes, ac multo amore succensi, ad orationem properabant.

Quod si oratione illi indigebant, oratione tam assidua, tam exacta, qui tantam fiduciam habebant, qui nullius sibi criminis erant conscii, quid nos faciemus, qui vulneribus scatemus innumeris, nec illis orationis remedium adhibemus?

Ingens telum est oratio. Vis nosse quam ingens sit telum oratio? Curam pauperum omittebant apostoli, ut plus illis otii ad vacandum orationi suppeteret [1].

305.—Psalmodia et cantus post prandium. Primum est necessarium dicere quanam de causa psalmus in nostram vitam est introductus, et cum cantico maxime dicitur prophetia. Quanam ergo de causa dicatur cum cantico, audi. Cum Deus vidisset multos homines esse socordiores, nec ad legenda spiritualia lubenter accedere, nec qui in eo capitur laborem tolerare, volens gratiorem laborem efficere, ejusque sensum praescindere, admiscuit prophetiae melodiam, ut omnes cantici modulatione delectati, cum magna animi alacritate sacros ei hymnos emittant. Nihil enim animam aeque erigit, alatamque quodammodo efficit, atque a terra liberat, et exsolvit a vinculis corporis, amoreque sapientiae afficit, et ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, ut cantus modulationis, et divinum canticum numero compositum.

Nostra certe natura usque adeo delectatur canticis et carminibus, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant et affligentur, ea ratione sopiantur. Nutrices certe quae eos gestant in ulnis, saepe abeuntes et redeuntes, et quaedam puerilia eis carmina decantantes, supercilia eorum ita sopiunt. Quocirca saepe quoque viatores meridie agentes jugalia animalia hoc faciunt canentes, itineris molestiam illis canticis consolantes. Nec solum viatores, sed etiam agricolae uvas in torculari calcantes, vindemiantes, et vites colen-

[1] Homil. in Inscript. Act. n. 4.

tes, et quodcumque aliud opus facientes, saepe cantant. Nautae quoque remos impellentes hoc faciunt. Jam vero mulieres quoque texentes, et confusa stamina discernentes, saepe quidem, et per se singulas, saepe autem etiam omnes concorditer unam quamdam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt mulieres, viatores, agricolae et nautae, qui ex opere faciendo suscipitur, laborem cantu consolari volentes, utpote cum anima, si carmen et canticum audierit, molestia et difficilia sit facilius toleratura.

Quoniam ergo hic genus delectationis est nostrae animae valde innatum, ne daemones lasciva et meretricia cantica introducentes, omnia everterent, Psalmos Deus opposuit, ut ex ea re simul caperetur voluptas et utilitas. Ex externis enim canticis damnum et exitium, et multa gravia invehuntur; nam cum quae sunt in his canticis lasciviora et iniquiora, partibus animae insederint, eam imbecilliorem et molliorem reddunt: ex psalmis autem spiritualibus lucri quidem plurimum, maxima autem utilitas insignisque sanctificatio, et omnis philosophiae occasio processerit, cum et verba animam expient, et sanctus Spiritus in canentis animam celeriter advolet. Quod enim qui canunt cum intelligentia, vocent spiritus gratiam, audi quid dicat Paulus: *nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu.* Subjungit autem etiam quaenam sit implendi ratio: *canentes et psallentes in cordibus vestris Domino* (Ephes. V, 18, 19). Quid est *in cordibus vestris?* Cum intelligentia, inquit, ut non os quidem verba loquatur, mens autem extra versetur undique vagans; sed ut lingua ab anima audiatur. Et quemadmodum ubi est coenum, eo porci concurrunt, ubi autem sunt aromata et suffitus, apes illic habitant; ita ubi sunt quidem meretricia cantica, illic congregantur daemones; ubi autem cantica spiritalia, illuc advolat Spiritus gratia, quae os sanctificat et animam.

Haec dico, non ut vos tantum laudetis, sed ut filios et uxores doceatis talia cantare cantica, non solum in texendo aliove opere faciendo, sed maxime in mensa. Cum enim diabolus, ut plurimum insidietur in conviviis, ebrietatis, ingluviei, risusque profusi, et remissi animi auxilio utatur; tunc maxime oportet et ante mensam et post mensam, se munire

psalmorum praesidio, et simul cum uxore ac liberis surgentes a convivio, hymnos sacros Deo canere.

Si enim Paulus, cui intolerabilia flagella imminebant, cum ligno alligatus in carcere habitaret, media nocte, quando est omnibus somnus jucundissimus, cum Sila Deum perpetuo laudabat, et nec locus, nec tempus, nec sollicitudines, nec somni tyrannis, nec illi labores, nec dolores, nec quidquam aliud eum coegit modulationem illam intermittere (Act. XVI 25), multo magis nos, qui jucunde vivimus, et Dei bonis fruimur, hymnos, quibus Deo gratiae aguntur, oportet emittere, ut si vel ebrietas, vel ingluvies nostrae animae turpe aut absurdum quid fecerit, ubi ingressa fuerit psalmodia, omnia illa mala et improba consilia resiliant.

Et quemadmodum nonnulli divites impleta balsamo spongia mensas abstergunt, ut si ex cibis ulla remanserit macula, ea extracta puram mensam ostendant; ita nos quoque faciamus pro balsamo os implentes melodia spirituali, ut si ex saturitate ulla in anima macula remanserit, eam per illam modulationem abstergamus, et simul omnes stantes dicamus: *delectasti nos, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabimus* (Ps. 91, 5). Post psalmodiam autem addatur etiam oratio, ut cum anima ipsam quoque domum sanctificemus.

Sicut enim qui mimos, et saltatores et mulieres meretrices introducunt in convivia, daemones et diabolum illuc vocant, et domos suas implent bellis innumeris, hinc certe zelotypiae, adulteria, stupra, et alia innumera: ita qui vocant David cum cithara, intus Christum per ipsum vocant. Ubi autem est Christus, nullus daemon quidem ingredi, vel potius ne obiter quidem inspicere ausus fuerit: pax autem, et dilectio, et omnia tamquam ex fontibus bona promanabunt. Illi domum suam faciunt theatrum: tu ecclesiam fac tuam domunculam.

Ubi enim est psalmus, et oratio et chorea prophetarum, et pius canentium animus, non aberraverit quispiam, qui hunc coetum dixerit ecclesiam. Etiam si vim verborum non noveris, doce interea ipsum os verba dicere. Sanctificatur etiam lingua per verba, quando ea dicuntur prompto et alacri animo.

Si nos ipsos deduxerimus ad hanc consuetudinem, nec nostra sponte, nec per socordiam pulchrum hoc praetermittemus ministerium, more vel invitos nos cogente hunc Dei cultum cotidie peragere. In hac modulatione, seu quis fuerit senio confectus, seu juvenis, seu voce aspera, seu omnis penitus numeri ignarus, nihil ei vitio dabitur. Quod enim hic quaeritur, est sobria anima, mens vigilans, cor compunctum, valida ratio, expurgata conscientia Si haec habens, ingressus fueris in sanctum Dei chorum, juxta ipsum David stare poteris. Hic non est opus cithara, neque nervis extensis, neque plectro, nec arte, nec ullis instrumentis; sed si velis, te ipsum efficies citharam, cum carnis membra mortificaveris, et animae cum corpore pulchrum concentum effeceris. Non hic opus est arte, quae longo tempore perficitur; sed bona tantum voluntate et generoso animi instituto opus est, ac brevi tempore periti evademus. Non opus est loco, non opus est tempore, sed in omni loco, et omni tempore licet mente canere. Nam sive in foro ambules, sive iter ingrediaris, sive cum amicis consideas, licet excitare animum, licet vel tacenti clamare. Ita etiam Moyses clamabat, et Deus audiebat (Ex. XIV, 15). Et si fieris opifex, poteris in officina sedens et operans psallere. Et si miles sis, aut sedeas in judicio, poteris hoc ipsum facere [1].

306.—Orare debemus diebus festis. Quid hoc sibi vult? Quo nobis festa ulterius progrediuntur, eo minores collectae fiunt, Ne tamen idcirco desides simus nos qui adsumus: siquidem minores fiunt, si multitudinem spectes; si alacritatem animi, non fiunt minores: numero fiunt minores, non affectu. Porro idcirco minuuntur, ut qui in vobis probati sunt manifesti fiant, et quinam ex consuetudine, quinam divinorum eloquiorum cupiditate, quinam lectionis spiritualis desiderio ducti ad annuam ventitent solemnitatem.

Si numeri ratio habeatur, minores estis, qui templo venistis: si tamen affectum spectemus, pluris faciendi estis. Itaque fieri potest, ut qui pauci sunt numero, pluris faciendi

---

1 Expos. in Ps. 41, nn. 1-2.

sint et utiliores habeantur illis qui numero multi sunt. Id confirmat Scriptura dicens: *melior est unus faciens voluntatem Domini, quam innumeri praevaricatores* (Eccli. XVI, 5). Quid dico unum hominem solum innumeris aequiparandum; imo toto orbe terrarum utilior et pretiositor censetur (Hebr. XI, 37). Atque haec cum mihi veniunt in mentem, gaudeo, et doleo: gaudeo quidem propter vos qui adestis; doleo vero, propter eos qui absunt. Quis enim est adeo sensus doloris expers, ut non doleat cum in ea quae ad diabolum pertinent, plus studii conferri cernat? Atqui nulla spes veniae nobis vel excusationis reliqua esset, si vel aequale studium conferretur: cum autem etiam longe superet quis nobis defensionis locus relinquitur?

Cotidie nos invitant spectacula, nec ullus pigritatur, nullus est qui cunctetur: nullus est qui negotiorum occupationes obtendat, sed tamquam expediti et omni cura soluti accurrunt omnes. At si quidem ad ecclesiam veniendum sit, ita pigritatur et torpet, quasi quidpiam fuerit Deo largitus. Et qui ad ecclesiam non veniunt, Deo resistunt, ipsis judaeis pejores.

Ego non impero, ne dico quidem ut septem decemve diebus ab operibus abstineas, sed duas mihi diei horas ut commodes, reliquas ipse tibi habeas, et ne hanc quidem mihi mensuram contribuis. Imo vero mihi ne commodes duas horas, sed tibi ipsi, ut ex oratione patrum aliquam consolationem percipias, ut benedictionibus plenus recedas, ut omni ex parte securus abeas, ut spiritualibus acceptis armis invictus diabolo et inexpugnabilis fias.

Quid jucundius, quaeso, quam hic versari? Si enim totos dies hic transigere necesse esset, quid praeclarius? Quid tutius, ubi tot sunt fratres, ubi Spiritus sanctus, ubi medius Jesus, et Pater ejus? Qualem aliam congregationem quaeris, qualem alium senatum, qualem conventum? Tot bonis referta est mensa, tot lectiones Scripturae, tot benedictiones, tot preces, tot ipsi congressus: et tu aliam conversationem et colloquia spectas? Quanam autem venia dignus censebere? Haec a me dicta sunt, non ut vos audiatis: neque enim vos medicamentis ejusmodi indigetis, qui ipsis operibus sanos vos esse comprobastis, qui oboeditis, qui tanto studio ves-

trum amorem ostendistis: sed ad vos haec dircta sunt a me, ut ex vobis audiant qui non adsunt [1].

307.—Omnis locus ad precandum opportunus. Etiamsi extra ecclesiam sis, clama et dic, *misere mei,* non labia movens, sed mente clamans: nam vel tacentes audit Deus. Non requiritur locus, sed morum initium.

Jeremias in coeno erat, et Deum attraxit; Daniel in loco leonum, et Deum sibi propitium reddidit: tres pueri in camino erant, et Deum celebrantes flexerunt; latro crucifixus est et nihil obfuit crux, sed paradisum aperuit: Job in fimo erat, et Deum propitium reddidit; Jonas in ventre ceti, et Deum sibi obsequentem habuit.

Si in balneo sis, precare: si in via, si in lecto, similiter: ubicumque fueris, precare. Templum es Dei, ne quaeras locum; voluntatis affectus solum requiritur.

Si coram judice sistaris, precare: cum irascitur judex, precare.

Mare coram erat, a tergo Aegiptii, in medio Moyses; multa in precatione angustia, sed amplum erat orandi spatium. A tergo Aegiptii insequebantur, mare coram erat, in medio autem oratio; nihilque loquebatur Moyses et ait illi Deus: *quid clamas ad me* (Ex. XIV, 15)?

Os non loquebatur, sed mens clamabat.

Et tu itaque, dilecte, cum steteris coram judice furente, tyrannice loquente, acriter minitante, et aliis carnificibus similiter agentibus, Deum precare, et te precante fluctus mitigabuntur. Judex instat? Tu ad Deum confugito. Princeps adest? Tu Dominum voca. Numquid homo est, ut ad aliquem pergas locum? Deus prope semper est. Si hominem rogare volueris, interrogas quid agat, dormiatne, an a negotiis vacet; ministerque non tibi respondet.

Ad Deum precandum nullo horum opus habes: quocumque ieris et invocaveris ille audit: nulla occupatio, nullus intermedius, minister nullus aditum intercludit.

Dic, *misere mei,* et statim Deus aderit: *Adhuc te loquente,* inquit, *dicam, ecce adsum* (Is. 58, 9). O sermo benignitate

---

1 Serm. in Inscript. altar, nn. 1, 2.

plenus. Non exspectat precationis finem: nondum finita oratione donum accipis [1].

Ex multiloquio non effugies peccatum (Prov. X, 19). Prae omnibus linguam refrenemus, et ne semper loquamur. Si nempe dicendum utile quid habes, aperi labia: si nihil sit necessarium, tace; melius est enim.

Artifex manualis es? Sedens psalle; sed non vis ore psallere? Hoc facias mente: magnus contubernalis psalmus. Nihil hinc grave sustinebis, sed tamquam in monasterio in officina sedere poteris: non enim locorum commoditas, sed morum probitas quietem nobis praebebit. Paulus enim in officina artem suam tractans, nihil ad propriam virtutem laesus est (Act. XVIII, 3).

Ne dicas igitur, quomodo potero, cum artifex et pauper sim, philosophari, seu orationi incumbere? Propterea nempe magis poteris orare. Nam paupertas divitiis et negotium otio ad pietatem nobis est opportunius; quippe cum et divitiae non advertentibus impedimentum fiant [2].

308.—Ne quaeramus excusationes dicendo non esse propinquam precationis aedem: nos enim ipsos, si sobrii fuerimus, templa Dei facit gratia Spiritus, ut magna undique nobis precandi facultas adsit.

Neque enim talis est apud nos divinus cultus, qualis quondam apud Judaeos erat multum habens sensibilium ceremoniarum, multaque operatione indigens. Illic precaturum oportebat ad templum ascendere, turturem emere, ligna et ignem ad manus habere, arrepto cultro altari assistere, aliaque multa praecepta perficere: hic nihil tale, sed ubicumque fueris, praesto tibi est et altare, et culter et victima: tu ipse et altare, et sacerdos et victima es. Ubicumque enim fueris, potes erigere altare, si sobriam modo voluntatem afferas, nec te aut locus aut tempus impedit, sed etiamsi nec genus flectas, nec pectus tundas, nec manus ad caelum tendas, si mentem solum afferas fervidam, nihil tibi ad precationem deerit.

Licet etiam mulieri colum tenenti aut telam texenti mente

[1] Homil. de Canan., n. 11.

[2] Ad illuminand. cateches. I, n. 4.

suspicere in caelum, et ardenti pectore Deum invocare: licet etiam viro in foro versanti aut iter facienti attente precari: alteri itidem in officina sedenti ac coria suenti animam ad Dominum erigere: licet servo obsonanti, ac sursum deorsum cursitanti, vel in culina ministranti, si non licet adire ecclesiam, precationem intentam ex imo pectore ciere.

Non pudet loci Deum: unum postulat, mentem ferventem animamque modestam. Et ut scias non habitu aut locorum temporumve opportunitate esse opus, sed animo probo ac vigili, Paulus supinus in carcere jacens, non erectus stans, neque enim compes lignea permittebat, quoniam magna alacritate precabatur jacens, carcerem concussit, ejusque fundamenta commovit, et custodem terruit, ac mox initiatum ad mysteria sacra perduxit (Act. XVI).

Rursum Ezechias ille non erectus stans, neque genibus flexis, sed supinus in lecto cubans in infirmitate, versa ad parietem facie, quoniam ardenter et temperanti animo Deum invocavit, sententiam adversus se latam revocavit, magnam sibi gratiam conciliavit, et in pristinam restitutus est sanitatem (IV Reg. XX).

Nec solum magnis et sanctis viris hoc contigisse videas, sed malis etiam. Nam et latro ille, non stans in oratio, aut genua flectens, sed in cruce distensus, paucis verbis regnum caelorum impetravit (Lc. XXIII, 42): alius in lacum coenosum conjectus, alius in foveam bestiis objectus, alius ceti alvo conclusus, invocato Deo, mala instantia discusserunt, divinamque sibi conciliarunt benevolentiam.

Hoc sermone hortor ut continue frequentetis ecclesias, et domi cum magna quiete precemini per otium, genua flectentes, manusque attollentes; quod si tempus aut locus nos in multitudine hominum deprehendat, non est ob hoc a consuetis orationibus cessandum, sed ita ut vestram caritatem monui, precamini et invocate Deum, certi nihilominus tali precatione optata vos impetraturos. Non haec ideo dixi ut applaudatis et laudetis, sed et opere ea praestetis, utque tam nocturnum quam diurnum et operandi tempus votis ac precationibus occupetis [1].

---

[1] De Anna serm. IV, n. 6.

309.—Hodie, videlicet in sancta et magna die Parasceves, Dominus noster Jesus Christus in cruce, et nos festum agimus, ut discas crucem esse festum et celebritatem spiritualem. Antehac enim crux nomen erat damnationis, nunc vero res honorabilis effecta est: prius symbolum condemnationis, nunc argumentum salutis. Haec enim nobis innumerabilium bonorum causa effecta est: haec nos ab errore liberavit, haec in tenebris positos liberavit; haec jam debellatos cum Deo reconciliavit, abalienatos domesticos effecit, procul positos proximos constituit; haec inimicitiae destructio, pacis tutamen, sexcentorum bonorum thesaurus. Propter eam non ultra in desertis vagamur; veram quippe viam novimus, non amplius extra regiam degimus; januam enim invenimus: non timemus ignita diaboli tela, fontem siquidem vidimus. Per crucem non amplius in viduitate sumus, sponsum enim recepimus: non timemus lupum, bonum quippe pastorem habemus; *nam ego sum,* inquit, *pastor bonus* (Jo. X, 11). Per hanc tyrannum non perhorrescimus, Regi enim assidemus; et ideo festum agimus, crucis memoriam celebrantes. Ita et Paulus jussit per crucem festum agere: *festum agamus,* inquit, *non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I Cor. V, 8). Deinde causam adjiciens, ita pergit, quia *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Videsne quomodo per crucem festum agere praecipiat? In cruce namque immolatus est Christus. Ubi namque sacrificium, ibi peccatorum abolitio, ibi reconciliatio cum Domino, ibi festum et laetitia. *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus.* Ubi, quaeso, immolatus? In excelso patibulo.

Novum altare hujus sacrificii, quia ipsum sacrificium novum stupendumque est. Idem quippe et sacrificium et sacerdos erat: sacrificium secundum carnem, sacerdos secundum spiritum: idem et offerebat, et secundum carnem offerebatur. Audi quomodo haec ambo Paulus declaraverit: *Omnis Pontifex,* inquit, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur; unde necesse est ut habeat quidpiam, quod offerat. Ecce ipse offert semetipsum* (Hebr. V, 1; VIII, 3). Alibi vero dicit: *Christus semel oblatus ad multorum auferenda peccata, apparebit exspectantibus se in salutem* (IX, 8).

Ecce hic oblatus est, illic vero semetipsum obtulit. Videsne quomodo et sacrificium et sacerdos factus sit, et crux altare fuerit?

Et cur, inquies, non in templo hostia ofertur, sed extra urbem et moenia? Ut impleretur illud: *cum iniquis reputatus est* (Is. LIII, 12). Cur autem in sublimi patibulo sacrificatur, non sub tecto? Ideo non sub tecto, ideo non in templo judaico, ne sibi judaei hostiam sequestrarent, ne e putares pro illa gente tantum hanc offerri. Idcirco extra urbem et moenia, ut discas universale sacrificium esse, quia pro universa terra erat oblatio: ut disceres item purgationem, communem non peculiarem esse, quemadmodum apud judaeos. Judaeis enim ideo praecepit Deus ut universam terram relinquerent, et uno in loco hostias et preces offerrent, quia tota terra impura erat, fumo, nidore, reliquisque omnibus gentilitiorum sacrificiorum inquinamentis eam occupantibus.

Nobis vero, quia Christus tandem veniens totum orbem purgavit, quivis locus orandi locus factus est. Ideo Paulus confidenter hortabatur, ut ubique sine timore preces emitterentur, his verbis: *volo viros in omni loco, levantes sanctas manus* (I Tim. II, 8). Videsne quomodo purgatus sit orbis? Per locum enim licet ubique levare sanctas manus; quoniam omnis terra sancta effecta est, et sanctis illis templi interioribus sanctior. Illic enim offerebatur ovis irrationiabilis, hic vero spiritualis: quanto autem majus est sacrificium, tanto auctior sanctificatio. Quapropter crux est celebritas [1].

310.—Cujusdam sancti viri precatio. Scio ego quendam virum sanctum sic orasse. Prae hoc verbo nihil aliud dicebat, quam:

Gratias agimus pro omnibus beneficiis tuis, quae a primo die usque ad praesentem diem nobis indignis sunt collata: pro iis quae scimus et nescimus, pro manifestis, pro non manifestis, quae opere facta sunt et quae sermone, quae voluntarie facta sunt et involuntarie, pro omnibus quae facta sunt nobis indignis, pro affictionibus, pro recreationibus, pro supplicio, pro regno caelorum.

1 De Cruce et latr. homil. I, n. 1. Cf. etiam hom. II, n. 1.

Rogamus ut conserves animam nostram sanctam, puram habentem conscientiam, finem dignum tua clementia. Qui sic dilexisti nos ut Unigenitum Filium dares, dignare nos esse dignos caritate: da in sermone tuo sapientiam et in timore tuo; tuam inspira fortitudinem; qui pro nobis dedisti Unigenitum et sanctum tuum emisisti Spiritum in remissionem peccatorum nostrorum, si quid volentes vel inviti peccavimus, condona et ne reputes: recordare omnium qui invocant nomem tuum in veritate: recordare omnium qui bene et secus nobis volunt: omnes enim sumus homines [1].

[1] In Epist. ad Coloss. hom. 10, n. 3.

CAPUT XIII. De oratione Dominica: expositio primae Partis.

Summa: 311. *Comparatio Symboli et orationis Dominicalis per modum introductionis.*—312. *Christus auctor hujus orationis.*—313. *Oratio dominicalis est compendium nostrae spei et omnium quae desiderare debemus.*—314. *Brevissima expositio totius orationis.*—315. *Collatio orationis Dominicalis cum donis sancti Spiritus.*—316. *Divisio orationis in duas partes.*—317. *Invocatio praeambula: Pater noster.*—318. *Christus et homines eumdem Patrem caelestem habent.*—319-320. *Expositio prioris partis:* prima petitio, *sanctificetur nomen tuum.*—321. Secunda: *adveniat regnum tuum.*—322. Tertia: *fiat voluntas tua.*

311.—Comparatio Symboli et orationis Dominicalis. Beatus Apostolus tempora ista, quando futurum erat, ut omnes gentes in Deum crederent, praenuntiata ostendens fuisse a prophetis, hoc testimonium posuit quod scriptum est: *et erit, omnis homo qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Joel, II, 32). Antea enim apud solos Israelitas invocabatur nomen Domini, qui fecit caelum et terram: ceterae gentes idola muta et surda invocabant, a quibus non audiebantur; aut daemones, a quibus malo suo audiebantur. At ubi venit plenitudo temporis, impletur quod praedictum est: *et erit, omnis qui*

invocaverit nomem Domini, salvus erit. Subjunxit autem Apostolus: *quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt?* Et quia hoc dixit, ideo non accepistis prius Orationem, et postea Symbolum; sed prius symbolum, ubi sciretis quid crederetis; et postea Orationem, ubi nossetis quem invocaretis. Symbolum ergo pertinet ad fidem, Oratio ad precem; quia qui credit, ipse exauditur invocans [1].

Quoniam invocare non possetis, in quem non credidissetis, ideo *prius Symbolum didicistis, ubi est regula fidei vestrae, brevis et grandis: brevis, numero verborum: grandis, pondere sententiarum.* Oratio autem, quam hodie accipitis tenendam, ab ipso Domino dicta est Discipulis ipsius, et ab ipsis pervenit ad nos, quoniam in omnem terram exivit sonus eorum [2].

Ecce tibi est Symbolum et Dominica Oratio: brevius quid auditur aut legitur? Quid facilius memoriae commendatur? Quia enim de peccato gravi miseria premebatur genus humanum, et divina egebat misericordia, gratiae Dei tempus Propheta praedicens ait: *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Joel, II, 32): propter hoc oratio. Sed apostolus cum ad ipsam gratiam commendandam hoc propheticum commemorasset testimonium, continuo subjecit: Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt? propter hoc Symbolum. In his duobus tria illa intuere: Fides credit, spes et caritas orant. Sed sine fide esse non possunt: ac per hoc et fides orat. Propterea quippe dictum est: quomodo invocabunt in quem non crediderunt?

---

[1] Serm. 56 in Mt. de orat. Domin. ad Compet., n. 1. Cf. Serm. 57, n. 1 et 58, n. 1.

[2] Serm. 59 in Mt. n. 1.

Quid autem sperari potest, quod non creditur? Porro aliquid etiam quod non speratur, credi potest. Quis namque fidelium poenas non credit impiorum, nec sperat tamen, et quisquis imminere sibi credit ac fugaci motu animi exhorret, rectius timere dicitur quam sperare. Quae duo quidam distinguens ait:

Liceat sperare timenti (Lucan.).

Non autem ab alio poeta, quamvis meliore, proprie dictum est (Virg. Aeneid. IV, 410):

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem [1].

312.—**Auctor hujus orationis.** Filius Dei Dominus noster Jesus Christus docuit nos orationem: et cum sit ipse Dominus, sicut in Symbolo accepistis et reddidistis, Filius Dei unicus tamen noluit esse unus.

Unicus est et unus esse noluit: fratres habere dignatus est. Quibus enim dicit: *Dicite, Pater noster qui es in coelis* (Mt. VI, 9)? [2].

Accipite quomodo invocetur Deus. Ipse Filius docuit discipulos et fideles suos hanc Orationem. Spem habemus obtinendae causae nostrae, quando talis jurisperitus nobis preces dictavit. Assessor Patris, sicut confessi estis, qui sedet ad dexteran Patris: ipse est advocatus noster, qui futurus est judex noster. Inde enim venturus est judicare vivos et mortuos. Tenete ergo hanc orationem [3].

---

1 Enchir. fidei etc., n. 2.

2 Serm. 57 in Mt. n. 2.

3 Serm. 58 in Mt. n. 1. **Doctrina divi Thomae:** Juxta nostrum Angelicum Magistrum *excellentia* Dominicae orationis tanta est, ut inter alias orationes princeps inveniatur; habet enim *quinque excellenias*, quae in oratione requiruntur.

Oratio debet esse *secura*, ut cum fiducia adeamus ad thronum

313.—Est compendium nostrae spei. Ex ista fidei confessione, quae breviter Symbolo continetur, et carnaliter cogitata lac parvulorum est, spiritaliter autem considerata atque tractata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui caritas sancta comitatur. Sed de iis omnibus quae fideliter sunt credenda ea tantum ad spem pertinent quae oratione Dominica continentur. *Maledictus* enim *omnis*, sicut divina testantur eloquia, *qui spem ponit in homine* (Jer. XVII, 5). Ac per hoc et in seipso qui spem ponit, hujus maledicti vinculo innectitur.

Ideo nonnisi a Domino Deo petere debemus, quiquid

---

gratiae Dei (Hebr. IV, 16). Jam vero rationabiliter haec oratio est securissima; quia est efformata a nostro advocato, qui est sapientissimus petitor, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae* (Coloss. II) et de quo dicitur (Jo. II, 1); *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* Ulterius apparet securior, quia ipse qui docuit nos orare, est exauditor cum Patre. Unde ab hac oratione numquam sine fructu receditur.

Debet esse oratio *recta,* ut petat orans a Deo, quae decent. Multoties enim non exauditur oratio, quia postulantur quae non conveniunt. Jam vero, ipse Christus nos docuit in hac oratione quaenan eramus petituri.

Debet esse *ordinata,* sicut desiderium, cujus est interpres. Est autem hic debitus ordo, ut spiritualia carnalibus, caelestia terrenis desiderando et orando praeferamus, secundum illud: *primum quaerite regnum Dei et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur vobis* (Mt. VI, 33). Hoc praecise Dominus in hac oratione servare docuit (Cf. infra)

Debet esse *devota,* quia pinguedo devotionis facit sacrificium orationis esse Deo acceptum, secundum illud: *in nomine tuo levabo manus meas: sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (Ps. 62, 5). Devotio autem plerumque propter prolixitatem orationis obtunditur; unde Dominus superfluam orationis prolixitatem docuit vitare, dicens: *orantes autem, nolite multum loqui* (Mt. VI, 7). Unde Dominus hanc orationem brevem instituit.

Debet esse tandem *humilis,* secundum illud: respexit in orationem humilium (Ps. 101, 18); et (Judith IX, 16) *humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Quae quidem humilitas in hac oratione servatur; nam vera humilitas est quando aliquis, nihil ex suis viribus praesumit sed totum ex divina virtute impetrandum exspectat (Opus. V. Exposit. Orat. Dom.).

speramus nos vel bene operaturos vel pro bonis operibus adepturos. Proinde apud evangelistam Matthaeum septem petitiones continere Dominica videtur Oratio: quarum tribus aeterna poscuntur, reliquis quatuor temporalia, quae tamen propter aeterna consequenda sunt necessaria.

Nam quod dicimus: *sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra,* omnino sine fine retinenda sunt: et hic inchoata quantumcumque proficimus, augentur in nobis; perfecta vero, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur.

Quod vero dicimus: *panem nostrum cotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo,* quis non videat ad praesentis vitae indigentiam pertinere?

In illa itaque vita aeterna ubi nos semper speramus futuros, et nominis Dei sanctificatio, et regnum ejus, et voluntas ejus in nostro spiritu et corpore perfecte atque immortaliter permanebunt.

Panis vero cotidianus ideo dictus est, quia hic est necessarius, quantus animae carnique tribuendus est sive spiritaliter, sive carnaliter, sive utroque intelligatur modo.

Hic est etiam quam poscimus remissio, ubi est commissio peccatorum; hic tentationes quae nos ad peccandum vel alliciunt vel impellunt; hic denique malum unde cupimus liberari: illic autem nihil istorum est.

Evengelista vero Lucas in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est; nec ab isto utique discrepavit, sed quomodo istae septem sint intelligendae, ipsa sua brevitate commonuit.

Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu, Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodam modo repetitionem, magis eam praetermittendo facit intelligi. Deinde tres alias adjungit, de pane cotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At vero quod Matthaeus in ultimo posuit, sed libera nos a malo, iste non posuit, ut intelligeremus ad illud superius quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, sed libera; non ait, et libera, tamquam unam petitionem esse demonstrans (noli hoc, sed hoc): ut sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem [1].

Multi autem petunt quod petere non deberent, ignorantes quid eis expediat. Duas ergo res, qui invocat, cavere debet: ne petat quod non debet, et ne ab illo petat a quo non debet. A diabolo, ab idolis, a daemonibus non est petendum aliquid: a Domino nostro Jesu Christo, Deo Patre Prophetarum, Apostolorum et Martyrum, a Patre Domini nostri Jesu Christi, a Deo qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, ab illo petendum est, si quid petendum est. Sed cavendum est ne et ab illo petatur quod petere non debemus [2].

314.—Brevis expositio orationis Dominicae. Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur et inspiciamus quid petamus, non quibus Dominus seu docendum seu flectendum esse credamus.

Cum ergo dicimus: *Sanctificetur nomen tuum* (Mt. VI, 9), nos ipsos admonemus desiderio, ut nomen ejus quod

---

[1] Enchirid. n. 30.
[2] Serm. 56, n. 2.

semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est, non contemnatur; quod non Deo, sed hominibus prodest.

Et in eo quod dicimus: *adveniat regnum tuum,* quod seu velimus seu nolimus, utique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur.

Cum dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra,* nobis ab illo precamur ipsam oboedientiam, ut sic a nobis fiat voluntas ejus, quemadmodum fit in caelestibus ab Angelis ejus.

Cum dicimus: *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie,* per id quod dicitur hodie, significatur hoc tempore, ubi vel ipsam suficientiam petimus, a parte quae excellit, id est, nomine panis totam significantes: vel sacramentum fidelium, quod in hoc tempore necessarium est, non tamen ad hujus temporis, sed ad illam aeternam felicitatem assequendam.

Cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris,* nos admonemus et quid petamus, et quid faciamus, ut accipere mereamur.

Cum dicimus: *Ne nos inferas in tentationem,* nos admonemus hoc petere, ne deserti ejus adjutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti.

Cum dicimus: *Libera nos a malo,* nos admonemus cogitare, nondum nos esse in eo bono ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum quod in Dominica Oratione positum est, tam late patet, ut homo christianus in qualibet tribulatione constitutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrimas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His enim verbis res ipsas memoriae nostrae commendari oportebat.

Nam quaelibet alia verba dicamus, quae affectus orantis vel praecedendo format ut clareat, vel consequendo attendit ut crescat, nihil aliud dicimus quam quod in ista Dominica oratione positum est, si recte et congruenter oramus. Quisquis autem id dicit quod ad istam evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicite orat, carnaliter orat: quod nescio quemadmodum non dicatur illicite, quandoquidem spiritu renatos nonnisi spiritaliter decet orare.

Qui enim dicit verbi gratia: *Clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis* (Eccli. 36, 4): et Prophetae tui fideles inveniantur (ib. 18); quid aliud dicit, quam sanctificetur nomen tuum?

Qui dicit, *Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus* (Ps. 79, 4): quid aliud dicit, quam *veniat regnum tuum?*

Qui dicit, *Itinera mea dirige secundum verbum tuum, et ne dominetur mei omnis iniquitas* (Ps. 118, 133): quid aliud dicit quam, *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra?*

Qui dicit, *Paupertatem et divitias ne dederis mihi* (Prov. 30, 8): quid aliud dicit quam, *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie?*

Qui dicit, *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus* (Ps. 131, 1): aut, *Domine, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala* (Ps. VII, 4): quid aliud dicit, quam, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?*

Qui dicit, *aufer a me concupiscentias ventris, et desiderium concubitus ne apprehendat me* (Eccli. XXIII, 6): quid aliud dicit quam, *Ne nos inferas in tentationem?*

Qui dicit, *Erue me ab inimicis meis, Deus, et ab insurgentibus super me, libera me* (Ps. LVIII, 2): quid aliud dicit quam, *Libera nos a malo?*

Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies quod in ista Dominica non contineatur et concludatur Oratione. Unde liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere; sed non debet esse liberum alia dicere [1].

315.—Collatio orationis Dominicalis cum donis. Videtur mihi septenarius iste numerus harum petitionum congruere illi septenario numero, ex quo totus iste sermo manavit. Si enim timor Dei est, quo beati sunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum: petamus ut sanctificetur in hominibus nomen Dei, timore casto permanente in saecula saeculorum (Ps. 18, 10).

Si pietas est, qua beati sunt mites, quoniam ipsi he-

[1] Epist. 130, nn. 21-22. **Doctrina divi Thomae:**

Recapitulatio omnium petitionum brevis et utilis. Ut in summa exponatur, sciendum est, quod in oratione Dominica continentur omnia quae desiderantur, et omnia quae fugiuntur. Inter omnia autem desiderabilia illud plus desideratur quod plus amatur, et hoc est Deus; et ideo primo petis gloriam Dei, cum dicis: *sanctificetur nomen tuum.* A Deo autem desideranda sunt tria, quae pertinent ad te. Primum est quod pervenias ad vitam aeternam, et hoc petis cum dicis: *adveniat regnum tuum.* Secundum est, quod facias voluntatem Dei et justitiam; et hoc petis, cum dicis: *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.* Tertium est, ut habeas necessaria ad vitam, et hoc petis cum dicis: *panem nostrum cotidianum da nobis hodie.*

Illa autem quae vitanda sunt et fugienda, sunt illa quae contrariantur bono. Bonum autem quod primo desiderabile est, quadruplex est: *gloria Dei*, et huic nullum malum est contrarium, quia et de bono et de malo resultat gloria Dei; de malo inquantum punit, de bono inquantum remunerat; *vita aeterna*; et huic contrariatur peccatum, quia per ipsum perditur; et ideo ad hoc removendum dicitur: *dimitte nobis debita nostra*: *justitia et bona opera*; et huic contrariatur tentatio; quia tentationes impediunt nos a bono operando; ideo petimus, *et ne nos inducas in tentationem*: *bona necessaria*, et his contrariantur adversitates et tribulationes; et ad hoc removendum petimus: *sed libera nos a malo, amen* (Expos. Orat. Domin.).

reditate possidebunt terram; petamus ut veniat regnum ejus, sive in nos ipsos, ut mitescamus, nec ei resistamus: sive de caelo in terras in claritate adventus Domini quo nos gaudebimus et laudabimur, dicente illo: *Venite, benedicti Patris mei, accipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (Mt. XXV, 34). *In Domino* enim, inquit Propheta, *laudabitur anima mea: audiant mites et jucundentur* (Ps. XXXIII, 2).

Si scientia est, qua beati sunt qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; oremus ut fiat voluntas ejus sicut in caelo et in terra: quia cum corpus tanquam terra, spiritui tamquam caelo summa et tota pace consenserit, non lugebimus; nam nullus alius hujus temporis luctus est, nisi cum adversum se ista confligunt et cogunt nos dicere: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae:* et luctum nostrum lacrimosa voce testari: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (Rom. VII, 23)?

Si fortitudo est qua beati sunt qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur; oremus ut panis noster cotidianus detur nobis hodie, quo fulti atque sustentati ad plenissimam illam saturitatem venire possimus.

Si consilium est, quo beati sunt misericordes, quoniam ipsorum miserebitur; dimittamus debita debitoribus nostris, et oremus ut nobis nostra dimittantur.

Si intellectus est, quo beati sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; oremus non induci in tentationem, ne habeamus duplex cor, non appetendo simplex bonum, quo referamus omnia quae operamur, sed simul temporalia et terrena sectando. Tentationes enim de his rebus quae graves et calamitosae videntur homi-

nibus, non in nos valent, si non valeant illae, quae blanditiis earum rerum accidunt, quas homines bonas et laetandas putant.

Si sapientia est, qua beati sunt pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur; oremus ut liberemur a malo ipsa enim liberatio liberos nos faciet, id est filios Dei ut spiritu adoptionis clamemus, *Abba, Pater* [1].

316.—Divisio orationis Dominicalis in duas partes. Septem sunt petitiones, quarum tres priores ad vitam aeternam pertinent: quod enim sanctificetur in nobis nomen Dei nostri, aeternum erit. Quod regnum ejus veniet, ubi semper vivemus, aeternum erit. Quod voluntas ejus fit sicut in caelo ita et in terra, omnibus modis quibus deinde exponam, aeternam erit. Quatuor vero reliquae ad praesentem vitam pertinent [2].

Sed omnia petamus, ut ad vitam aeternam perveniamus; et hic rogemus, ne ab illa separemur. In Ecclesia enim ad altare Dei cotidie dicitur ista Dominica oratio, et audiunt illam fideles. Non ergo timemus, ne minus diligenter eam teneatis; quia et si quis vestrum non poterit tenere perfecte, audiendo cotidie tenebit [3].

Sed harum septem petitionum consideranda et commendanda distinctio est. Nam cum vita nostra temporaliter nunc agatur, atque speretur aeterna, et cum aeterna priora sint dignitate, quamvis temporalibus prius actis ad illa transeatur; trium primarum petitionum impetrationes quamquam in hac vita, quae isto saeculo

---

1 Serm. Dom. in Mont. libr. 2, n. 38. Divus Thomas etiam comparat orationem istam cum donis, ut videri potest infra in ejus expositione.

2 Serm. 57, n. 6; serm. 56, n. 18; serm. 59, n. 8.

3 Serm. 58, n. 12.

agitur, exordium capiant; tamen omnia tria in aeternum manebunt. Coeperunt quidem in hac vita: nam et sanctificatio nominis Dei ab ipso humilitatis Domini adventu agi coepit; et adventus regni ejus, quo in claritate venturus est, non jam finito saeculo, sed in fine saeculi; et perfectio voluntatis ejus, sicut in caelo et in terra, sive justos et peccatores caelum et terram intelligas, sive spiritum et carnem, sive Dominum et Ecclesiam, sive omni simul ipsa perfectione nostrae beatitudinis, et ideo saeculi terminatione complebitur; sed tamen in aeternum manebunt; nam et sanctificatio nominis Dei sempiterna erit, et regni ejus nullus est finis, et perfectae nostrae beatitudini aeterna vita promittitur. Permanebunt ergo ista tria consummata atque cumulata in illa vita, quae nobis promittitur.

Reliqua vero quatuor, quae petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videntur. Quorum primum est: Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Hoc ipso enim quod dictus est cotidianus panis, sive spiritalis significetur, sive in sacramento aut in victu isto visibilis, ad hoc tempus pertinet, quod appellavit hodie; non quia spiritalis cibus non est sempiternus, sed quia iste qui cotidianus dictus est in Scripturis, sive in strepitu sermonis, sive quibusque temporalibus exhibetur animae; quae omnia tunc utique non erunt, cum omnes erunt docibiles Deo (Jo. VI, 45), et ipsam ineffabilem lucem veritatis non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes. Nam fortasse et propterea panis dictus est, non potus, quia panis frangendo atque mandendo, in alimentum convertitur; sicut Scripturae aperiendo et disserendo animam pascunt: potus vero paratus, sicuti est, transit in corpus;

ut isto tempore panis sit veritas, cum cotidianus panis dicitur; tunc autem potus, cum nullo labore disputandi et sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi, opus erit, sed solo haustu sincerae et perspicuae veritatis.

Et peccata nunc nobis dimittuntur, et nunc dimittimus; quae harum quatuor reliquarum secunda petitio est: tunc autem nulla erit venia peccatorum, quia nulla peccata. Et tentationes temporalem istam vitam infestant; non autem erunt, cum perfectum erit quod dictum est: abscondes eos in abscondito vultus tui (Ps. 30, 21). Et malum a quo liberari optamus, et ipsa liberatio a malo ad hanc utique vitam pertinet, quam et justitia Dei mortalem meruimus, et unde ipsius misericordia liberamur [1].

---

[1] Serm. Domin. in Mont. lib. II, nn. 36, 37. De consensione inter ss. Matthaeum et Lucam circa numerum petitionum confer supra n. 313. **Doctrina divi Thomae**. Egregie, uti assolet, exponit Angelicus praeceptor convenientiam et ordinem servatum in oratione Dominica. Oratio, inquit, Dominica perfectissima est; nam sicut Augustinus dicit ad Probam, si recte et congruenter oramus nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione Dominica positum est.

Cum enim oratio sit quodammodo desiderii nostri interpres apud Deum, illa recte solum orando petimus, quae recte desiderare valemus. Jam vero in oratione Dominica non solum petuntur omnia quae recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt; ut sic haec oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus.

Probatur nimirum rectissimo ordine esse posita, quae desiderare debemus. Nam primum, quod cadit sub nostrum desiderium, est finis, et deinde ea quae ordinantur ad finem. At finis noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter: uno modo, prout volumus gloriam Dei, quod quidem pertinet ad dilectionem, qua Deum in seipso diligimus; et sic ponitur prima petitio, *sanctificetur nomen tuum*, per quam gloriam Dei petimus; alio modo secundum quod volumus frui gloria ejus, quod pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo; et ita ponitur secunda, *adveniat regnum tuum*, per quam petimus ad gloriam regni Dei pervenire.

Ad finem autem praedictum nos ordinat aliquid dupliciter, uno modo *per se*, alio modo *per accidens*. Per se quidem bonum quod est utile in finem beatitudinis; quod iterum dupliciter se habet; uno

317.—Invocatio praeambula: Pater noster. Sed jam considerandum est, quae nos orare ille divinus Magister praeceperit, per quem et discimus quid oremus, et consequimur quod oramus. Sic itaque orate vos: *Pater noster, qui es in caelis*, etc.

Cum in omni deprecatione benevolentia concilianda sit ejus, quem deprecamur, deinde dicendum quid deprecemur; laude illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari, et hoc in orationis principio poni solet: in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere jussit, nisi *Pater noster qui es caelis*.

Multa enim dicta sunt in laudem Dei, quae per omnes sanctas Scripturas varie lateque diffusa poterit quisque considerare, cum legit: nusquam tamen invenitur praeceptum populo Israel ut diceret: Pater noster, aut ut oraret Patrem Deum; sed Dominus eis insinuatus est, tanquam servientibus, id est, secundum carnem adhuc viventibus.

---

modo directe et principaliter, secundum meritum quo beatitudinem meremur Deo oboediendo; et quantum ad hoc ponitur, *fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra*. Alio modo *instrumentaliter*, et quasi coadjuvans nos ad merendum; et ad hoc pertinet quod dicitur, *panem nostrum cotidianum da nobis hodie;* sive hoc intelligatur de pane sacramentali, cujus cotidianus usus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia sacramenta; sive etiam intelligatur de pane corporali, ut per panem intelligatur omnis sufficientia victus, sicut dicit Augustinus ad Probam; quia et Eucharistia est praecipuum Sacramentum, et panis est praecipuus cibus: unde et in Evangelio Matthaei Scriptum est, *supersubstantialem*, id est, *praecipuum*, ut Hieronymus exponit.

Per accidens autem ordinamur in beatitudinem per remotionem prohibentis. Tria autem sunt, quae nos a beatitudine prohibent; primo peccatum, quod directe excludit a regno: et ad hoc pertinet quod dicitur: *dimitte nobis debita nostra*. Secundo tentatio quae nos impedit ab observantia divinae voluntatis; et ad hoc pertinet quod dicitur: *et ne nos inducas in tentationem*; per quod non petimus ut non tentemur, sed ut a tentatione non vincamur, quod est in tentationem induci. Tertio poenalitas praesens, ut quae impedit sufficientiam vitae; et quantum ad hoc dicitur: *libera nos a malo* (2. 2. q. 83, a. 9).

Hoc autem dico cum mandata legis acciperent, quae obsevare jubebantur; nam Prophetae saepe ostendunt eumdem Dominum nostrum etiam Patrem eorum esse potuisse, si ab ejus mandatis non aberrarent, sicut est illud: *filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (Is. I, 2), et illud: *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes* (Ps. 81, 6); et illud, *si Dominus sum, ubi est timor meus? et si Pater sum, ubi est honor meus* (Malach. I, 6)? Et alia permulta, ubi arguuntur judaei quia filii esse peccando noluerunt: exceptis eis quae in prophetia dicuntur de futuro populo christiano, quod Patrem Deum esset habiturus, secundum illud evangelicum, *dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Jo. I, 12): apostolus autem Paulus dicit, quandiu heres parvulus est, nihil distat a servo (Gal. IV, 1): et spiritum adoptionis nos accepisse commemorat, in quo clamamus, *Abba Pater*.

Et quoniam quod vocamur ad aeternam hereditatem, ut simus *Christi coheredes, et in adoptionem filiorum veniamus* (Rom. VIII, 23): non est meritorum nostrorum, sed gratiae Dei; eamdem ipsam gratiam in orationis principio ponimus, cum dicimus: *Pater noster*.

Quo nonime et caritas excitatur; quid enim carius filiis debet esse quam pater? Et supplex affectus, cum homines dicunt Deo, Pater noster, et quaedam impetrandi praesumptio, quae petituri sumus; cum prius quam aliquid peteremus tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere, Pater noster, Deo.

Quid enim jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent? Postremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit Pater noster, tanto Patre non sit indignus.

Si enim quisquam plebejus senatorem grandioris aeta-

tis ab eo ipso patrem vocare permittatur, sine dubio trepidabit, nec facile audebit cogitans humilitatem generis sui, et opum indigentiam, et personae plebeiae vilitatem: quanto ergo magis trepidandum est appellare Patrem Deum, si tanta est labes, tantaeque sordes in moribus, ut multo justius eas a sua conjunctione Deus expellat, quam ille senator cujusvis mendici egestatem. Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico, quo et ipse potest rerum humanarum fragilitate devenire: Deus autem in sordidos mores numquam cadit. Et gratias misericordiae ipsius, qui hoc a nobis exigit, ut Pater noster sit; quod nullu sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest.

Admonentur etiam hic divites, vel genere nobiles secundum saeculum, cum christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes et ignobiles; quoniam simul dicunt Deo, Pater noster: quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant [1].

---

[1] De Sermon. Dom. in Mont., nn. 15, 16. **Doctrina divi Thomae:** Hujusmodi invocatio, *Pater noster qui es in caelis*, est praeambulum ad petitiones. Dicamus *quomodo* sit Pater, et *quid* ei debeamus quia Pater est.

Ipse dicitur *Pater noster*, ratione *creationis*, quia creavit nos ad imaginem et similitudinem suam, quam aliis creaturis inferioribus non impressit: *gubernationis*, quia licet alia etiam gubernet, nos ut dominos, alia ut servos gubernat: *adoptionis*, quia sumus filii, et ideo heredes.

Quia *Pater* noster est, ei tria debemus: a) *honorem*, quem tribuimus Deo, eum *laudando*, tum ore, tum corde; *servando puritatem* nostri corporis, ut eum nobiscum portemus; *glorificate*, inquit Apostolus, *et portate Deum in corpore vestro* (I Cor. VI, 20); aequiter proximum judicando: b) *imitationem*, quia dicit per prophetam: *Patrem vocabis me* et post *me ingredi non cessabis* (Jer. III, 19); quae imitatio perficitur in tribus, nimirum in dilectione, cum interna, tum externa; in perfectione, et in miseratione; c) *oboedientiam* et *subjectionem*, propter dominium ejus, est enim Dominus; propter exemplum Jesu Christi, qui factus est oboediens usque ad mortem; et propter nostram utilitatem et commodum.

Cum vero addimus *noster*, significamus nos debere proximis *amo-*

318.—Christus et homines eumdem Patrem habent. Dicite: Pater noster qui es in caelis. In sacro fonte baptismatis Deum Patrem habere coepistis. Sed habebitis cum nati fueritis. Quamquam et modo antequam

---

rem, quia sunt fratres nostri; et *reverentiam*, quia sunt filii Dei: *honore invicem praevenientes* (Rom. XII, 10).

Pulcherrime exponit divus Thomas secundam invocationis partem, *qui es in caelis*. Inter cetera, inquit, quae oranti sunt necessaria, *fiducia* plurimum valet (Jac. I, 6): quae sane in anima generatur ex *benignitate* Dei Patri, et ex *magnitudine* potestatis ejus; quae duo possunt considerari in verbis, *qui es in caelis* juxta illud: *si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester caelestis de caelo dabit spiritum bonum petentibus se* (Lc. XI, 13); *ad te levavi oculos meos qui habitas in caelis* (Ps. 122, 1).

Praeterea potest etiam referri, licet minus proprie, ad ipsam orantis *praeparationem*, quia dicitur (Eccli. XVIII, 23), *ante orationem praepara animam tuam*, ut intelligatur *in caelis*, in caelesti gloria. Jam vero haec praeparatio debet esse per caelestium *imitationem*, qua filius debet imitari patrem; et per *caelestium contemplationem*, quia homines solent frequentius cogitationem dirigere, ubi habent patrem et alia quae diligunt, secundum illud, *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (Mt. VI, 21); et Apostolus dicebat (Philip. III, 20), *nostra conversatio in caelis est;* et per *caelestium intentionem*, ut ab eo qui in caelis est, nonnisi caelestia quaeramus, secundum illud (Coloss. III, 1), *quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est*. Per hoc igitur quod dicitur, *qui es in caelis*, datur nobis fiducia orandi, quantum ad *potestatem ejus* a quo petitur, et quantum ad *familiaritatem*, et quantum ad *congruitatem* orationis.

Potestas enim ejus a quo petitur, insinuatur, si per caelos intelligantur caeli corporei; et quamvis Deus locis corporalibus non comprehendatur, cum scriptum sit: *caelum et terram ego impleo* (Jer. XXIII, 24); tamen dicitur esse in caelis ad insinuandum et potentiae ejus virtutem, et sublimitatem naturae. *Familiaritas* autem Dei ostenditur ad nos, in quantum per caelos sancti accipiuntur; ideoque ipse est intimior nobis intimo nostro. Quod quidem affert fiduciam orantibus, et propter propinquitatem Dei ad nos, et propter aliorum sanctorum patrocinium, quibus Deus inhabitat. *Idoneitas* sive *congruitas* orationis ostenditur ex hoc, quod per caelos intelliguntur spiritualia bona et aeterna, in quibus est beatitudo: unde sequuntur duo bona maximi momenti: excitatur nostrum desiderium ad caelestia, ubi est nostra hereditas; et informamur ut vita nostra sit caelestis: *qualis caelestis, tales et caelestes* (I. Cor. XV, 48) inquit beatus Apostolus. Et haec duo faciunt idoneum ad petendum, scilicet, desiderium caeleste, et vita caelestis, ex quibus oratio congrue fit (Exposit. Orat. Domin.).

nascamini, illius semine concepti estis, tamquam utero Ecclesiae in fonte pariendi.

Pater noster qui es in caelis. Mementote vos Patrem habere in caelis. Mementote vos de patre Adam natos in mortem, de Patre Deo regenerandos ad vitam. Quae et dicitis, in cordibus vestris dicite. Sit orantis affectus, et erit exaudientis effectus [1].

Christus fratres habere dignatus est. Quibus enim dicit, dicite: Pater noster qui es in caelis?

Quem voluit a nobis appellari Patrem nostrum, nisi Patrem suum? Nunquid invidet nobis? Parentes aliquando cum genuerint unum filium, duos, tres, jam timent generare, ne faciant alios mendicare.

Sed quia talis est hereditas quam nobis promittit, quam multi obtineant, et angustias nemo patiatur: ideo in suam fraternitatem vocavit populos gentium, et habet Unicus innumerabiles fratres qui dicant: Pater noster qui es in caelis. Dixerunt ista qui fuerunt ante nos: dicturi sunt qui erunt post nos. Videte quantos fratres habeat Unicus in sua gratia, communicans cum illis hereditatem, pro quibus pertulit mortem.

Habebamus patrem et matrem in terra, ut nasceremur ad labores et mortem: invenimus alios parentes, Deum Patrem et matrem Ecclesiam, a quibus nascamur ad vitam aeternam. Cogitemus, Carissimi, cujus filii esse coepimus: et sic vivamus quomodo decet eos qui talem habent Patrem. Videte quia Creator noster dignatus est esse Pater noster [2].

Invenimus Patrem in caelis: attendamus quemadmodum vivamus in terris. Sic enim debet vivere, qui in-

---

1 Serm. 56, n. 5.
2 Serm. 57, n. 2.

venit talem Patrem, ut dignus sit venire ad ejus hereditatem. Dicimus autem communiter: Pater noster: Quanta dignatio! Hoc dicit imperator, hoc dicit mendicus: hoc dicit servus, hoc dicit dominus ejus. Simul dicunt, Pater noster qui es in caelis. Intelligunt ergo esse fratres, quando unum habent Patrem. Sed non dedignetur fratrem habere servum suum dominus ejus, quem fratrem voluit habere Dominus Christus [1].

Nolite inhaerere terrenis qui Patrem invenistis in caelis. Dicturi enim estis: Pater noster qui es in caelis. Ad magnum genus pertinere coepistis. Sub isto Patre fratres sunt dominus et servus: sub isto Patre fratres sunt imperator et miles: sub isto Patre fratres sunt dives et pauper. Omnes Christiani fideles diversos in terra habent patres, alii nobiles, alii ignobiles: unum vero Patrem invocant qui est in caelis. Si ibi est Pater noster, ibi nobis praeparatur hereditas. Talis est autem iste Pater, cum quo possideamus quod donat. Dat enim hereditatem, discedit, sed ille permanet, ut nos accedamus [2].

Utatur ergo voce novi Testamenti populus novus ad aeternam haereditatem vocatus et dicat: Pater noster qui es in caelis: id est, in sanctis et justis. Non enim spatio locorum continetur Deus. Sunt enim caeli excellentia quidem mundi corpora, sed tamen corpora, quae non possunt esse nisi in loco; sed si in caelis tamquam in superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aves, quarum vita est Deo vicinior. Non autem scriptum est, prope est Dominus excelsis hominibus, aut eis qui in montibus habitant; sed scrip-

---

1 Serm. 58, n. 2.
2 Serm. 59, n. 2.

tum est, prope est Dominus obtritis corde (Ps. 33, 19); quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodum terra appellatus est peccator, cum ei dictum est, terra es et in terram ibis (Gen. III, 19); sic caelum justus e contrario dici potest. Justis enim dicitur; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor. III, 17). Quapropter si in templo suo habitat Deus, et sancti templum ejus sunt, recte dicitur, qui es in caelis, qui es in sanctis. Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritaliter tantum interesse videatur inter justos et peccatores, quantum corporaliter inter caelum et terram.

Convenit etiam gradibus religionis, et plurimum expedit, ut omnium sensibus et parvulorum et magnorum bene sentiatur de Deo. Et ideo qui visibilibus adhuc pulcritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare, quoniam necesse est caelum praeferant terrae; tolerabilior est opinio eorum, si Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in caelo potius credant esse, quam in terra: ut cum aliquando cognoverint dignitatem animae caeleste etiam corpus excedere, magis eum quaerant in anima, quam in corpore etiam caelesti; et cum cognoverint quantum distet inter peccatorum animas et justorum, sicut non audebant, cum aduc carnaliter saperent, eum in terra collocare, sed in caelo; sic postea meliori fide vel intelligentia magis eum in animis justorum quam in peccatorum requirant. Recte ergo intelligitur, quod dictum est: Pater noster, qui es in coelis, in cordibus justorum esse dictum tanquam in templo sancto suo.

Simul etiam ut qui orat, in se quoque ipso velit habitare quem invocat: et cum hoc affectat, teneat justi-

tiam; quo munere invitatur ad inhabitandum animum Deus [1].

319.—Expositio prioris partis. Audivimus quem invocare debeamus, qua spe hereditatis aeternae Patrem in caelis habere coeperimus: audiamus quid ab illo petamus. A tali Patre quid petituri sumus?

Nunquid non ab illo et hodie et heri et nudius tertius pluviam petimus? Nihil magnum est quod a tali Patre quaesivimus: et tamen videtis cum quanto gemitu, cum quanto desiderio pluviam petamus, cum mors timetur, et hoc timetur, quod evadere nullus potest. Omnis homo citius serius moriturus est: et gemimus, rogamus, parturimus, clamamus ad Deum, ut paulo serius moriamur. Quanto magis ad illum debemus clamare, ut veniamus ubi nunquam moriamur? [2].

Prima petitio: Sanctificetur nomen tuum. Quid rogas ut sanctificetur nomen Dei? Sanctum est. Quid rogas quod jam sanctum est? Deinde cum rogas ut sanctificetur nomen ipsius, nonne quasi pro illo rogas, et non pro te? Intellige, et pro te rogas. Hoc enim rogas, ut quod semper sanctum est in se, sanctificetur in te. Quid est sanctificetur? *Sanctum habeatur, non contemnatur.* Ergo vides, quia cum optas, tibi bonum optas. Tibi enim malum est si contempseris nomen Dei, non Deo [3].

---

[1] Serm. Dom. in Mont. libr. II, nn. 17, 18.

[2] Serm. 57, n. 3.

[3] Serm. 56, n. 5. **Doctrina divi Thomae:** *Sanctificetur nomen tuum.* Oportet considerare desiderii ordinem ex caritate prodeuntem, ut secundum hoc etiam sperandorum et petendorum a Deo ordo accipi possit. Habet autem hoc ordo caritatis ut Deus super omnia diligatur; et ideo primum desiderium nostrum movet caritas ad ea quae sunt Dei. Sed cum desiderium sit boni futuri; Deo autem, secundum quod in se consideratur, nihil in futurum adveniat, sed aeter-

Sacrificium laudis honorificabit me. Laudans invoca, hymnum dic Deo tuo. Et quid, major gloria erit Deo, quia glorificas eum, aut addimus gloriam Deo, quando ei dicimus: glorifico te, Deus meus? Aut sanctiorem eum facimus, quando dicimus: benedico te, Deus meus? Ipse quando nos benedicit, facit nos sanctiores, facit nos feliciores; quando nos glorificat, facit nos gloriosiores, facit nos honoratiores; quando eum glorificamus,

---

naliter eodem modo se habeat; desiderium nostrum non potest ferri ad ea quae Dei sunt, prout in seipso considerantur; ut scilicet, Deus aliqua bona obtineat quae non habet. Sic autem ad ipsa fertur nostra dilectio, ut ea tamquam existentia amemus. Potest tamen hoc desiderari de Deo, ut in opinione et reverentia omnium magnificetur, qui in seipso semper magnus existit.

Jam vero hoc est quod desideramus, cum dicimus *sanctificetur nomen tuum.* Creatio mundi in gloriam Dei ordinabatur; sed quia homines eam ipsi non tribuebant, aut ignorantes, aut minus perfecte cognoscentes perfectiones nominis Dei; ut toti humano generi vera Dei cognitia proveniret, Verbum suae virtutis Unigenitum Deus Pater misit in mundum, ut per eum totus mundus ad veram cognitionem divini nominis perveniret, et hoc quidem ipe Dominus facere inchoavit in suis discipulis, secundum illud: *manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo* (Jo. XVII, 6). Nec in hoc terminabatur ejus intentio ut illi soli Deitatis haberent notitiam, sed ut per eos divulgaretur in mundum universum; unde postea subdit, *ut mundus credat, quia tu me misisti.* Quod quidem per Apostolos et successores eorum continue agit, dum ad Dei notitiam per eos homines adducuntur, quousque per totum mundum nomen Dei sanctum et celebre habeatur, sicut praedictum est: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* (Malach. I, 11).

Ut igitur id quod inchoatum est, ad consummationem perveniat, petimus dicentes: *sanctificetur nomen tuum.* Quod ut Augustinus dicit, «non sic petitur quasi non sit sanctum Dei nomen, sed ut sanctum habeatur ab hominibus; id est, ita innotescat Deus, ut non aestimetur aliquid sanctius». Inter alia vero indicia, quibus sanctitas Dei manifestatur hominibus, evidentissimum signum est sanctitas hominum, qui ex divina inhabitatione sanctificantur. Etiam significatur in his verbis, ut Deus glorificetur per vitam nostram, ac si dicat: ita fac nos vivere, ut per nos te universi glorificent. Cotidie etiam deprecamur ut sanctificemur, ut qui cotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua purgemus (Compend. Theol. Part. II, cp. 8).

nobis prodest non illi. Quomodo enim eum glorificamus? *Gloriosum dicendo, non faciendo.* Proinde quid secutus ait, cum diceret: sacrificium laudis glorificabit me? Ne putares te aliquid praestare Deo offerendo illi sacrificium laudis, *et ibi est via,* inquit, *ubi ostendam illi salutare meum* (Ps. 49, 23). Vides quia tibi proderit laudare Deum, non Deo. Laudas Deum? Ambulas viam. Reprehendis Deum? Perdidisti viam [1].

Hoc etiam ab illo petimus, ut sanctificetur nomen ejus in nobis: nam semper est sanctum. Quomodo autem sanctificatur nomen ejus in nobis, nisi *dum nos efficit sanctos?* Nos enim fuimus non sancti, et per nomen ejus efficimur sancti: ipse autem semper sanctus, et nomen ipsius semper sanctum. Pro nobis rogamus, non pro Deo. Non enim bene optamus Deo, cui nihil mali potest aliquando evenire. Sed optamus nobis bonum, ut sanctificetur sanctum nomen ejus: quod semper sanctum est, sanctificetur in nobis [2].

Quod semper sanctum est, ut in nobis sanctificetur, oramus. Sanctificatur in nobis nomen Domini, quando baptizamini. Ut quid hoc orabitis, cum baptizati fueritis, nisi ut quod accipietis perseveret in vobis? [3]

320.—Primum autem omnium quae petuntur hoc est: *Sanctificetur nomen tuum.* Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus: id est, ita illis innotescat Deus, *ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant.*

Neque enim quia dictum est: *notus in Judaea Deus,*

---

1 Enar. in Ps. 39, n. 4.

2 Serm. 57, n. 4. Sanctificatio nominis Dei est, qua efficimur nos sancti (Serm. 58, n. 2).

3 Serm. 59, n. 3.

in Israel magnum nomen ejus (Ps. 75, 2); sic intelligendum est quasi alibi minor sit Deus, alibi major; sed ibi magnum est nomen ejus, ubi pro suae majestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur sanctum nomen ejus, ubi cum veneratione et offensionis timore nominatur. Et hoc est quod nunc agitur, dum Evangelium ad huc usque per diversas gentes innotescendo, commendat unius Dei nomen per administrationem Filii ejus [1].

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in saeculum (Ps. 112). Quid dicis, non erit benedictum, nisi tu precatus sis? Vides eum non dicere de ea quae illi adest benedictione, et est ejus naturae attributa, sed de ea quae fit per homines? Paulus quoque de ea scribens dicit: *glorificate vero Deum in corpore vestro et in spiritu vestro* (I Cor. VI, 20). Ipse ergo est altus, et magnus et laudabilis per seipsum; apud homines autem talis quoque efficitur, quando qui ei serviunt, talem vitam ostenderint, ut quicumque eos vident, laudibus et benedictionibus Dominum prosequantur.

Hoc ipsum nos quoque in precationibus jussit Dominus semper dicere precantes, *sanctificetur nomen tuum:* hoc est, *per nostram quoque vitam glorificetur.* Quemadmodum enim dum male vivimus, contumeliis et probis afficitur; ita dum virtutis curam gerimus, gloria afficitur, benedicitur et sanctificatur. Quod ergo dicit est ejusmodi: fac ut nos perpetuo recte et ex virtute vivamus, ut sit nomen tuum per nos etiam benedictum [2].

---

[1] Serm. Dom. in Mont. lib. II, n. 19. Notentur distincti modi, quibus Dei nomen sanctificatur juxta divum Augustinum: *a)* sanctum habetur, dum non contemnitur; *b)* dum eum laudamus et glorificamus; *c)* dum nos sanctificamur; *d)* dum per nostram christianam vitam glorificatur; *e)* dum nominatur cum veneratione et offensionis timore; *f)* dum aestimamus nihil hoc nomine sanctius esse.

[2] Expos. in Ps. 112, n. 1.

321.—Secunda petitio: Adveniat regnum tuum. (ib. 10). Cui dicimus? Et si non petamus, non est verum regnum Dei? De illo enim regno dicitur, quod erit post finem mundi. Nam regnum semper habet Deus: et nunquam est sine regno, cui servit universa creatura. Sed quod regnum optas? De quo scriptum est in Evangelio: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio saeculi* (Mt. XXV, 34). Ecce de quo dicimus, adveniat regnum tuum. Ut in nobis veniat, optamus: ut in illo inveniamur optamus. Nam ecce veniet: sed quid tibi prodest, si ad sinistram te inveniet? Ergo et hic tibi bene optas, pro te oras. Hoc desideras, hoc cupis orando, ut sic vivas, quomodo ad regnum Dei, quod est omnibus sanctis dandum, pertineas. Ergo ut bene vivas, tibi oras cum dicis: Veniat regnum tuum. Pertineamus ad regnum tuum: veniat et nobis quod venturum est sanctis et justis tuis [1].

---

[1] Serm. 36, n. 6. **Doctrina divi Thomae:** *Adveniat regnum tuum.* Spiritus sanctus facit nos recte amare, desiderare et petere; et efficit in nobis primo timorem, per quem timorem quaerimus quod Dei nomen magnificetur et sanctificetur. Aliud donum efficit, quod est donum pietatis; et est proprie pietas, dulcis et devotus affectus ad patrem, et ad omnem hominem in miseria constitutum. Cum ergo Deus sit Pater noster, non solum debemus eum revereri et timere, sed etiam ad eum habere debemus dulcem et pium affectum. Hic autem affectus facit nos petere quod adveniat regnum Dei. *Pie et juste vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei* (Tit. II, 12).

Quaeri autem posset: quare, cum regnum Dei semper fuerit, petimus quod adveniat. Haecce quaesitio potest intelligi de regno Christi, de regno beatifico seu gloria caelesti, et de regno Dei in corde nostro.

Et primo quidem *de regno Christi.* Aliquando rex habet jus regni solum, seu dominii: et tamen nondum dominium ipsius regni est declaratum, quia nondum homines regni sunt ei subjecti. Tunc ergo apparebit primo ejus regnum seu dominium, quando homines regni erunt sibi subjecti. Deus autem ex se et sua natura est Dominus omnium; et Christus secundum quod Deus, et etiam secundum quod

Petamus non petamus, venire habet. Habet quidem regnum Deus sempiternum. Quando enim non regnavit? Quando regnare coepit? Quando regnum ejus initium non habet, nec finem habebit. Sed ut sciatis quia et hoc pro nobis oramus, non pro Deo: non enim sic dicimus, veniat regnum tuum, quasi optantes ut regnet Deus: regnum ipsius nos erimus, si in illum credentes in eo profecerimus.

Omnes fideles redempti sanguine Unici ipsius, erunt regnum ipsius. Venturum est autem ipsum regnum, cum facta fuerit resurrectio mortuorum: tunc enim veniet ipse. Et cum resurrexerint mortui, dividet eos, sicut ipse dicit, et ponet alios ad dexteram, alios ad sinistram.

---

homo habet a Deo, quod sit dominus omnium: *dedit ei potestatem et honorem et regnum* (Dan. VII, 14).

Oportet ergo quod sibi sint omnia subjecta.

Jam vero hoc nondum est, sed erit in fine: *oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* (I Cor. XV, 25). Et ideo petimus et dicimus: *adveniat regnum tuum:* et hoc quantum ad tria, scilicet, ut justi convertantur, peccatores puniantur, et mors destruatur. Cum enim voluntas Dei sit ita efficax quod oporteat penitus illam compleri, et Deus velit quod omnia subjiciantur Christo; alterum duorum erit necessarium, ut scilicet, aut homo faciat voluntatem Dei subjiciendo se mandatis ejus, et hoc facient justi; aut quod Deus faciat de omnibus voluntatem suam puniendo eos, quod facit de peccatoribus et inimicis suis: et hoc erit in fine mundi: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (Ps. 109, 1). Et ideo est delectabile sanctis petere quod adveniat regnum Dei, scilicet quod ipsi totaliter subjiciantur ei; sed peccatoribus est horribile, quia nihil aliud est quaerere, quod adveniat regnum Dei, nisi quod de voluntate Dei subjiciantur poenis.

Sed et ex hoc destruitur mors. Cum enim Christus sit vita, non potest in regno ejus esse mors, quae est vitae contraria; et hoc erit in resurrectione. Secundo *regnum caelorum* dicitur *gloria paradisi*. Nec mirum; nam regnum illud nihil aliud dicitur nisi regimen. Ibi autem est optimum regimen, ubi nihil invenitur contra voluntatem optime regentis. Voluntas autem Dei est salus hominum; *vult omnes homines salvos fieri:* et hoc potissimum erit in paradiso. In mundo autem multa sunt contra salutem hominum. Cum ergo petimus, *adveniat regnum tuum,* oramus ut simus participes regni caelestis et gloria paradisi. Quod quidem regnum est valde desiderabile

Dicet eis qui ad dexteram erunt: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (Mt. XXV, 34). Hoc est quod optamus et rogamus, quando dicimus, veniat regnum tuum, ut nobis veniat. Nam si nos reprobi fuerimus, illud regnum aliis venturum est, non nobis.

Si autem in illo numero fuerimus, qui pertinent ad membra Unigeniti Filii ejus, nobis veniet regnum ejus: et non tardabit. Nunquid enim saecula tanta restant, quanta transierunt? Apostolus Joannes dixit: *Filioli, novissima hora est* (I Jo. II, 18). Sed pro ipso die magno longa est hora: et ipsa hora novissima videte quot annos ducat. Tamen sic vobis sit quasi qui vigilet, dormiat, surgat et regnet. Modo vigilemus, morte dormiemus, in fine resurgemus, sine fine regnabimus [1].

322.—Tertia petitio: Fiat voluntas tua.—Si non illud tu dicas, non faciet Deus voluntatem suam? Memento quod in Symbolo reddidisti: *Credo in Deum, Patrem omnipo-*

---

propter *summam justitiam*, quae est in eo; propter *perfectissimam libertatem;* hic enim non est libertas, quamquam omnes naturaliter eam desiderent; sed ibi erit omnimoda libertas contra omnem servitutem. Et non solum erunt homines ibi liberi, sed erunt reges. Tandem propter *mirabilem affluentiam* (Exposit. Orat. Domin.).

Et nota quod homo inveniet omnia in solo Deo excellentius et perfectius omni eo, quod in mundo quaeritur. Est enim Deus ultimus finis noster, qui primo et principaliter desiderari debet. Sed bonum quod homo primo et principaliter desiderat, tale debet esse ut non quaeratur propter aliud et sufficiat homini. Hoc autem bonum communiter *felicitas* nominatur, inquantum est bonum hominis principale; per hoc enim aliquos felices esse dicimus, quod eis credimus bene esse; vocatur *beatitudo*, inquantum excellentiam designat: potest et *pax* vocari, inquantum quietat: nam quies appetitus par interior esse videtur (Compend. Theolog., Part. II, cp. 3).

Tertio denique significatur ut Deus *regnet in corde nostro*. *Adveniat regnum tuum*, id est tu, Deus, regna in corde nostro, et posside ipsum, ita scilicet, quod peccatum vel diabolus non habeant ibi locum, cum non regnet peccatum in nostro mortali corpore (Expos. Orat. Dom.).

[1] Serm. 57, n. 5.

tentem. Si omnipotens est, cur oras ut fiat voluntas ejus? Quid est ergo fiat voluntas tua? Fiat in me ut non resistam voluntati tuae. Ergo et hic pro te oras, et non pro Deo. Fiet enim voluntas Dei in te, etsi non fiat a te. Nam et quibus dicturus est: venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (Mt. XXV, 34), fiet in illis voluntas Dei, ut justi et sancti accipiant regnum: et quibus dicturus est: ite in ignum aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (Mt. XXV, 41), fiet in illis voluntas Dei, ut mali damnentur in ignem sempiternum.

Aliud est, ut fiat a te. Ut ergo fiat in te, non sine causa oras, nisi ut bene sit tibi. Sive ergo bene sit tibi sive male sit tibi, fiet in te; sed et fiat a te. Quare ergo dico: fiat voluntas tua in caelo et in terra, et non dico, fiat voluntas tua a caelo et a terra? Quia quod fit a te, ipse facit in te. Numquam fit a te, quod non ipse facit in te. Sed aliquando facit in te, quod non fit a te: numquam autem aliquid fit a te, si non facit in te.

Quid est autem in caelo et in terra, vel sicut in caelo et in terra? Faciunt angeli voluntatem tuam, faciamus et nos.

Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. Mens caelum est, caro terra est. Quando dicis, si tamen dicis, quod ait Apostolus: *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (Rom. VII, 25); fit voluntas Dei in caelo, nondum in terra. Cum vero caro menti consenserit, et absorpta fuerit mors in victoriam, ut nulla desideria carnalia remaneant, cum quibus mens confligat, cum transierit rixa in terra, cum transierit bellum cordis, cum transierit quod dictum est: *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; haec enim invicem*

adversantur, ut non ea quae vultis faciatis (Gal. V, 17); cum ergo hoc bellum transierit, omnisque concupiscentia in caritatem fuerit commutata, nihil in corpore remanebit quod spiritui resistat, nihil quod dometur, nihil quod calcetur; sed totum per concordiam perget ad justitiam: fiet voluntas Dei in caelo et in terra. *Perfectionem optamus, quando hoc oramus.*

Item fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. In Ecclesia spiritales caelum sunt, carnales terra sunt. Fiat ergo voluntas tua, sicut in caelo et in terra, ut quomodo tibi serviunt spiritales, sic tibi mutati in melius serviant et carnales.

Fiat voluntas tua. Est et alius sensus pius valde. Moenim sumus orare pro inimicis nostris. Ecclesia caelum est; inimici Ecclesiae, terra sunt. Quid est ergo, fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra? Credant inimici nostri, quomodo et nos in te credimus: fiant amici, finiant inimicitias. Terra sunt, ideo nobis adversantur; caelum fiant, et nobiscum erunt [1].

Et hoc nobis bene optamus. Nam voluntas Dei ne-

---

1 Serm. 56, nn. 6, 7. Haec doctrina quam hic tradit egregius episcopus Hipponensis, desumpta videtur e sancto Cipriano martyre. Illum enim citat in Opere contra Jul. Pelag. lib. II, n. 16, ubi scribit: Denique dicit etiam victoriosissimus Cyprianus in epistola sua de oratione Dominica: Fieri autem petimus voluntatem Dei in caelo et in terra; quod utrumque ad consummationem nostrae incolumitatis pertinet et salutis. Nam cum corpus e terra, et spiritum possideamus e caelo, ipsi terra et caelum sumus, et in utraque, id est, in corpore et in spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus.

Est enim inter carnem et spiritum colluctatio et discordantibus adversus se invicem cotidiana congressio, ut non quae volumus ipsa faciamus; dum spiritus caelestia et divina quaerit, caro terrena et saecularia concupiscit. Et ideo petimus inter duo ista ope et auxilio Dei concordiam fieri, ut dum et in spiritu et in carne voluntas, Dei geritur, quae per eum renata est anima servetur. Cf. Vol. I, cp. V, nn. 94, 95; ubi exscribimus integram expositionem Orationis dominicae, prout ab ipso Augustino citatur opere de Dono perseverantiae.

cesse est ut fiat. Voluntas Dei est ut regnent boni, damnentur mali. Nunquid potest ista voluntas non fieri? Sed quid nobis boni optamus, quando dicimus, fiat voluntas tua, sicut in caelo ita et in terra? Audite. Multis enim modis haec petitio intelligi potest et multa sunt cogitanda in ista petitione quando rogamus Deum: Fiat voluntas tua. Quomodo te non offendunt Angeli tui, sic te non offendamus et nos.

Iterum: Sancti omnes Patriarchae, omnes Prophetae, omnes Apostoli, spiritales omnes tanquam caelum sunt Deo: nos autem in comparatione ipsorum terra sumus, Fiat voluntas tua sicut in illis, ita et in nobis.

Item: Ecclesia Dei caelum est, inimici ejus terra sunt. Bene optamus inimicis nostris, ut credant et ipsi, et fiant Christiani: fiat voluntas Dei, sicut in caelo ita et in terra.

Item: spiritus noster caelum est, caro terra. Quomodo innovatur spiritus noster credendo, sic caro innovatur resurgendo; et fiat voluntas Dei sicut in caelo et in terra.

Item: mens nostra, qua videmus veritatem, et condelectamur ipsi veritati, caelum est. Ecce caelum: *condelector legi Dei secundum interiorem hominem* (Rom. VII, 22). Quid est terra? Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. Quando ista pugna transierit, et concordia plena carnis et spiritus facta fuerit, fiet voluntas Dei, sicut in caelo, ita et in terra. Quando petitionem istam dicimus, omnia ista cogitemus, et omnia ista a Patre petamus [1].

---

[1] Serm. 57, n. 6; serm. 58, n. 4; serm. 59, n. 5. **Doctrina divi Thomae:** *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.* Tertium donum quod efficit in nobis Spiritus Sanctus, dicitur donum scientiae. Ipse enim Spiritus Sanctus non solum efficit in nobis donum timoris et donum pietatis, quae est dulcis affectus ad Deum, sed etiam facit hominem sapientem: et hoc petebat David dicens: bonitatem et dis-

Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra: id est, sicut est in angelis qui sunt in caelis, voluntas, tua ut omnimodo tibi adhaereant teque perfruantur, nullo errore obnubilante sapientia eorum, nulla miseria impediente beatitudinem eorum, ita fiat in sanctis tuis qui in terra sunt, et de terra, quod ad corpus attinet, facti sunt, et quamvis in caelestem habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt.

Item, fiat voluntas tua, recte intelligitur, oboediatur praeceptis tuis, sicut in caelo et in terra, id est, sicut ab angelis ita ab hominibus.

Ad hoc respicit etiam illa angelorum praedicatio,

---

ciplinam et scientiam doce me (Ps. 118, 66). Et haec est scientia qua homo bene vivit, quam docuit nos Spiritus Sanctus.

Inter alia autem quae faciunt ad scientiam et sapientiam hominis, potissima sapientia est, quod homo non innitatur sensui suo: *ne innitaris prudentiae tuae* (Prov. III, 5). Nam illi qui praesumunt de sensu suo, ita quod non credunt aliis, sed sibi tantum, semper inveniuntur et judicantur stulti (Prov. XXVI, 12). Quod autem homo non credat sapientiae suae, procedit ex humilitate; unde et locus sapientiae est humilitas. *Superbi autem sibi ipsi credunt.* Docet ergo hoc Spiritus Sanctus per donum sapientiae, ut scilicet non faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei. Et ideo propter hoc donum petimus a Deo ut fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. *Tunc enim est rectum cor hominis quando concordat cum voluntate divina.*

Sed quid est quod dicitur, *fiat voluntas tua*, cum legamus in psalmo (113, 3), *omnia quaecumque voluit fecit?*

Ad hoc sciendum est, quod Deus tria vult de nobis, et nos petimus quod haec impleantur. Vult primo Deus *ut nos habeamus vitam aeternam.*

Jam vero haec voluntas divina jam completa est in angelis et in sanctis, qui sunt in patria; ideo petimus ut compleatur in nobis qui sumus in terra. Vult secundo Deus, *ut servemus mandata ejus*, quia per observantiam mandatorum pervenimus ad vitam aeternam. Tertio vult Deus, ut *sit consensio et concordia inter carnem et spiritum.* Haec tamen voluntas Dei non potest impleri in vita ista, sed complebitur in resurrectione sanctorum, quando resurgent eorum corpora glorificata. Fit autem voluntas Dei in justis quantum ad spiritum per justitiam et perfectam vitam. Et ideo cum dicimus, *fiat voluntas tua*, oramus ut etiam fiat in carne, quae significatur *terra;* sicut fit in caelo, id est in spiritu nostro (Expos. Orat. Domin.).

gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis (Lc. II, 14); ut cum praecesserit bona voluntas nostra, quae vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, sicuti est in caelestibus angelis; ut nulla adversitas resistat nostrae beatitudini, quod est pax.

Item fiat voluntas tua, recte intelligitur, oboediatur praeceptis tuis: sicut in caelo et in terra, id est, sicut ab angelis, ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei, cum obtemperatur praeceptis ejus, ipse Dominus dicit, cum ait: *meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit* (Jo. IV, 34); et saepe, *non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (Jo. VI, 38); et cum ait: *ecce mater mea, et ecce fratres mei, et quicumque fecerit voluntatem Dei, hic mihi est frater, et mater, et soror* (Mt. XII, 49, 50).

Qui ergo faciunt voluntatem Dei, in illis utique fit voluntas Dei; non quia ipsi faciunt ut velit Deus, sed quia faciunt quod ille vult, id est faciunt secundum voluntatem ejus.

Nec illud a veritate abhorret, ut accipiamus, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra, sicut in ipso Domino nostro Jesu Christo, ita et in Ecclesia; tamquam in viro qui Patris voluntatem implevit, ita et in femina, quae illi desponsata est. Caelum enim et terra convenienter intelligitur, quasi vir et femina; quoniam terra caelo foecundante fructifera est [1].

---

[1] Serm. Dom. in Mont. lib. II, nn. 21-24.

CAPUT XIV. De oratione Dominica: expositio secundae Partis.

Summa: 323-325. *Quarta petitio: Triplex panis: materialis, eucharisticus, et veritatis seu intellectualis.*—326-328. *Quinta petitio.*—329-330. *Sexta petitio.*—331. *Septima petitio.*

323.—Quarta petitio: Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Hic jam manifestum est, quod pro nobis oramus. Quando dicis, *sanctificetur nomen tuum,* exponendum est tibi pro te oras, non pro Deo. Quando dicis, *fiat voluntas tua,* et hoc exponendum tibi est, ne putes, quod Deo bene optas, ut fiat voluntas ipsius, et non potius pro te oras. Quando dicis, *veniat regnum tuum,* et hoc exponendum est, ne putes quia Deo bene optas ut regnet. Ab isto autem loco et deinceps usque in finem Orationis, apparet quia pro nobis rogamus Deum.

Petimus primo panem materialem. Quando dicis, *panem nostrum cotidianum da nobis hodie,* profiteris te mendicum Dei. Sed noli erubescere: quantunlibet quis sit dives in terra, mendicus Dei est. Stat mendicus ante portam divitis; sed et ipse dives stat ante domum magni divitis. Petitur ab illo, et petit. Si non egeret, aures Dei oratione non pulsaret. Et quid eget dives? Audeo dicere, ipso pane cotidiano eget dives. Quare enim abundant illi omnia? Unde, nisi quia Deus dedit? Quid habebit

si Deus subtrahat manum suam? Nonne multi dormierunt divites et surrexerunt pauperes? Et quod illi non deest, misericordiae Dei est, non potentiae ipsius [1].

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Da aeterna, da temporalia. Promisisti regnum, noli negare subsidium. Dabis apud te sempiternum ornamentum, da in terra temporale alimentum. Ideo *cotidie*, ideo *hodie*, id est hoc tempore. Cum transierit vita ista, numquid petemus panem cotidianum? Tunc enim non vocabitur *cotidie*, sed *hodie*. Nunc vocatur cotidie, quando transit dies, et venit alius dies. Numquid vocabitur cotidie, quando erit aeternus unus dies? Sane duobus modis intelligenda est ista petitio de pane cotidiano: sive pro

---

[1] Serm. 56. n. 10. **Doctrina divi Thomae:** *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Multoties accidit, quod aliquis ex magna scientia et sapientia efficitur pavidus; et ideo cum sensu est necessaria fortitudo cordis, ne deficiat in necessitatibus. Hanc autem fortitudinem Spiritus Sanctus dat: *ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos* (Ezech. XI, 2). Est autem necessaria haec fortitudo, quam Spiritus Sanctus dat, ut cor hominis non deficiat timore rerum necessariarum, sed credat firmiter, quod omnia ei necessaria ministrabuntur sibi a Deo. Et ideo Spiritus Sanctus, qui hanc fortitudinem dat, docet nos petere a Deo: *panem nostrum cotidianum da nobis hodie;* unde spiritus fortitudinis dicitur.

Sciendum est autem quod in tribus praecedentibus petitionibus petuntur spiritualia, quae hic inchoantur in hoc mundo, sed non perficiuntur nisi in vita aeterna (cf. n. 316 h. op.); et ideo necessarium fuit aliqua petere necessaria, quae perfecte possent haberi in vita ista; et inde est quod Spiritus Sanctus docuit petere necessaria in vita praesenti, quae perfecte hic habentur: simul etiam ut ostendat, quod etiam temporalia providentur nobis a Deo; et hoc est quod dicit: *panem nostrum cotidianum da nobis hodie.*

Praeter panem materialem invenitur etiam alius duplex panis, scilicet, sacramentalis, et panis verbi Dei. Petimus ergo panem nostrum sacramentalem, qui cotidie in Ecclesia conficitur; ut sicut illud accipimus in sacramento, ita detur nobis ad salutem: *ego sum panis vivus qui de caelo descendi* (Jo. VI, 51); et, *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et vivit* (I Cor. XI, 29).

Item alius panis est verbum Dei. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (Mt. IV, 4). Petimus ergo, ut det nobis panem, id est, verbum suum (Expos. Orat. Domin.).

necessitate carnalis victus, sive etiam pro necessitate spiritalis alimoniae. Carnalis cibi necessitas, propter cotidianum victum, sine quo vivere non possumus. Victus est et tegumentum, sed a parte totum intelligitur. Quando panem petimus, ibi omnia accipimus [1].

Potest simpliciter accipi orationem istam nos fundere pro victu cotidiano, ut abundet nobis; et si non abundat, non desit nobis. Cotidianum autem dixit, quandiu hodie vocatur. Cotidie vivimus, cotidie surgimus, cotidie saturamur, cotidie esurimus. Det nobis panem cotidianum. Quare non dixit et tegumentum? Victus enim noster in cibo est et potu, tegumentum in vestitu et tecto. Nihil homo plus desideret. Quandoquidem dicit Apostolus: *nihil intulimus in hunc mundum: sed nec auferre aliquid possumus: victum et tegumentum habentes, his contenti sumus* (I Tim. VI, 7).

Pereat avaritia et dives est natura. Ergo si ad cotidianum victum pertinet, quia et hoc bene intelligitur, quod dicimus, *panem nostrum cotidianum da nobis hodie,* non miremur, si nominato pane et cetera necessaria intelligantur. Quomodo quando Joseph invitavit fratres suos: *homines illi,* inquit, *hodie mecum manducabunt panem* (Gen. XLIII, 16). Quare panem solum manducaturi erant? Sed a solo pane intellecta sunt cetera. Sic quando rogamus panem cotidianum, quidquid nobis propter carnem nostram in terra necessarium est, postulamus [2].

324.—Panis cotidianus est etiam Eucharistia. Sed istum panem, quo venter impletur, quo caro quotidie re-

---

1 Serm. 57, n. 7.
2 Serm. 58, n. 5.

ficitur: istum ergo panem videtis Deum dare, non solum laudatoribus suis, sed etiam blasphematoribus: *Qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (Mt. V, 43). Laudas, pascit te; blasphemas, pascit te. Ut poenitentiam agas, expectat te: sed si non te mutaveris, damnat te. Quia ergo panem istum accipiunt a Deo et boni et mali, putas non est aliquis panis, quem petunt filii, de quo dicebat Dominus in Evangelio: *Non est bonum tollere panem filiorum et mittere canibus?* (Mt. XV, 26). Est plane.

Quis est iste panis, et quare dicitur cotidianus? Et iste necessarius est: etenim sine illo vivere non possumus, sine pane non possumus. Impudentia est ut a Deo petas divitias; non est impudentia, ut petas panem cotidianum. Aliud est unde superbias, aliud est unde vivas. Tamen quia iste panis visibilis et tractabilis datur et bonis et malis, est panis cotidianus, quem petunt filii.

Iste est sermo Dei, qui nobis cotidie erogatur. Panis noster cotidianus est: inde vivunt non ventres, sed mentes. Necessarius est nobis etiam operariis in vinea, cibus est non merces. Operario enim duas res debet, qui illum conducit ad vineam, cibum ne deficiat: et mercedem unde gaudeat. Cibus noster cotidianus in hac terra sermo Dei est, qui semper erogatur Ecclesiis: merces nostra post laborem vita aeterna nominatur.

Iterum in isto pane nostro cotidiano si intelligas quod fideles accipiunt, quod accepturi estis baptizati: bene rogamus et dicimus: Panem nostrum cotidianum da nobis hodie: ut sic vivamus ne ab illo altari separemur [1].

Norunt etiam spiritalem alimoniam fideles, quam et vos scituri estis, accepturi de altare Dei. Panis erit et

---

[1] Serm. 56, n. 10.

ipse cotidianus, huic vitae necessarius. Nunquid enim Eucharistiam accepturi sumus, cum ad ipsum Christum venerimus et cum illo in aeternum regnare coeperimus: Ergo Eucharistia panis noster cotidianus est: sed sic accipiamus illum, ut non solum ventre, sed et mente reficiamur. Virtus enim ipsa quae ibi intelligitur, unitas est, ut redacti in corpus ejus, effecti membra ejus, simus quod accipimus. Tunc erit vere panis noster cotidianus [1].

Intelligitur hoc etiam valde bene, panem nostrum cotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam, cotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, et bonum est eis accipere panem cotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant ut boni fiant, ut in bonitate et fide et vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant: quia si non perseverarint in vita bona, separabuntur ab illo pane. Ergo panem nostrum cotidianum da nobis hodie, quid est? Sic vivamus ut ab altari tuo non separemur [2].

---

[1] Serm. 57, n. 7.

[2] Serm. 58, n. 5. Doctrina divi Augustini circa sanctissimam Eucharistiam cotidianamque communionem, alio volumine, Deo juvante, tradetur. Ceterum hic per modum notationis alium textum sancti Doctoris citamus, quo adhuc videbatur anceps haerere quoad interpretationem verborum, *Panem nostrum cotidianum*. Invenitur in opere mox citato, an. 393 scripto, dum adhuc presbyter esset. En textum:

Quarta petitio est: *panem nostrum cotidianum da nobis hodie*. Panis cotidianus, aut pro iis omnibus dictus est, quae hujus vitae necessitatem sustentant, de quo cum praeceperit, ait, *nolite cogitare de crastino* (Mt. VI, 34), ut ideo sit additum, *da nobis hodie:* aut pro sacramento Corporis Christi, quod cotidie accipimus: aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit: *operamini escam quae non corrumpitur* (Jo. VI, 27); et illud, *Ego sum panis vitae, qui de caelo descendi* (Ib. 41).

Sed horum trium quid sit probabilius, considerari potest. Nam forte quispiam moveatur, cur oremus pro his adipiscendis quae huic vitae sunt necessaria, veluti est victus et tegumentum, cum ipse Dominus dicat: *nolite solliciti esse quid edatis, vel quid induamini*

325.—Verbum Dei est etiam panis cotidianus, panis intelligentiae. Quod vobis tracto panis cotidianus est: et quod in ecclesia lectiones cotidie auditis, panis cotidianus est; et quod hymnos auditis et dicitis, panis cotidianus est. Haec enim sunt necessaria peregrinationis nostrae. Nunquid illuc quando venerimus, codicem sumus audituri? Ipsum Verbum visuri, ipsum Verbum audituri, ipsum manducaturi, ipsum habituri, quomodo Angeli modo. Nunquid Angelis codices sunt necessarii, aut disputatores aut lectores? Absit. Videndo, legunt: vident enim ipsam veritatem, et illo fonte satiantur,

---

(Mt. VI, 31). An potest quisque de ea re, pro qua adipiscenda orat, non esse sollicitus, cum tanta intentione animi oratio dirigenda sit (Lc. XII, 22). ut ad hoc totum illud referatur quod de claudendis cubiculis dictum est? Et illud quod ait: *quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia apponentur vobis?* (Ib.). Non ait utique, *quaerite regnum Dei*, et deide ista quaerite; sed haec omnia, inquit, apponentur vobis, scilicet etiam non quaerentibus.

Quomodo autem recte dicatur non quaerere aliquis quod ut accipiat intentissime deprecatur, nescio utrum inveniri queat.

De sacramento autem corporis Domini ut illi non moveant quaestionem, qui plurimi in orientalibus partibus non cotidie cenae dominicae communicant, cum ista panis cotidianus dictus sit; ut ergo illi taceant, neque de hac re suam sententiam defendant vel ipsa auctoritate ecclesiastica, quod sine scandalo ista faciunt, neque ab eis qui Ecclesiis praesunt facere prohibentur, neque non obtemperantes damnantur; unde probatur non hunc in illis partibus intelligi cotidianum panem; nam magni peccati crimine arguerentur, qui ex eo non accipiunt cotidie; sed ut de istis, ut dictum est, nihil in aliquam partem disseramus, illud certe debet occurrere cogitantibus, regulam nos orandi a Domino accepisse, quam transgredi non oportet vel addendo aliquid, vel praetereundo.

Quod cum ita sit, quis est qui audeat dicere, semel tantum nos orare debere orationem Dominicam; aut certe etiam si iterum vel tertio, usque ad eam tantum horam qua corpori Domini communicamus, postea vero non sit orandum per reliquas partes diei? Non enim jam dicere poterimus, *da nobis hodie*, quod jam accepimus; aut poterit quisque cogere, ut etiam ultima diei parte Sacramentum illud celebremus.

Restat igitur ut cotidianum panem accipiamus spiritalem, praecepta scilicet divina, quae cotidie oportet meditari, et operari. Nam de ipsis Dominus dicit: *operamini escam quae non corrumpitur*. Coti-

unde nos irroramur. Dictum est ergo de pane cotidiano, quia in ista vita nobis est necesaria haec petitio [1].

Et verbum Dei quod cotidie vobis aperitur, et quodam modo frangitur, panis cotidianus est. Et quomodo illum panem ventres, sic istum esuriunt mentes. Et hunc ergo petimus simpliciter, et quidquid animae nostrae et carni nostrae in hac vita necessarium est, cotidiano pane concluditur [2].

Verbum Dei quod cotidie praedicatur, panis est. Non enim quia non est panis ventris, ideo non est panis mentis. Cum autem vita ista transierit, nec panem illum quaeremus quem quaerit fames: nec sacramentum altaris habemus accipere, quia ibi erimus cum Christo, cujus corpus accipimus: nec verba nobis ista dici habent, quae dicimus vobis, nec codex legendus est, quando ipsum videbimus quod est Verbum Dei, per quod

dianus autem iste cibus nunc dicitur, quandiu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur. Et revera quandiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est, nunc in spiritalia, nunc in carnalia animi affectus alternant, tamquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famen patitur, cotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, et relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur, quia sentit dispendium; sic et animus quoniam temporalibus affectibus quasi dispendium ab intentione Dei patitur, praeceptorum cibo reficiatur.

Da nobis hodie autem dictum est, quandiu dicitur *hodie*, id est, in hac temporali vita. Sic enim cibo spiritali post hanc vitam saturabimur in aeternum, ut non tunc dicatur cotidianus panis; quia ibi temporis volubilitas, quae diebus dies succedere facit, unde appelletur cotidie, nulla erit. Ut autem dictum est: *hodie si vocem ejus audieritis* (Ps. 94, 8), quod interpretatur Apostolus in Epistola quae est ad Hebreos, *quandiu dicitur hodie* (III, 13); ita et hic accipiendum est: da nobis hodie. Si quis autem etiam de victu corporis necessario, vel de Sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere; oportet ut conjuncte accipiantur omnia tria, ut scilicet cotidianum panem simul petamus, et necessarium corpori, et sacramentum visibile et invisibilem verbi Dei (Serm. Dom. in Mont. nn. 25-27).

[1] Serm. 57, n. 7.

[2] Serm. 58, n. 5.

facta sunt omnia, quo pascuntur angeli, quo illuminantur angeli, quo sapientes fiunt angeli, non quaerentes verba locutionis anfractuosae; sed bibentes unicum Verbum, unde impleti ructant laudes et non deficiunt in laudibus [1].

326.—Quinta petitio: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et ista petitio non est exponenda quia pro nobis petimus. Nobis enim debita dimitti postulamus. Debitores enim sumus non pecuniarum, sed peccatorum. Dicis modo forte: Et vos? Respondemus, et nos. Et vos episcopi sancti, debitores estis? Et nos debitores sumus. Et vos? Absit, domine, noli tibi facere injuriam. Non injuriam mihi facio, sed verum dico: debitores sumus. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (I Jo. I, 8). Et baptizati sumus et debitores sumus. Non quia aliquid remansit, quod nobis in baptismo non dimissum fuerit; sed quia vivendo contrahimus quod cotidie dimittatur.

Qui baptizantur et exeunt, sine debito ascendunt, sine debito pergunt. Qui autem baptizantur et tenentur in hac vita, de fragilitate mortali contrahunt aliquid, unde etsi non naufragatur, tamen oportet ut sentinetur. Quia si non sentinatur, paulatim ingreditur unde tota navis mergatur. Et hoc orare, sentinare est.

Non tantum autem debemus orare, sed et eleemosynas facere; quia quando sentinatur, ne navis mergatur, et vocibus agitur et manibus. Vocibus agimus, cum dicimus: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Manibus autem agimus, cum

---

[1] Serm. 59, n. 6.

facimus: frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam (Is. LVIII, 7). Include eleemosynam in corde pauperis, et ipsa pro te exorabit ad Dominum (Eccli. XXIX, 35).

Dimissis ergo peccatis omnibus per lavacrum regenerationis in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur cotidiana mundatio sanctae orationis. Eleemosynae et orationes mundant peccata, tantum ne talia committantur, unde necesse sit separari nos a pane cotidiano: vitantes debita quibus debetur certa et severa damnatio. Nolite vos justos dicere, quasi non habeatis unde dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Abstinentes ab idolatria, abstinentes a deceptionibus haereticorum, a conscissionibus schismaticorum; abstinentes ab homicidiis, ab adulteriis, et fornicationibus, a furtis et rapinis, a falsis testimoniis: et si qua forte alia, non dico quae exitiales exitus habent, unde necesse sit praecidi ab altari, et ligari in terra, ut ligetur in caelo, valde periculose et mortifere, nisi solvatur in terra quod solvatur in caelo; istis ergo exceptis, non deest unde homo peccet.

Quod non oportet, videndo libenter, peccat. Et quis teneat oculi velocitatem? Quandoquidem dicitur oculus inde accepisse nomen a velocitate. Quis teneat aurem vel oculum? Oculi, cum volueris, claudi possunt, et cito clauduntur: aures cum conatu claudis; manum levas, pervenis ad illas: et si tibi aliquis manus teneat, patent; nec potes eas claudere adversus verba maledica, impura, blandientia et decipientia. Cum aliquid, quod non oportet, audieris, etsi non feceris, nonne aure peccas; audis mali aliquid libenter.

Lingua mortifera quanta peccata committit? Aliquando talia, quibus homo ab altari separetur. Ad illam pertinet materies blasphemiarum, et multa alia inania dicuntur, quae ad rem non pertinent. Nihil mali faciat manus; non currat pes ad aliquid mali: non dirigatur oculus in lasciviam; non auris libenter pateat turpitudini; non moveatur lingua ad id quod non decet. Dic, cogitationes quis tenet?

Fratres mei, plerumque oramus, et aliunde cogitamus, quasi obliti ante quem stemus, aut ante quem proni jaceamus. Ista omnia si colligantur contra nos, nun ideo non premunt, quia minuta sunt? Quid interest utrum te plumbum premat an arena? Plumbum una massa est, arena minuta grana sunt, sed copia te premunt. Minuta sunt peccata, non vides de guttis flumina impleri et fundos trahi? Minuta sunt, sed multa sunt.

Cotidie ergo dicamus, et corde vero dicamus, et quod dicimus faciamus: *dimitte nobis*, etc. Sponsionem facimus cum Deo, pactum et placitum. Hoc tibi dicit Dominus Deus tuus: dimitte et dimitto. Non dimisisti; tu contra te tenes, non ego.

Jam propter illa cotidiana peccata, de quibus locutus sum, quia necessarium est vobis dicere, velut cotidiana mundatione ista: *Dimitte nobis*. Quid facietis? Habetis inimicos. *Quis enim vivat in hac terra non habens inimicum?* Intendite vobis, diligite illos. Nullo modo tibi potest nocere saeviens inimicus, quantum tibi noces, si non diligis inimicum. Ille nocere potest rebus temporalibus; numquid quomodo tu, animae tuae? Extendite vos ad istam perfectionem, carissimi, exhortor vos.

Sed numquid ego illud donavi vobis? Ille vobis dona-

vit, cui dicitis: *fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra.* Tamen non vobis videatur impossibile: ego scio, ego novi, ego probavi esse homines christianos, qui diligunt inimicos suos. Si vobis impossibile visum fuerit, non faciatis. Primo credite posse fieri; et orate, ut fiat in vobis voluntas Dei. Quid enim tibi prodest malum inimici tui? Si malum nullum haberet, nec inimicus tuus esset. Bonum illi opta, finiat mala, et non erit tibi inimicus. Non enim inimica est tibi in illo natura, sed culpa. Numquid ideo tibi est inimicus, quod habet animam et carnem? Hoc est quod tu: animam habes, animam habet; carnem habes, carnem habet. *Consubstantialis tuus est:* simili de terra facti estis: a Domino animati estis. Hoc est ille quod tu: respice fratrem tuum. Primi duo parentes nostri erant Adam et Eva: ille pater, illa mater; ergo nos fratres.

Omittamus originem primam: Deus Pater, Ecclesia mater; ergo nos fratres. Sed inimicus meus paganus est, judaeus est, haereticus est; et unde jam dudum dixi: fiat voluntas tua, sicut in caelo ita et in terra. O Ecclesia, inimicus tuus est paganus, judaeus, haereticus: terra est. Si caelum es, invoca Patrem, qui est in caelis, et pro inimicis tuis ora; quia et Saulus inimicus erat Ecclesiae: sic oratum est pro illo, factus est amicus. Non solum destitit esse persecutor, sed laboravit ut esset adjutor. Etsi verum quaeras, oratum est contra illum, sed contra ejus malitiam, non naturam. Ora et tu contra malitiam inimici tui: illa moriatur et ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quasi inimico caruisti, sed nec amicum invenisti. Si autem mortua fuerit malitia ejus, et inimicum amisisti, et amicum invenisti.

Adhuc dicitis: quis potest, quis illud fecit? Deus illud faciat in cordibus vestris. Et ego scio, pauci illud faciunt, magni sunt qui faciunt, spiritales faciunt. Numquid tales sunt omnes in Ecclesia fideles ad altare accedentes, corpus et sanguinem Christi sumentes? Numquid tales sunt omnes? Et tamen omnes dicunt: dimitte nobis etc.

Ad tantam paucitatem redigitur grex Christi? Si soli illi debent dicere, dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimitimus debitoribus nostris, qui diligunt inimicos; nescio quid faciam, nescio quid dicam. Dicturus enim vobis sum: si non diligitis inimicos vestros nolite orare? Non audeo, imo ut diligatis, orate.

Video aliquid unde possum, non paucitatem christianam, sed multitudinem consolari; et scio quia hoc desideratis audire. Dimittite, ut dimittatur vobis, Christus dixit. Hoc facere debetis; quod si non feceritis, peribitis. Quando inimicus veniam petit, continuo dimittatis. Et hoc multum ad vos? Multum ad te erat, inimicum diligere saevientem; multum est ad te, hominem diligere supplicantem? Quid dicis? Saeviebat, et oderas. Mallem nec tunc odisses; mallem tunc, cum saevientem patereris, Dominum recordareris dicentem: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Lc. XXIII, 34).

Hoc ergo magnopere vellem, ut etiam eo tempore, cum in te saeviebat inimicus, respiceres Dominum Deum tuum ista dicentem: Sed forte dicturus es: fecit ille, sed ut Dominus, quia Christus, quia Dei Filius, quia Unigenitus, quia Verbum caro factum. Quid ego malus et invalidus homo?

Si multum est ad te Dominus tuus, cogitetur a te conservus tuus. Stephanus sanctus lapidabatur: et in-

ter lapides genu fixo pro inimicis orabat et ait: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (Act. VII, 39). Illi lapides mittebant, non veniam postulabant, et ille pro illis orabat. Talem te esse volo: extende te. Quid trahis semper cor in terra? Audi, sursum cor: extende, dilige inimicos. Si non potest diligere saevientem, dilige vel petentem. Dilige hominem qui tibi dicit: Frater, peccavi, ignosce mihi. Tunc si non ignoveris, non dico, deles orationem de corde tuo: sed deleberis de libro Dei.

Si autem vel tunc ignoveris, vel tunc ex corde dimiseris; odium dico dimittas ex corde, non disciplinam. Quid si ille qui petit veniam, castigandus est a me? Fac quod vis: puto enim quod filium tuum diligis et quando caedis. Lacrimas vapulantis non curas; quia ei hereditatem servas. Ego hoc dico, ut de corde dimittas odium, quando a te veniam petit inimicus. Sed forte dicis, mentitur, fingit. O judex cordis alieni, dic mihi cogitationes patris tui, dic mihi hesternas tuas. Rogat, veniam petit: dimitte, prorsus dimitte. Si non dimiseris, non illi noces, sed tibi [1].

---

[1] Serm. 56, nn. 11-17. **Doctrina divi Thomae:** *Et dimitte nobis debita nostra,* etc. Inveniuntur aliqui magnae sapientiae et fortitudinis; et qui nimis confidunt de virtute sua, et non agunt sapienter quae agunt, nec perducunt quod intendunt ad complementum. *Cogitationes consiliis roborantur* (Prov. XX, 18).

Sed notandum quod Spiritus Sanctus, qui dat fortitudinem, dat etiam consilium. Nam omne bonum consilium de salute hominum est a Spiritu Sancto. Tunc autem consilium est homini necessarium, quando indiget. Sicut autem homo indiget consilio medicorum, quando corporaliter infirmatur, et tunc petis consilium; ita homo cum spiritualiter infirmatur per peccatum, debet quarere consilium quo sanetur. Consilium autem necessarium peccatori ostenditur a Daniele cum dicit (IV, 24): *Consilium meum placeat tibi, rex.*

Peccata tua eleemosynis redime. Optimum ergo consilium contra peccata est eleemosyna et misericordia: et ideo Spiritus Sanctus docet peccatores petere et orare: *dimitte nobis debita nostra.*

Debemus autem Deo illud quod auferimus de jure suo. Quo au-

327.—Dimitte nobis debita nostra: dicimus et dicamus, quia verum dicimus. Quis enim hic vivit in carne et non habet debita?... In Symbolo, inter cetera nominamus remissionem peccatorum. Remissio peccatorum una est, quae semel datur: alia quae cotidie datur. Remissio peccatorum una est quae semel datur in sancto baptismate: alia quae quandiu vivimus hic, datur in Dominica oratione. Propter quod dicimus: dimitte nobis debita nostra.

---

tem Dei est ut faciamus voluntatem suam, praeferendo eam voluntati nostrae. Auferimus ergo Deo jus suum, cum praeferimus voluntatem nostram voluntati suae; et hoc est peccatum. Peccata ergo sunt debita nostra. Est ergo consilium Spiritus Sancti ut petamus a Deo veniam peccatorum: et ideo dicimus, *dimitte nobis debita nostra.*

Jam vero in his verbis possumus haec tria considerare: quare fit haec petitio; quando impletur; quid requiritur ex parte nostra ut impleatur.

Quare fit haec petitio. Ut homo semper sit *in timore et humilitate;* eo quod non potest vivere in hoc mundo ita ut ex se possit vitare peccata. Hoc nulli datum est nisi soli Christo, qui habuit Spiritum non ad mensuram, et beatae Virgini, in qua nullum peccatum fuit. Sed de aliis sanctis nulli concessum est, quin ad minus veniale peccatum commiserit (I Jo. I, 8).

Et hoc etiam probatur per petitionem istam, constat enim quod omnibus hominibus etiam Sanctis convenit dicere: *Pater noster,* in quo dicitur, *dimitte nobis debita nostra.*

Ut semper vivamus in spe; quia licet simus peccatores, non debemus desperare; quia quantumcumque homo sit peccator, debet sperare quod Deus, si perfecte convertatur, dimittet ei. Haec autem spes firmatur in nobis cum petimus: *dimitte nobis debita nostra.*

Quando impletur haec petitio. Sciendum autem est duo in peccato esse: culpam qua offenditur Deus, et poenam quae debetur pro culpa; sed culpa remittitur in contritione, quae est cum proposito confitendi et satisfaciendi. Non est igitur desperandum, ex quo ad remissionem culpae sufficit contritio cum proposito confitendi. Poena remittitur tum confessione, tum indulgentiis.

Condicio ex parte nostra requisita. Requiritur ut nos dimittamus proximis nostris offensas factas nobis, unde dicitur: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* aliter Deus non dimitteret nobis. Si non dimittis, non dimittetur tibi. Sed duobus modis dimittitur. Unus est perfectorum, ut scilicet offensus requirat offendentem: *inquire pacem* (Ps. 33, 15). Alius est communiter omnium, ad quem tenentur omnes, ut scilicet petenti veniam demittat offensus (Expos. Orat. Dom.).

Et induxit nobiscum Deus pactum et placitum, firmumque chirographum, ut dicamus: sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Si hoc qued est posterius, aut non dicit aut fallaciter dicit: illud quod prius est inaniciter dicit. Maxime vobis dicimus: dimittite omnia de cordibus vestris. Aliquando enim homo dimittit ore et tenet corde: dimittit ore propter homines, et tenet corde, non timens oculos Dei. Prorsus dimittite.

Expavesce vel quando dicitur: *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I, Jo. III, 15). Gladium non eduxisti, non vulnus in carne fecisti, non corpus plaga aliqua trucidasti: cogitatio sola odii in corde tuo est, et teneris homicida: reus es ante oculos Dei. Ille vivit et tu occidisti. Quantum ad te pertinet, occidisti quem odisti. Emenda te, corrige te.

Facite quod dictum est: sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et securi dicite: dimitte nobis debita nostra, quia sine debitis in hac terra vivere non potestis. Sed alia sunt illa magna crimina, quae vobis bonum est in baptismo dimitti, et a quibus semper alieni esse debetis: alia cotidiana peccata, sine quibus hic homo vivere non potest, propter quae necessaria est cotidiana oratio, cum suo pacto, cum suo placito: ut quomodo hilariter dicitur: dimite nobis debita nostra, sic veraciter dicatur, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris [1].

In baptismo omnia debita, id est, peccata prorsus dimittuntur nobis. Sed quia nemo hic potest vivere sine peccato, et si non magno crimine unde separetur ab illo pane, tamen nemo potest sine peccatis esse in hac terra, et non possumus accipere nisi unum baptismum semel: in Oratione accipimus unde cotidie lavemur, ut nobis

[1] Serm. 58, nn. 6-8.

peccata nostra cotidie dimittantur; sed si facimus quod sequitur sicut et nos dimittimus debitoribus nostris [1].

Si habemus peccata, ignoscamus veniam petentibus. Non inimicitias in corde nostro contra alterum retineamus. Plus enim inimicitiae retentae vitiant ipsum cor nostrum.

Volo ergo te ignoscentem, quia teneo veniam postulantem. Rogaris, ignosce; rogaris, et rogabis ut ignoscatur tibi. Ecce veniet tempus orandi: in verbis quae dicturus es, teneo te. Dicturus es: *Pater noster, qui es in caelis.* Non enim eris in numero filiorum, si non dicturus es, *Pater noster.* Sequere. *Dimitte nobis debita nostra.* Venisti ad verba mea: *dimitte,* inquit, *debita nostra.* Quo jure, quo pacto, quo placito, quo chirographo recitato? *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Parum est quod non dimittis, adhuc et Deo mentiris. Condicio posita est, fixa est lex: dimitte sicut dimitto. Ergo non dimittit, nisi dimittas. Petenti vis ut dimittatur tibi, petenti dimitte. Preces istas Jurisperitus caeli dictavit: non te fallit, secundum ejus caelestem vocem posce: dic, *dimitte nobis, sicut et nos dimittimus*; et fac quod dicis. Qui mentitur in Precibus, beneficio caret; qui mentitur in Precibus, et perdit causam, et invenit poenam. Et si aliquis mentitur imperatori, cum venerit, convincitur quia mentitur; quando autem tu orando mentiris, in ipsa oratione convinceris. Non enim Deus, ut te convincant, testes ad te quaerit. Qui tibi dictavit Preces, advocatus est tuus; si mentiris, testis est: si non te corrigis, judex erit tuus. Ergo et dic, et fac. Quia si non dicis, contra jus petendo non impetras; si autem dicis et non facis, etiam mendacii reus eris.

---

[1] Serm. 59, n. 6.

Non est qua versus iste transeatur, nisi quod dicimus impleatur. Numquid delere istum versum poterimus de oratione nostra? An vultis ut illud ibi sit: *dimitte nobis debita nostra*; et deleamus quod sequitur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* Non delebis, ne ante delearis.

In oratione ergo dicis, *da,* dicis, *dimitte,* ut accipias quod non habes, et relaxetur tibi quod deliquisti. Ergo vis accipere, da; vis ut dimittatur tibi, dimitte. Brevis complexio est. Ipsum Christum audi alio loco: dimittite et dimittetur vobis: date et dabitur vobis. Quid dimittetis? Quod in vobis alii peccaverunt. Quid et vobis dimittetur? Quod peccastis. Date et dabitur vobis, quod desideratis, vitam aeternam. Fulcite pauperis vitam temporalem, sustentate pauperis vitam praesentalem, et pro isto tam parvo terrenoque semine accipietis messem vitam aeternam [1].

Propter ipsa peccata humana et tolerabilia, et tanto crebriora, quanto minora, constituit Deus in Ecclesia tempore misericordiae praerogandae cotidianam medicinam, ut dicamus: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; ut his verbis lota facie ad altare accedamus, et his verbis lota facie corpore Christi et sanguine communicemus.

Sed quod est gravius, ipsam medicinam sic homines contemnunt, ut non solum non dent veniam, quando in illos peccatur, sed nec velint petere, quando ipsi peccant. Intravit tentatio, subrepsit ira; tantum dominata est iracundia, quantum potuit, ut non solum tumultuaretur cor, sed et convicia et crimina vomeret lingua [2].

---

[1] Serm. 114, n. 5.
[2] Serm. 17 in Ps. 49, n. 6.

328.—Aviditatem vestram tantam video, ut semper parati sitis audire; sed duae res sunt, quarum ratio non contemnenda est. Nam et infirmitas corporis nostri considerandа est, et ipsarum rerum quae exponuntur memoria. Interim quae audistis cogitate.

Fructum autem vestrum in operibus vestris advertite. Valde enim male digerit is qui bene audit, et non bene operatur; quia Dominus Deus noster non deest pascere. Notum est omnibus, quia de pane quem accepimus et quem erogamus, reddituri sumus rationem. Optime novit Caritas vestra: non enim tacet nobis pagina divina, aut adulatur nos Deus.

De isto loco quam liberi simus ad vos, potestis advertere; et si forte ego minus liber sum, vel omnes qui in hoc loco vobis loquuntur, si minus liberi sumus. Certe ipse sermo Dei neminem timet. Nos autem sive timeamus, sive liberi simus, eum cogimur annuntiare qui neminem timet: hoc vobis non homines, sed Deus praestitit, ut et per timidos liberum audiatis.

Excusationem in judicio Dei non habebitis, nisi vos in bonis operibus exercueritis, et eorum quae audistis tamquam pluviae fructum congruum dederitis. Fructus congruus opera bona: fructus congruus sincera dilectio, non solum fratris, sed et inimici. Supplicem nullum spernas, et cui dare non potes quod petierit, non eum spernas: si potes dare, da; si non potes, affabilem te praesta. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, non habeo. Caritas non de sacello erogatur; quia quidquid dicimus et quid quid diximus, et quidquid dicere potuerimus, vel nos, vel post nos, vel qui ante nos, finem non habent nisi caritatem; quia *finis praecepti caritas est, de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta* (I Tim. I, 5).

Interrogate, quando rogatis Deum, corda vestra: videte quomodo transmittatis versum istum: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Non eris orans nisi istam precem dicas; si aliam dicas, non te exaudit ille; quia non ipsam tibi dictavit Jurisperitus quem misit. Necesse est ergo, ut et quando verba nostra dicimus in oratione, secundum ipsam dicamus; et quando ipsa verba dicimus, bene intelligamus quod dicimus, quia manifestam illam esse Deus voluit. Si ergo non oraveritis, spem non habebitis; si aliter quam Magister docuit, oraveritis, non exaudiemini; aut si in oratione mentiti fueritis, non impetrabitis. Ergo et orandum, et verum dicendum est, et sic orandum est, quomodo ille docuit. Vellis nolis, cotidie dicturus es; *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Vis securus dicere? Fac quod dicis [1].

329.—Sexta petitio: Et ne nos inferas in tentationem. Numquid et hoc necessarium erit in illa vita? Non dicitur, ne nos inferas in tentationem, nisi ubi potest esse tentatio. In sancti Job libro legimus: *nunquid non tentatio est vita humana super terram?* (VII, 1). Quid ergo rogamus? quid, audite. Apostolus Jacobus dicit: *Nemo cum tentatur, dicat quod a Deo tentatur* (I, 13). Tentationem istam malam dixit, qua quisque decipitur, et diabolo subjugatur. Est enim alia tentatio, quae appellatur probatio, de ipsa tentatione scriptum est: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (Deut. XIII, 3). Quid est ut sciat? Ut scire vos faciat. In illa tentatione qua quisque decipitur et seducitur, neminem tentat Deus; sed plane judicio suo alto et occulto quosdam

1 Enar. I in Ps. 103, serm. I, n. 19. Cf. etiam serm. 211, ubi tractat de fraterna concordia.

deserit. Cum ille deseruerit, invenit quid faciat tentator. Non enim invenit adversus se luctatorem; sed continuo illi se exhibet possessorem, si deserat Deus. Ne deserat ergo nos, ideo dicimus: *Ne nos inferas in tentationem.*

Unusquisque enim tentatur, ait idem apostolus Jacobus, *a concupiscentia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem* (id. I, 14-15).

Quid nos docuit? Ut pugnemus contra concupiscentias nostras. Etenim in baptismo sancto peccata dimissuri estis: concupiscentiae remanebunt, cum quibus regenerati pugnetis.

Restat enim conflictus in vobis ipsis. Nullus hostis metuatur extrinsecus: te vince et mundus est victus.

Quid tibi facturus est tentator extraneus, sive diabolus, sive minister diaboli? Quicumque homo proponit lucrum, ut seducat: avaritiam in te non inveniat, quid facit propositor lucri? Si autem avaritia in te inventa fuerit, viso lucro inardescis, vitiosae escae caperis laqueo. Si autem non in te inveniret avaritiam, remansit frustra extenta muscipula.

Proponit tibi tentator pulcherrimam feminam: adsit intus castitas, victa est foris iniquitas. Ut ergo non te capiat proposita pulchritudine mulieris alienae, cum tua libidine intus pugna. Non sentis hostem tuum, sed sentis concupiscentiam tuam. Vince intus quod tu sentis. Pugna, pugna; quia qui te regeneravit, judex est, proposuit luctam, parat coronam. Sed quia sine dubio vinceris, si illum adjutorem non habueris, si te deseruerit, ideo ponis in oratione: *ne nos inferas in tentationem* [1].

---

[1] Serm. 57, n. 9. **Doctrina divi Thomae:** *Et ne nos inducas in tentationem.* Sunt aliqui qui peccaverunt, tamen desiderant veniam

Magna vero tentatio est, carissimi, magna tentatio est in hac vita, quando illud nostrum tentatur, quo meremur veniam, sicubi tentati lapsi fuerimus.

Horrenda tentatio est, quando nobis tollitur, unde ab aliarum tentationum vulneribus sanari possimus.

Scio nondum vos intellexisse; adesto animo, ut intelligatis. Puta tentat avaritia, victus est quisquam, quia et luctator aliquando et bonus praeliatoı vulneratur, in aliqua una tentatione; vicit hominem avaritia, etiam bonum luctatorem; et fecit nescio quid avarum.

---

consequi de peccatis: unde et confitentur et poenitent; sed non adhibent totum studium quod deberent, ut iterato in peccata non ruant; quod quidem non est conveniens, ut scilicet ex una parte ploret quis peccata, dum poenitet, ex alia unde ploret accumulet, dum peccat; et propter hoc dicitur (Is. I, 16): *lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse.* Et ideo, sicut supra dictum est, Christus in praecedenti docuit nos petere veniam peccatorum; in hac vero docet nos petere ut possimus vitare peccata, ut scilicet non inducamur in tentationem, per quam labamur in peccata, cum dixit: *et ne nos inducas in tentationem.*

Circa quod tria quaeruntur: quid sit tentatio: qualiter et a quo homo tentatur: quomodo liberatur a tentatione.

Quid sit tentatio. Tentare nihil aliud est quam experiri seu probare; unde tentare hominem est probare virtutem ejus. Experitur virtus hominis *dupliciter*, secundum duo, quae exigit hominis virtus, nimirum ut operetur bonum, et caveat a malo: *declina a malo et fac bonum* (Ps. 33, 15). Experitur quantum ad primum, probando utrum inveniatur promptus ad bonum.

Tunc enim est virtus hominis magna, quando promptus invenitur ad bonum; et hoc modo probat Deus aliquando hominem; non quod lateat eum virtus hominis, sed ut eam omnes cognoscant, et detur omnibus in exemplum. Et ideo Deus saepe immittit tribulationes justis, ut dum patienter sustinent, appareat virtus eorum, et in virtute proficiant: *tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non* (Deut. XIII, 3).

Probatur quantum ad secundum virtus hominis, per inductionem ad malum; et si bene resistit, et non consentit, tunc virtus hominis magna est; si vero homo succumbit tentationi, tunc virtus hominis nulla est. Hoc autem modo nullus tentatur a Deo: *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat* (Jac. I, 13).

Qualiter et a quo tentatur. Sed, tentatur homo a propria carne, a

Transiit libido, non adduxit ad stuprum, non pervenit ad adulterium. Illud enim quando fuerit, et ab adulterio homo prohibendus est. Sed vidit mulierem ad concupiscendum, cogitavit aliquid delectabilius quam debuit; accepit pugnam, etiam optimus praeliator percussus est; sed non consensit, repercussit motum lascivum, doloris amaritudine castigavit, repercussit et vicit. Tamen eo quod lapsus erat, habet unde dicat; *dimitte nobis debita nostra.*

Quae est ergo illa, quam posui, horrenda tentatio molesta, tremenda, omnibus viribus, omni virtute vi-

---

diabolo et a mundo: caro dupliciter tentat: instigando ad malum, et retrahendo a bono. Semper quaerit delectationes suas, in quibus est saepe peccatum. Qui enim immoratur delectationibus carnalibus, negligit spiritualia: *unusquisque* enim *tentatur a concupiscentia sua* (Jac. I, 14). Retrahit deinde a bono. Spiritus quantum est de se, semper delectaretur in spiritualibus bonis; sed caro aggravans impedit spiritum. Haec tentatio carnis est valde gravis, quia inimicus noster, scilicet caro, conjunctus est nobis; et sicut dicit Boetius, nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus: et ideo contra eam vigilandum est.

Diabolus fortissime tentat, nam postquam conculcatur caro, insurgit diabolus contra quem est nobis magna colluctatio (Eph. VI, 12). Unde et signanter dicitur tentator. In tentatione autem tua callidissime procedit. Ipse enim sicut bonus dux exercitus qui obsidet aliquod castrum, considerat infirma ejus quem impugnare vult, ex illa parte unde magis est homo debilis, tentat eum. Et ideo tentat de illis vitiis ad quae hominus conculcata carne magis proni sunt; ut de ira, de superbia. Duo ergo facit diabolus: decipit, et deceptum detinet in peccatum.

Mundus dupliciter tentat: per nimium et immoderatum desiderium rerum temporalium (I Tom. VI, 10); per tyrannos et persecutores terrendo (II Tim. III, 12).

Qualiter homo liberatur. Christus docet nos rogare non ut non tentemur, sed ne inducamur in tentationem; nam si homo vincit tentationem, meretur coronam. Oramus, ne inducamur in tentationem per consensum; quia tentari humanum est, consentire diabolicum.

Media ad vincendas tentationes sunt *fervor caritatis*, quia quaelibet caritas quantumque parva potest resistere cuilibet peccato: *lumen intellectus*, quo instruit nos de agendis; omnis enim malus est ignorans. Hoc autem petebat David (Ps. XII, 5): *illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte* (Expos. Orat. Domin.).

tanda? Quae est ista? Quando nobiscum agitur ut vindicemus nos. Ira exasperatur, et frendet homo vindicari; horrenda tentatio.

Unde accepturus enim veniam fueras pro ceteris delictis, hoc perdis. Si quid aliis sensibus, aliis cupiditatibus peccaveras, hinc erat sanandum, quia dicturus eras, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui te instigat ut vindiceris, perdet tibi quod dicturus eras, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Illo perdito, cuncta tenebuntur; omnino nihil dimittitur.

Hanc periculosam tentationem in ista vita sciens Dominus, Magister et Salvator noster, cum doceret nos in hac oratione sex vel septem petitiones, nullam sibi assumpsit unde tractaret, et quam nobis vehementius commendaret, nisi hanc unam. Numquid non diximus: *Pater noster qui es in caelis* et cetera subsequentia? Quare post finitam orationem non aliquid nobis inde tractavit, vel quod a capite posuit, vel quod in fine conclusit, vel quod in medio collocavit?

Si enim non in vobis sanctificatum fuerit nomen Domini, aut non pertinueritis ad regnum Dei, aut si non in vobis fuerit facta voluntas Dei, sicut in caelo, aut si non vos Deus custodierit, ne intretis in tentationem; quare nihil horum? Sed quid? Amen dico vobis, quia si dimiseritis peccata hominibus; propter illud, dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Praetermissis omnibus petitionibus quas nos docuit, illam maxime docuit. Non multum fuerant illa commendanda, in quibus si peccator est, unde curetur, agnoscat; commendandum, in quo si peccaveris, cetera non est

unde sanari. Hoc enim debes dicere; dimitte nobis debita nostra.

Quae debita? Non deest; homines sumus. Paulo plus locutus sum quam debui, dixi aliquid quod non debui, risi plus quam debui, bibi amplius quam debui, comedi amplius quam debui, audivi libenter quod non debui, vidi libenter quod non debui, cogitavi libenter quod non debui: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Periisti, si hoc perdidisti [1].

Ne nos inferas in tentationem: dimitte quae fecimus, et da ut alia non committamus. Quicunque enim tentatione vincitur, peccatum ipse committit. Etenim, inquit apostolus Jacobus: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem* (Jac. I, 13).

Ergo ne abstraharis a concupiscentia; noli consentire concupiscentiae tuae. Non est unde concipiat, nisi de te. Consensisti; quasi concubuisti in corde tuo. Surrexit concupiscentia; nega te illi, noli eam sequi. Illicita est, lasciva est, turpis est, alienat te a Deo. Noli dare consensionis amplexum, ne plangas partum; quia si consenseris, id est, cum amplexatus fueris, concipit. Cum concupiscentia conceperit, parit peccatum.

Nondum times? Peccatum generat mortem; vel mortem time. Si peccatum non times, time quo perducit peccatum. *Dulce est peccatum; sed amara est mors.* Ipsa est infelicitas hominum; propter quod peccant, morientes hic dimittunt, et ipsa peccata secum portant.

---

[1] Serm. 57 in Mt. nn. 11, 12.

Peccas propter pecuniam, hic dimittenda est; peccas propte villam, hic dimittenda est; peccas propter mulierem, hic dimittenda est; et quidquid est propter quod peccas, quando oculos in morte clauseris, hic dimittis, et ipsum peccatum quod committis, tecum portas [1].

330.—*Et ne nos inferas in tentationem.* Nonnulli codices habent, *inducas*, quod tantumdem valere arbitror.

Multi autem precando ita dicunt: Ne nos patiaris induci in tentationem, exponentes videlicet quomodo dictum sit, *inducas*. Non enim per se ipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Causis etiam saepe manifestis dignum judicat ille quem deserat, et in tentationem induci sinat.

Aliud est autem induci in tentationem, aliud tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest, sive sibi ipsi, sicut scriptum est: *Qui non est tentatus, qualia scit?* (Eccli. XXXIV, 9) sive alii, sicut Apostolus ait: *Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis* (Gal. IV, 13); hinc enim eos firmos esse cognovit, quod eis tribulationibus, quae Apostolo secundum carnem acciderant, non sunt a caritate deflexi. Nam Deo noti sumus et ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant.

Quod itaque scriptum est: *tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum;* illa locutione positum est, ut sciat, pro eo quod est, ut scire vos faciat; sicut diem laetum dicimus, quod laetos faciat; frigus pigrum, quod pigros facit; et innumerabilia hujusmodi, quae sive in

---

1 Serm. 58 in Mt. n. 9.

consuetudine loquendi, sive in sermone doctorum, sive in Scripturis sanctis reperiuntur.

Quod non intelligentes haeretici qui Veteri Testamento adversantur, velut ignorantiae vitium notandum putant eum de quo dictum est; *Tentat vos Dominus Deus vester:* quasi in Evangelio de Domino scriptum non sit: *hoc autem dicebat tentans eum; nam ipse sciebat quid esset facturus* (Jo. VI, 6). Si enim noverat cor ejus quem tentabat, quid est quod voluit videre tentando? Sed profecto illud factum est, ut ipse sibi notus fieret qui tentabatur, suamque desperationem condemnaret saturatis turbis de pane Domini, qui eas non habere quod ederent, existimaverat.

Non ergo hic oratur, ut non tentemur, sed ut non inferamur in tentationem: tamquam si quispiam cui necesse est igne examinari, non oret ut igne non contingatur, sed ut non exuratur.

Vasa enim figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (Eccli. XXVII, 6).

Joseph ergo tentatus est illecebra stupri (Gen. XXXIX, 7): Susanna tentata est, nec ipsa inducta vel illata in tentationem (Dan. XIII, 20); multique alii utriusque sexus; sed Job maxime, cujus admirabilem stabilitatem in Domino Deo suo narrat ejus liber.

Fiunt tentationes per Satanam non potestate ejus, sed permissu Domini, ad homines aut pro suis peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia probandos et exercendos.

Et interest plurimum in qualem quisque tentationem incidat. Non enim in talem incidit Judas, qui vendidit Dominum, in qualem incidit Petrus, cum territus Dominum negavit.

Sunt etiam tentationes humanae, credo cum bono quisque animo, secundum humanam tamen fragilitatem, in aliquo consilio labitur; aut irritatur in fratrem studio corrigendi, paulo tamen amplius quam christiana tranquillitas postulat; de quibus Apostolus dicit: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*; cum idem dicat: *Fidelis Deus, qui vos non sinat tentari supra quam potestis ferre; sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis tolerare* (I Cor. X, 13).

In qua sententia satis ostendit, non id nobis orandum esse ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Inducimur enim, si tales acciderint, quas ferre non possumus. Sed cum tentationes periculosae, in quas inferri atque induci perniciosum est, aut prosperis rebus tenporalibus, aut adversis oriantur, nemo frangitur adversarum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur [1].

331.—Septima petitio: sed libera nos a malo. Orandum est enim ut non solum non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur; sed ab eo etiam liberemur, quo jam inducti sumus. Quod cum factum fuerit, nihil remanebit formidolosum, nec omnino metuenda erit ulla tentatio. Quod tamen in hac vita quandiu istam mortalitatem circumferimus, in quam serpentina persuasione inducti sumus, non sperandum est posse fieri; sed tamen aliquando futurum sperandum est, et haec est spes quae non videtur. De qua cum loqueretur Apostolus, ait: *spes autem quae videtur, non est spes* (Rom. VIII, 24). Sed tamen sapientia, quae in hac quoque vita concessa est, fidelibus servis Dei non est des-

---

1 Serm. Dom. in Mt. libr. 2. cp. 9, nn. 30, 34.

peranda. Ea est autem, ut id quod Domino revelante fugiendum esse intellexerimus, cautissima vigilantia fugiamus; et id quod Domino revelante appetendum esse intellexerimus, flagrantissima caritate appetamus. Ita enim reliquo mortalitatis hujus onere ipsa morte deposito, ex omni hominis parte opportuno tempore perficietur beatitudo, quae in hac vita inchoata est, et cui capessendae atque obtinendae aliquando nunc omnis conatus impenditur [1].

APPENDIX AD CAPUT XIV

E SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO

Summa: 332-333. *Duplex expositio Dominicae orationis.*

332.—Prima expositio. Dominus Jesus Christus, quid sit in oratione dicendum, docet; ac paucis verbis ad omnem virtutem instituit: illa quippe verba non modo doctrina ad precandum sunt, sed etiam ad perfectam vitam institutio.

Quaenam autem illa sint, et quis eorum sensus, diligentissime exquiramus, eaque tamquam divinas leges non dubitanter observemus.

---

[1] Serm. Dom. in Mont. lib II, n. 25. **Doctrina divi Thomae.** *Sed libera nos a malo, amen.* Hic nos docet Dominus petere praeservationem a malis, et haec petitio est generalis contra omnia mala, scilicet, peccata, infirmitates, adversitates, afflictiones.

Petimus primo ne superveniat afflictio; sed hoc raro contingit, quoniam sancti in isto mundo affliguntur (II Tim. III, 12). Aliquando in afflictionibus consolatur; nam nisi Deus consolaretur, non posset homo subsistere (II Cor. I, 8; VII, 6). Afflictis tot bona Deus facit, quod tradunt mala oblivioni. Sic ergo afflictiones et tribulationes non sunt timendae, quia facile tolerantur et propter consolationem admixtam, et propter brevitatem, et propter praemium, quia ex his pervenitur ad vitam aeternam (Exposit. Orat. Domin.).

Pater noster qui es in caelis. O quantam erga homines benignitatem! o quantam dignitatis excellentiam! Ecquis sermo erit ad gratias tantorum bonorum largitori agendas satis? Perpende, dilecte, tuae meaeque naturae vilitatem: scrutare cognationem, terram, pulverem, lutum, cinerem: e terra namque effecti, in terram demum resolvimur.

His perpensis, inscrutabiles divinae erga nos benignitatis divitias cum stupore considera; quod Patrem illum vocare jussus sis, terrenus caelestem, mortalis immortalem, corruptibilis incorruptibilem, temporaneus aeternum, qui heri aut nuper lutum eras, eum qui ante saecula Deus erat. Profecto non ad illam frustra emittendam vocem edoctus es; sed ut ad illam, quam lingua tua protulit, Patris appellationem, reverentia commotus, ejus benignitatem imiteris, quemadmodum alibi dicit: *estote similes Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos* (M. V, 45).

Non potest benignum Deum Patrem appellare quisquis est feroci immitique animo; neque enim servat illas benignitatis, quae in caelesti Patre est, tesseras, sed in ferinam se speciem transmutavit, atque divina illa nobilitate excidit, secundum illud David dictum: *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Ps. 48, 21).

Etenim qui ut taurus insilit et invadit, ut asinus calce ferit, ut camelus injuriae meminet, ut ursus vorat, ut lupus rapit, ut scorpius pungit, subdole agit ut vulpes, qua ratione possit dignam filio vocem emittere, Patremque Deum compellare? Quisquis igitur erga proximum mitis humanusque est, quippe in se peccantes non ulciscitur, sed beneficiis injurias sibi allatas remunerat, is si Deum appellet Patrem, non reus agitur.

Orationis vim diligenter adverte, quomodo nobis mutuum amorem praecipiat, atque caritatis affectu omnes conjungat. Neque enim dicere jussit, *Pater mi, qui es in caelis,* sed Pater *noster:* ut edocti nos communem habere Patrem, fraternam mutuo benevolentiam exhibeamus.

Deinde nos instituit, ut terram terrenaque omnia relinquamus, nec terrenis inhiemus, sed assumptis fidei alis, per

aerem volemus, aetheraque transcendamus, et quem vocamus Patrem quaeramus, jubetque dicere, *Pater noster qui es in caelis,* non quod Deus in caelis tantum sit, sed ut nos in terra volutatos ad caelum respiciendum inducat, nobisque caelestium bonorum pulchritudine illustratis id conferat, ut concupiscentia nostra tota eo traducatur.

Secundam deinde clausulam adjicit: *sanctificetur nomen tuum.* Ne quis vero insipienter existimet sanctificationis accessionem Deo attribui, dum dicitur, *sanctificetur nomen tuum:* Sanctus enim est, et omnino sanctus, et sanctorum sanctissimus. Hanc autem ipsi laudem offerunt Seraphim, sic incessabili voce clamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth: plenum est caelum et terra gloria ejus* (Is. VI, 3). Sed quemadmodum ii, qui reges acclamationibus excipiunt, ac reges imperatoresque vocant, non illis id attribuunt, quod non habent, sed quod habent laudibus celebrant; ita et nos non eam, quae absit, sanctitatem Deo offerimus, cum dicimus, *sanctificetur nomen tuum,* sed eam, quae inest, laudibus celebramus: nam illud *sanctificetur,* id ipsum est, quod glorificetur.

Hac itaque voce docemur, ut vitam cum virtute ducamus, ut eam videntes homines, caelestem Patrem nostrum glorificent, ut alibi dicitur: *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est* (Mt. V, 16).

Postea edocemur dicere, *adveniat regnum tuum:* perturbationum corporalium oppressi tyrannide, et sexcentis tentationum insultibus impetiti, Dei regno egemus, ut peccatum non regnet in mortali corpore nostro (Rom. VI, 12), ita ut illi in cupiditatibus obsequamur, utque non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus arma justitiae Deo, et Regi saeculorum militemus. Ad haec etiam docemur, ne praesentem vitam magnifaciamus, sed praesentia despiciamus, futura vero utpote manentia concupiscamus, et regnum illud quaeramus caeleste aeternumque, nec praesentibus voluptatibus haereamus; non formae corporum, non pecuniae vi, non possessionum abundantiae, non gemmarum magnificentiae, non aedium splendori, non imperiis et militaribus praefecturis, non purpurae, non dia-

demati, non opsoniis et lautis epulis, neque aliis quibuslibet eorum, quae sensus nostros inescare solent: sed iis omnibus valere jussis, regnum caelorum indesinenter appetamus.

Hanc vero virtutem postquam nos docuit, dicere jubet: *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.* Postquam enim nobis futurorum amorem indidit, necnon regni caelestis concupiscentiam, hoc vulneratos desiderio ad haec dicenda comparat, *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.*

Da nobis, inquit, Domine, ut caelestem illam vitae rationem sequamur, ut ea quae tus vis, nos etiam velimus. Opitulare igitur debili voluntatis proposito, quod ea quae jubes exsequi, cupit, sed corporis infirmitate praepeditur: porrige manum currere quidem volentibus, sed ad claudicandum coactis. Alis instructa est anima, sed illam caro gravem efficit, haec ad caelestia velox est, illa vero gravis et ad terrena proclivis. Adsit modo auxilium tuum, et ea, quae fieri non posse videntur, facilia evadent: *fiat, igitur, voluntas tua sicut in caelo et in terra.*

Quia vero terram commemorat, atque iis, qui ex terra procreati sunt, in illaque versantur terreno amicti corpore, congruenti cibo est opus, necessario subjunxit: *panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Panem supersubstantialem petere jussit, non in delectamentum, sed in alimentum, quod decedit de corpore supplens, et interitum ex fame futurum depellens. Non instructas dapibus mensas, non obsonia varia, non delicatos ferculorum apparatus, non pistorum artificia, non vina odore demulcentia, et quae alia palatum delectant, ventrem onerant, mentem obscurant, et corpori vires addunt ut insultet animae, ac pullum aurigae reddunt indocilem. Non haec ut poscamus oratio docuit, sed *supersubstantialem panem,* id est, qui in substantiam corporis transit, eamque confirmare potest. Hunc vero panem non ad multorum annorum numerum petere jubemur, sed qui ad hodiernum tantum diem satis sit: *nolite,* inquit, *solliciti esse in crastinum* (Mt. VI, 34). Cur enim de crastino quis sollicitus sit, qui non ipsum diem crastinum certo visurus sit; sed qui laborem suscipit, fructum non decerpit?

In Deo igitur fiduciam colloca, *qui dat escam omni carni*

(Ps. 135, 25). Qui tibi corpus dedit, animamque inspiravit, teque animae rationale constituit, atque omnia tibi bona ante formationem praeparavit, quomodo te formatum aspernabitur, *qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos?* Huic igitur si fidas, cotidianum tantum posce alimentum, illi crastini curam relinque, quemadmodum et beatus David dixit: *jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* (Ps. 54, 23).

Ita cum superioribus verbis supremam philosophiam docuisset, gnarus fieri non posse, ut nos homines mortali corpore circumdati non cadamus, etiam hoc dicere docuit: *et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Tria simul bona hisce verbis operatur: eos qui ad summum virtutis gradum pervenerunt, de se mediocriter sentire docet, jubetque recte factis non confidere, sed formidare atque tremere praeteritorum memores peccatorum; quod et divinus Paulus fecit, post sexcenta praeclare gesta: *quoniam Christus Jesus venit in mundum ad salvandum peccatores, quorum primus ego sum* (I Tim. I, 15).

Non dixit, *eram,* sed *sum,* praesentem se semper facinorum memoriam habere significans. His igitur, qui in suprema virtutis gradu sunt, ex humilitate tutelam per haec verba paravit; eos autem qui post baptismi gratiam lapsi sunt, de salute desperare sua non sinit, sed docet ab animarum medico petere veniae remedia. Ad haec vero humanitatis doctrinam suggerit. Vult enim nos mites erga eos esse, qui culpae sunt obnoxii, et injuriarum nobis illatarum immemores, ut per veniam ipsis datam et nos veniam consequamur; et ipsi praeeuntes benignitatis modum et mensuram afferamus: tantum enim recipere postulamus, quantum proximo largiti sumus; et tantam veniam rogamus, quantam debitoribus concedimus.

Insuperque dicere docemur: *et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.* Multa namque nobis ex diaboli opera accedunt tristia: multa item ex hominibus, vel palam infestis, vel clam insidiantibus. Corpus modo contra animam insurgens grave damnum infert; modo variis debilitatum morbis, dolores nobis atque languores parit. Itaque cum multa et varia nos undique tristia adviantur, ab iis om-

nibus ut liberemur, a Deo universorum petere instituimur [1].

333.—Secunda expositio. Videtur mihi Dominus Jesus Christus longas orationes vetare: longas non tempore, sed multitudine et longitudine verborum, cum dicit: *Orantes, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Ne similes estote illis. Scit enim Pater vester quid vobis opus sit, antequam ab illo petatis.*

Et si novit, inquies, quibus opus habemus, cur oportet orare? Non ut eum doceas, sed ut inflectas; ut supplicationis frequentia illi familiaris evadas, ut humilieris, ut peccatorum tuorum recorderis.

Sic igitur orate, ait: *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum.* Vide quomodo statim auditorem erexit, et omne beneficii genus in prooemiis memoravit. Nam qui Patrem Deum appellavit, et peccatorum remissionem, et supplicii abrogationem, et justitiam, et sanctificationem, et redemptionem, et filiorum adoptionem, et hereditatem, et fraternitatem cum Unigenito, et Spiritus dona, hac una denominatione confessus est. Neque enim Deum Patrem quis appellare potest, nisi haec omnia bona consequutus. Duplici igitur modo eorum animos erigit; et ex dignitate ejus quem Patrem vocant, et ex magnitudine eorum, quae accepere, beneficiorum.

Cum autem dicit *in caelis*, non ibi Deum hoc dicendo concludit, sed precantem de terra abducit, et in excelsis locis supernisque habitaculis affigit. Docet autem communem pro fratribus orationem emittere. Non enim dicit, *Pater meus, qui es in caelis;* sed *Pater noster*, pro communi corpore supplicationes emittens, nec umquam propria commoda spectans, sed ubique proximi. Hoc autem verbo inimicitias de medio tollit et arrogantiam reprimit, invidiamque eliminat; matrem vero omnium bonorum caritatem inducit, humanarumque rerum inaequalitatem expellit, et multam regis cum paupere honoris aequalitatem ostendit; siquidem in maximis et omnino necessariis omnes commu-

1. De augusta porta et in Domin. Orat. nn. 3-5.

nione juncti sumus. Quid enim nocumenti ex terrena cognatione, cum secundum supernam omnes conjuncti sumus, et nemo plus altero quidpiam habeat, non dives paupere, non herus servo, non princeps subdito, non rex milite, non philosophus barbaro, nec sapiens idiota? Omnibus quippe unam largitus est nobilitatem, cum omnium similiter Pater vocari dignatus sit. Postquam igitur hanc nobilitatem memoravit, necnon supernum donum, honoris inter fratres paritatem atque caritatem; postquam a terra abduxit, et caelo affixit, videamus quid deinceps petere jubeat; nam hoc quoque dictum omnis virtutis doctrinam inserere valet. Nam qui Patrem vocavit Deum, et Patrem communem, jure talem exhibeat vitam, qua hac nobilitate indignus non videatur, et par dono studium praestet.

Verum hoc non sat illi fuit; sed aliud addidit ita loquens: *sanctificetur nomen tuum*. Digna precatio ejus qui Deum vocat Patrem, ut nihil petat ante Patris gloriam, sed omnia postponat ejus laudibus. Illud enim, *sanctificetur* hoc sibi vult, glorificetur. Sibi namque propriam habet gloriam plenam, sic semper manentem. Orantem vero jubet precari, ut per vitam nostram glorificetur. Largire nobis, inquit, ut ita pure vivamus, ut per nos te omnes glorificent. Id quod rursus philosophiae est perfectae, vitam ita irreprehensibilem in omnibus exhibere, ut videntes singuli Domino pro his laudem referant.

Adveniat regnum tuum. Hoc quoque grati probatique filii dictum est, qui non haereat rebus sub aspectum cadentibus, neque praesentia magni quidpiam esse putet; sed ad patrem semper tendat et futura exspectet, quod ex conscientia bona oritur, et ex anima a terrenis rebus expedita.

Hoc enim Paulus singulis diebus desiderabat, ideoque dicebat: *et ipsi primitias spiritus habentes ingemiscimus, adoptionem filiorum exspectantes redemptionem corporis nostri* (Rom. VIII, 23). Qui enim hoc amore captus est, neque hujus vitae bonis inflari potest, neque rebus adversis dejici; sed ac si in caelis versaretur, ab utraque hac inaequalitate immunis est.

Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. Vidisti ne optimam seriem? Jussit enim futura concupiscere, et ad illam

peregrinationem festinare; donec autem id eveniat, hic degentes curare, ut par caelesti vivendi genus exhibeamus. Nam caelum quidem et caelestia concupiscamus oportet; sed et antequam in caelum conscendamus, ex terra caelum nos facere jubet, et in terra versantes ac si in caelo degeremus, sic omnia facere et dicere, atque hac de causa Dominum precari oportere. Nihil enim impedit quominus, etsi in terra habitemus, ad supernarum virtutum sedulitatem ac diligentiam attingamus; sed possumus hic habitantes, quasi jam in caelo essemus, omnia facere. Quod igitur dicit, hujusmodi est: quemadmodum ibi omnia sine impedimento fiunt, neque angeli modo audiunt, modo jussa contemnunt, sed in omnibus cedunt et obsequuntur, nam ait, *potentes virtute, facientes verbum illius* (Ps. 102, 20); sic etiam nobis hominibus largire, ut non ex dimidio voluntatem tuam faciamus, sed omnia ut vis impleamus.

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra. Quia contingit etiam post lavacrum regenerationis, ut peccemus, multam hic quoque benignitatem exhibens, jubet pro peccatorum remissione ad misericordem Deum accedere, et sic dicere: *dimitte nobis debita nostra* etc. Vidisti ne misericordiae cumulum? Post tot sublata mala, post ineffabilem donorum magnitudinem, rursum peccantes venia dignatur. Quod autem haec oratio fidelibus competat, leges Ecclesiae docent, necnon orationis exordium. Nondum quippe initiatus non potest Deum vocare Patrem. Si itaque fidelibus haec competit oratio, orantque supplices ut peccata sibi dimittantur; hinc palam est, neque post lavacrum tolli poenitentiae lucrum.

Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Hic jam nos vilitatem nostram clare docet, et tumorem reprimit; hortans ne certamina fugiamus, sed ne in ea insiliamus. Ita enim et nobis victoria splendidior erit, et diaboli clades magis videbitur. Cum trahimur enim, fortiter standum est: non vocatos autem quiscere oportet, ac tempus certaminum exspectare, ut et vanae gloriae expertes et strenuos nos exhibeamus. *Malum* autem hic diabolum vocat, jubens nos cum illo bellum inexpiabile gerere, et ostendens ipsum non natura talem esse. Malitia enim non ex natura,

sed ex voluntate gignitur. Ille autem praecipue sic vocatur ob ingentem malitiae magnitudinem; et quia nihil laesus a nobis inexpiabile contra nos bellum gerit; ideo non dicit, *libera nos a malis,* sed *a malo,* ut nos moneat, ne contra proximum amaro animo simus, etiamsi malum patiamur ab ipsis, sed ab illis ipsis ad diabolum transferendam inimicitiam esse, utpote malorum omnium causam [1].

---

[1] In Mt. homil. 19, nn. 4-6.

ELENCHUS

OPERUM DIVI AGUSTINI AC LOCORUM IN HISCE VOLUMINIBUS CITATORUM

I.—Ex Enarrationibus in Psalmos.

Psalm.	
3	nn. 4, 8-10, 17
4	nn. 2, 5-7
5	n. 2
16	n. 6
21	Enar. 2, nn. 4, 5
26	Enar. 1, nn. 3-9; Enar. 2, nn. 3-8, 14-23
29	Enar. 2, nn. 1, 5, 11, 12, 16
30	Enar. 1, n. 28; Enar. 2, n. 2, serm. 3, nn. 4, 10, 11
31	Enar. 2, n. 17
33	Enar. 2, serm. 2, nn. 8-10, 20-22
34	Enar. 1, serm. 1, n. 12; Enar. 2, serm. 2, nn. 3, 5
35	n. 5
36	Enar. 1, serm. 1, nn. 5, 8
37	n. 14
39	nn. 4-8
41	nn. 16, 17
42	nn. 4-8
43	n. 2
45	nn. 2-5
48	n. 22
49	nn. 21-23
52	n. 8
53	n. 5
54	nn. 1-4
55	nn. 11, 12, 19
56	nn. 1-5
59	nn. 7, 8
60	nn. 1-3, 7
62	nn. 8-10, 13, 14
65	n. 24
68	Enar. 1, nn. 17, 18
75	n. 1
76	n. 2
83	nn. 8, 9
85	nn. 1-11, 20, 24
86	n. 1
87	nn. 2, 13-15
88	Enar. 2, serm. 2, n. 14
93	n. 1
98	n. 14
101	Serm. 1, nn. 3, 4
102	nn. 5, 6, 10
103	Enar. 1, serm. 1, nn. 3, 19
104	nn. 1, 2
105	n. 21
108	nn. 4, 5, 9
109	nn. 10, 13
112	n. 1
118	Serm. 3, n. 2; serm. 7, nn. 2-4; serm. 10, nn. 3-5; serm. 11, nn. 2-6; serm. 14, n. 2; serm. 16, n. 2; serm. 17, nn. 2-4; serm. 18, n. 3; serm. 20, n. 2; serm. 22, n. 2; serm. 26, nn. 2, 6; serm. 27, nn. 4,

Psalm.

6; serm. 29, nn. 1-3; serm. 30, n. 6
119 n. 9
125 n. 8
127 n. 10
130 nn. 1-4
131 nn. 10, 11, 15
132 nn. 1-13
137 nn. 7, 8

Psalm.

139 nn. 1-4, 10
140 nn. 2-7, 18
141 n. 2
142 n. 6
144 nn. 19-24
145 nn. 4-8
148 nn. 1-3
149 n. 5

2.—E Sermonibus.

Sermon.

9 n. 3
13 n. 3
15 nn. 7, 8
17 nn. 4-6, 19
19 n. 6
20 n. 2
22 nn. 1, 8, 9
27 n. 9
30 n. 6
31 nn. 4-6
34 n. 9
45 nn. 2, 7
46 n. 2
47 nn. 1, 2, 7
49 nn. 7-10
55 n. 2
56 nn. 2-17
57 nn. 1-7, 11, 12
58 nn. 1-12
59 nn. 1-9
61 nn. 2-7
75 nn. 1-4
76 n. 9
77 nn. 1, 8-15
80 nn. 1-8
83 nn. 1-8
88 n. 12
90 nn. 7-10
91 n. 3
105 nn. 1-5
114 n. 5
115 nn. 1-4
119 n. 1
131 nn. 6, 7

Sermon.

135 nn. 6, 7
136 n. 2
139 n. 1
140
145 n. 6
149 nn. 16, 17
150 n. 7
152 n. 1
156 n. 15
163 nn. 7, 10, 12
168 nn. 5-7
172
180 nn. 9-12
181 nn. 1-8
205 nn. 2, 3
206
207 n. 3
210 nn. 1, 4-9
213 nn. 5, 8
217 nn. 1, 2
234 nn. 5, 15
245 n. 4
284 n. 5
285 n. 5
286 n. 7
297 n. 3
302 nn. 1, 3
311 nn. 6-15
322
323
354 nn. 5-7
358 n. 6
382 nn. 1-6

3.—Ex Epistulis.

Epist.		Epist.	
20	n. 2	147	n. 1
21	nn. 1-3	149	nn. 12-16
22	nn. 5, 6	157	nn. 2-8
48	nn. 1-3	177	nn. 3, 4, 18
55	nn. 24, 25, 28, 32	181	nn. 5, 6
76	n. 9	189	nn. 2-8
78	n. 9	194	nn. 7-10, 16-18, 30
104	n. 11	214	nn. 6, 7, 15-30
130	nn. 2-31	217	nn. 15-30
139	nn. 5-9	218	nn. 1-3
140	cf. libr. paragr. 4	220	nn. 3, 10, 11
145	nn. 6-8	231	n. 6
146	nn. 41-44, 59, 69	267	

4.—E libris chronologice digestis. [1]

Anno.

387 Soliloquiorum, libr. 1, nn. 1-3; libr. 2, nn. 1, 9.

388-395 De libero arbitrio, libr. 3, cp. 18.

389 De magistro, cp. 1, n. 2.

391 De duabus animabus contra Manich., n. 24.

391 De utilitate credendi, nn. 20, 33, 36.

393 De sermone Domini in Monte, libr. 1, cp. 10 et nn. 27, 73, 76, 77; libr. 2, cp. 3 et nn. 10-18, 21-27, 30-38.

395 De continentia, libr. 1, nn. 1-3, 13.

397 De diversis quaestionibus ad Simplicianum, libr. 1, q. 2, n. 21; libr. 2, q. 4.

---

1 Ad studium Operum sancti Augustini multum confert chronologia, seu tempus quo adparuerunt eius opera, quod expresse tradit ipse magnus Doctor in Prologo Retractationum. Quapropter, ait, quicumque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem. *Inveniet enim fortasse quomodo scribendo profecerim, quisquis opuscula mea ordine quo scripta sunt, legerit.* Quod ut possit, hoc opere, quantum potero, curabo ut eumdem ordinem noverit (n. 3). Iam id ipsum in Epistula ad Marcellinum tradiderat, in qua veluti adumbrat opus Retractationum: ait scilicet: *Ego proinde fateor me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, et scribendo proficiunt.* Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso; quia et ego saltem postea videre debeo, si proficio; nec mirandum est, nec dolendum; sed potius ignoscendum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perverse se ipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto enim melius et utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat: quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat. Si enim mihi Deus quod volo praestiterit, ut omnium librorum meorum quaecumque mihi rectissime displicent, opere aliquo ad hoc ipsum instituto, colligam atque demonstrem; tunc videbunt homines, quam non sim acceptor personae meae. Hoc scribebat egregius Doctor an. 412, nec potuit opus perficere quoad an. 426 aut 427. Qui ergo velit optime nosse augustinianam doctrinam, legat opera divi Augustini eo ordine quo edita sunt: hoc potissimum intellegendum, et faciendum est in quaestionibus de gratia, et quotienscumque agatur de inquirenda mente tanti Doctoris in aliqua controversa quaestione. Utinam omnes et proficiendo scriberemus, et scribendo proficeremus, quemadmodum ille immortalis ac sapientissimus Doctor, sanctissimusque Antistes Hipponensis.

Anno.

397-426 De doctrina christiana, libr. 4, cc. 15-17, 30.
400 De baptismo contra Donatistas, libr. 1, nn. 9, 10.
400 Contra epistulam Parmeniani, libr. 2, nn. 14-17, 20.
400 De catechizandis rudibus, cc. 11, 12.
400 Ad inquisitiones Ianuarii, libr. 2, nn. 24, 25, 28, 32 (alias, Epist. 55).
400 Quaestiones Evangeliorum libri duo, libr. 1, q. 28.
400-416 De Trinitate, libr. 1, nn. 20, 21.
401 De sancta virginitate, nn. 17, 42, 43, 53, 54.
401 De opere monachorum, nn. 20, 37.
401-415 De Genesi ad litteram, libr. 10, cp. 23.
403 De unitate Ecclesiae, n. 49.
411 Confessionum libri XIII; libr. 1, cc. 2, 13, 15; libr. 9, cc. 11-13; libr. 10, cc. 12, 30, 31, 41; libr. 11, cc. 2, 3, 22; libr. 12, cp. 1, 15.
412 De peccatorum meritis et remissione, libr. 2, nn. 4, 42.
412 De spiritu et littera, n. 56.
412 De gratia novi Testamenti, alias Epistula 140, nn. 15-19, 41-44, 59, 69, 85.
413-427 De Civitate Dei libri 22; libr. 5, cc. 10, 24-26; libr. 10, cc. 21, 22; libr. 19, cc. 26, 27; libr. 21, cp. 24; libr. 22, cp. 8.
414 De bono viduitatis, libr. 1, nn. 21, 28.
415 De natura et gratia contra Pelag., nn. 16, 17, 20, 41, 42, 50, 62, 65, 68-70, 80-84.

Anno.

415 De perfectione iustitiae hominis, nn. 18-21, 25, 26, 33, 34, 39, 40, 43, 44.
415 aut 419 Quaestiones in Heptateuchum, libr. 5, q. 30.
416 In Ioannis Evangelium Tractatus: III, nn. 20, 21; VII, n. 11; X, n. 1; XV, n. 25; XX, n. 3; XLIV, n. 13; LXI, n. 4; LXXIII, nn. 1-4; LXXXI, n. 4; LXXXIV n. 1; CII, nn. 1, 2; CIV, nn. 1, 2; CIX, n. 1.
416 In I Epistulam Joannis Tractat. VI, nn. 6-9.
417 aut 419 De nuptiis et concupiscentia, libr. n. 38.
419 De anima et eius origine, libr. IV, nn. 10-13.
420 Contra duas Epistulas Pelagianorum, n. 30.
421 De cura pro mortuis gerenda, nn. 3-7.
421 Enchiridion de fide, spe, et caritate, nn. 2, 29, 30.
426 aut 427 De gratia et libero arbitrio, nn. 8, 9, 31, 32, 46.
426 aut 428 De correptione et gratia, nn. 2-8, 10, 17, 25, 34, 43-49.
427 aut 428 Contra Maximinum arianum, libr. 2, n. 22, 3.°.
428 De haeresibus, nn. 57, 68.
428-429 De dono perseverantiae, nn. 1, 2, 15, 38, 39, 63, 64, 66.
428 aut 429 De praedestinatione sanctorum, n. 27.
428-430 Opus imperfectum contra Iulianum, libr. 2, nn. 15, 41, 212; libr. 3, nn. 76, 116.

ALLEGATIONES E SANCTO IOANNE CHRYSOSTOMO

I.—E Commentariis in Scripturam.

a) E PSALMORUM EXPOSITIONIBUS

Psalm.		Psalm.	
4	nn. 1-4, 7	120	n. 1
5	nn. 3, 4	129	n. 1
7	nn. 3, 4, 10, 15	133	
9	nn. 1, 5-8	137	n. 1
12	nn. 1, 2	140	nn. 1-4, 8
41	nn. 1-3	141	n. 1
112	n. 1	142	nn. 2, 6
114	n. 1	145	nn. 4-6
119	nn. 1, 2		

b) EX ALIIS S. SCRIPTURAE EXPOSITIONIBUS

In Genes. homil. hom. 2, n. 1; 29 ,n. 1; hom. 30, nn. 5, 6; homil. 44, n. 2; hom. 49, nn. 1-3.
In Isai. cp. 1, n. 5.
In Matthaeum, hom. V, nn. 4, 5; X, n. 17; XVI, n. 9; XVIII, n. 5; XIX, nn. 4-9; XXII, n. 5; LI, n. 5; LII, nn. 2, 3; LVII, n. 4; LX, n. 2; LXXVII, n. 6; LXXXIII, n. 1.
In Ioan. homil. 36, n. 2; hom. 61, nn. 3, 4; hom. 64, n. 2.
Homil. in inscript. Act. Apostol. n. 4.
In Act. Apostol. homil. 3, n. 1; hom. 21, nn. 3, 4; hom. 26, n. 4; homil. 36, n. 3; hom. 37, nn. 1-3.
In epist. ad Rom. hom. 21, n. 3.
In epist. I ad Cor. hom. 27, n. 5; hom. 42, nn. 4, 5.
In epist. II ad Cor. hom. 2, nn. 3-7; hom. 18, n. 3.
In epist. ad Ephes. hom. 24, n. 3.
In epist. ad Philip. hom. 3, nn. 3, 4.
In epist. ad Colos. hom. 10, n. 3.
In epist. I ad Thess. hom. 1, nn. 3, 4.
In epist. II ad Thess. hom. 4, nn. 3, 4.
In epist. I ad Timot. hom. 6, n. 1; hom. 8, nn. 1, 2.
In epist. ad Hebraeos, hom. 2, nn. 3, 5; hom. 4, n. 4; hom. 9, n. 4; hom. 18, n. 3.

c) EX HOMILIIS VARIIS

De incomprehensibili Dei natura contra Anomaeos, hom. 3, n. 7; hom. 4, nn. 4, 5; hom. 5, nn. 5-7.
Homilia de beato Philogonio, n. 3.
De consubstantiali contra Anom. hom. 7, n. 5, 7.
De Christi precibus, hom. 9, n. 2; hom. 10, nn. 2, 3.
Adversus Judaeos, orat. 8, n. 6.
De Lazaro, concio 1, nn. 8, 9.
Ad populum Antiochenum, hom. 3, n. 2; hom. 9, n. 5; hom. 17, n. 1.
Ad illuminandos catech. I, n. 4.
De poenitentia, hom. 3, n. 4; hom. 4, n. 4, 6; hom. 5, nn. 4, 5.
Homil. in die natali Christi, nn. 6, 7.
De proditione Judae, hom. 2, n. 1.
De Cruce et latrone, hom. 1, nn. 1, 5.
Homilia encomiast. de S. Meletio, n. 3.
Homil. panegyrica de SS. Martyribus Berenice et Prosdoce, n. 7.
Duae homiliae de precatione.
Homil. de decem mil. talentorum, nn. 6, 7.
Homil. in illud, si possibile est, n. 4.
De angusta porta et orat. Domin. nn. 1-5.
Serm. in inscriptionem altaris, nn. 1, 2.
Homil. utinam sustineretis modicum, n. 12.
Homil. de profectu Evangelii, nn. 9-13.
De non evulgand. fratrum peccatis, hom. nn. 6-11.
Homil. non esse desperandum, nn. 5-8.
Homilia de regressu ex Asia.
Homil. de Chananaea, n. 11.
De Anna serm. 1, n. 5; serm. 2, nn. 2-3-6; serm. 4, n. 6.
De prophetiarum obscuritate, hom. 2, nn. 4, 5.
Homil. de Legislatore, n. 6.
Comparatio regis et monachi, nn. 3, 4.

II.—E libris.

Adversus impugnatores vitae monasticae, libr. 1, n. 2; libr. 3, n. 11.
De compunctione ad Demetrium monach. libr. 1, n. 4.
Ad Stagirium ascetam, libr. 3, n. 14.
De sacerdotio, libr. 3, n. 4; libr. 6, n. 4.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Numeri paginam indicant.

A

Actio gratiarum in oratione 17-23, 190.
Adminicula orationis 67-69, 131, 132.
Adulatio propria quam stulta 29.
Affectus sunt gradus ascensionis animae 28, 43; anima peregrinatur affectibus 33; affectus in oratione, eorumque efficacia 30-33 affectus diuturnus in oratione 59. Cf. **Condiciones** orationis.
Afflictio incitat ad orandum 99, 101. Cf. **Tribulatio.**
Alae orationis 14.
Alleluia quare post Pascha dicitur 20, 21.
Anima infelix erit, si a corpore expectat consilium 25; peregrinatur affectibus 33.
Arca cordis 9.
Ars bene orandi 74-80.
Assiduitas orationis 7, 93, 115-118. Cf. **Condiciones** orationis.
Attentio in oratione 3, 4, 94, 98; virtualis saltem debet semper permanere in oratione 4; in oratione vocali 4, 24. Cf. **Condiciones** orationis.
Auxilium petendum a Deo, sed modus auxilii ei relinquendus 187-189.

B

Beatitudo caelestis petenda 3, 8; cordis 10.
Bene operantium cito exaudiuntur orationes 14.
Beneficentia laudatur 41; coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem 41.
Bona multiplicis generis sunt: bonum quod facit bonum, Deus est: bonum unde facias bonum 68.

C

Caritas orat et gemit 143, 270; mediante caritate Spiritus sanctus interpellat pro nobis 143; vincit omnia, et sine ipsa nihil valent omnia 138.

Chananaea mulier exemplar humilis ac perseverantis orationis 45-48, 128 sqs.; typus Ecclesiae 47.

Christus magister interior 163; magister caelestis ac fidelissimus consiliarius 59; est finis nostrae intentionis 17; docuit nos orationem Dominicam 2, 41, 270, 271; orat cum suis membris 115, 135; in nomine eius petendum 3-5, 43; est auctor humilitatis 47; eius humilitas magna medicina contra superbiam 48.

Clamor in oratione quis et qualis 34, 35.

Cogitationes bonae non habent mala facta 22, 25, 56, 57; sunt quasi imperator in corde sedens 22.

Communio corporis Christi est animae inluminatio 43.

Concionatores libere annuntiare debent populis verbum divinum 40.

Concordia in oratione 39; ne sis blandus in ore, crudelis in corde 39.

Condiciones orationis 73-80, 157; earum efficacia 2, 74, 75; praecipuae autem sunt, quod petantur *utilia* et ea quae sunt *ad salutem* 1-3, 75-79, 81, 85, 96, 134 sqs. 156; *pro se petat* 2, 3, 7; sit *pia* 3, 8, 78; *munda* 9-17, 19, 75-79, 82-89, 156; *grata* 17-23, 89; *recta* 4, 8, 53-78; vide ne vivas male et cantes bene 19; *affectuosa* 30-32, 85; *caritativa* 37-41, 76-80; 99-101; *attenta* 3, 24, 78, 90-96, 98, 106-113; cf. **Distractiones**; *humilis* 41-53, 78, 105, 106; *perseverans* 59-67, 82, 91, 115-128; *assidua* 75, 92, 115-128, 130; *occulta* 10, 52-56, 107-114.

Confessio purgat conscientiam 15; tollit scrupulum 15, 16.

Consolatio spiritualis effectus orationis 4.

Continuitas orationis 7; in ipsa fide, spe et caritate semper oratur 217.

Cor purum optimum cubiculum ad orandum 10, 54-56; ne sis blandus in ore, et crudelis in corde 39; levandum in caelum, ne putrescat 28; cordis lingua quid 56.

D

Daemon maximus inimicus orationis 85, 94, 96-98,

Deus intuetur cor 12-15; non adulatur homines 40; quia regula exaequans non fallenter 13; invocandus in veritate 147, 148, 167, 168; ipseque petendus 8, 11, 12; quia medicus est 13, 136, 142, 163, 189; audit ad salutem non ad voluntatem 134-157, 189-191; exemplum S. Pauli 136-140; 155, 169; immo ipsius Christi 146, 150; nec est aliquid magnum ut audiat ad voluntatem 139; aliquando concedit iratus, quod negaret propitius 136, 140, 144, 150; et audit ad vindictam 156-159; quando autem non dat, ideo non dat, ne obsit quod dat 145; differt, sed faciet 148, 190, 163-165; negat quod petitur, et concedit aliquid melius 151-153; facis voluntatem Dei, ipse facit tuam 148.

Devotio in oratione 5, 7.

Distractiones in oratione 5, 25-30; vix oratio sine distractione 29; voluntaria distractio non est sine aliqua culpa 5, 95.

Diuturnitas orationis 6, 7. Cf. **Assiduitas, Perseverantia**.

Divitiae saepe sunt perniciosae 142, 154; cum modo petendae 140, 142; a latrone quaeritur dives, non pauper 142.
Dominica oratio 269-336; auctor ejus Christus 270, 271; eius excellentia 271, 272; nihil brevius ac facilius hac oratione 270; est compendium nostrae spei 272, 273; eius expositio cf. cc. XIII, XIV.
Dulcedo orationis 171-176; dulciores sunt lacrimae orantium, quam gaudia theatrorum 173; radix huius dulcedinis Deus est 175, 176.

E

Ecclesia orat cum omnibus suis membris 103; orat ut dimittantur peccata 178-182; quo sensu sit sine macula et ruga 179, 180.
Effectus orationis 3, 76, 174, 175, 207-211.
Efficacia orationis 133-186; nihil precationi aequale 117; in communi facta oratio praecipue vim habet 198:203; ita oremus ut etiam exaudiamur 74.
Eleemosyna et oratio 68, 195; duplex, spiritualis et corporalis 68; purgat peccata 84, 86.
Elevatio manuum in oratione 5, 86, 113, 241, 242.
Excellentiae orationis 94, 97.

F

Facilitas orationis 76-78, 98, 243.
Fervor orationis 5, 34-37, 85, 93, 99; oratio melior et fragantior, quando anima efficitur velut thuribulum propter fervorem 85, 86; differtur aliquando quod petimus, ut fervescat oratio 34.
Fiducia in oratione 83.
Finis qui consumit et qui perficit 17; finis noster Christus, et perfectio nostra 17.
Fletus dulcis est in tribulationibus et amissione amicorum 71.
Fructuus congruus quinam 40, 41.

G

Gaudium spirituale orationis 3; plenum quid sit 3.
Gemitus praesentis vitae et orationis 20, 23, 75.
Gratiarum actio 17-23, 74, 89, 91, 190. Cf. **Condiciones** orationis.

H

Hebdomada sancta praecipue orandum 102.
Humilitas in oratione 5, 41-53; est vehiculum orationis 105, 106; exemplum mulieris chananeae 45-47; humilitas Christi magna medicina contra superbiam 48; in cogitatione 137; inordinata non levatur 42.

I

Impetratio effectus orationis 3.
Incensum orationis 18, 85, 86.
Inefficacia orationis undenam repetenda 204-206.
Infelicitas animae si a corpore expectat consilium 25.
Inimici diligendi, nec contra illos orandum 11.
Inquisitio differt a petitione: haec pertinet ad impetrandam firmitatem animi, illa ad inveniendam veritatem 66.
Intervallum orare debemus per intervalla 217.
Invidia filia superbiae 138.
Invocatio Dei sequitur laudem ipsius 19.

J

Jaculatoriae seu crebrae ac breves orationes 93, 117, 118.
Jejunium et oratio 13, 14, 94, 190; utilitas ejus 14; jejunium tuum pauperes saginet 14.
Judex optimus Deus 14, 15.
Justitia est bonum unde bonus es 68; erogando pecuniam augetur justitia 68, 69.

L

Labores in terra fructus in caelo 172, 174.
Lacrimae in oratione 35, 36, 69-73, 75, 99, 196, 197; sanctorum 36; beati Petri 71-73; earum efficacia ad peccata lavanda 73.
Languor et socordia in oratione 24.
Laus divina incensum odoriferum 9; odore laudis et orationis Deus delectatur 18; ejus efficacia in oratione 19; non debet recedere a corde et ore christiani 18-26, 105; laus optima vita bona 19, 21; non cesses bene vivere et semper laudas Deum 22; vide ne vivas male et cantes bene 19; quomodo creaturae irrationales Deum laudant 23, 104; laus aeterna 19, 20.
Lectio Scripturae divinae valet ad alios instruendos 60-62.
Locus omnis aptus orationi 108, 263-267; orari potest in Ecclesia 107, 112; et ubique 108, 112, 118, 237.
Lux mentis est oratio 97.

M

Mansio in Christo quaenam 1, 2; verborum Christi in nobis 2.
Mendici Dei sumus omnes 38, 69.
Meritum orationis 3, 4; non potest homo aliis mereri ex condigno vitam aeternam, nec ea quae pertinent ad eam 3.
Miracula fiunt mediante oratione 184-186.
Mors naturaliter timetur 12: ex quo nascimur, imus in mortem 35.
Mulieres modeste ornari debent 113: gravissima verba S. Chrysostomi circa mulieres inhoneste ornatas 113, 114.

Multiloquium prohibitum in oratione 63, 93, 110, 181, 189.
Munditia cordis optima dispositio ad orationem 10.

N

Nocturna oratio, in ea vigilat amor Dei 218-220, 244-246; magna eius efficacia 247-250.

O

Obiectum petitionis 1-4, 8, 11, 78, 79.
Oboedientia et oratio 9, 38, 45.
Oratio perfecta quaenam 6, 74; bene operantium cito accipitur a Deo 14; ejus excellentia 76, 95; magnum vinculum dilectionis Dei 76. Cf. **Dominica, Condiciones** orationis.

P

Parvuli egent Servatore 51, nihil habent mali, nisi quod de fonte traxerunt 51; qui maior est aetate, maior est et iniquitate 51.
Pascha quid significet 20; tempore Paschae dicitur alleluia 20, 21
Pastor animarum cum tremore audit, et quod dicitur ad pastores, quod dicitur ad oves 70, 71.
Paupertas saepe utilis 154: pauperes spiritu maxime exaudiuntur, dum orant 105.
Pax est magnum bonum 100.
Peccatum hic omnes habemus 177-179; contrarium Pelagiani tradebant 178; publicum publice corrigendum 40.
Peregrinatio vitae non est sine lacrima 36.
Perfectio nostra quaenam 17, 18, 27, 28, 136.
Perseverantia in oratione 6, 24, 45, 93, 119-131; exempla perseverantiae 121-131. Cf. **Condiciones** orationis.
Pietas amare Deum gratis 8; in oratione 3; alias condiciones in se includit 3. Cf. **Condiciones** orationis.
Ploratio multiplex huius vitae 35, 36, 70; ejus efficacia in oratione 69; cum quanta suavitate plorat in genitu, qui orat 173.
Praecepta facilia redduntur oratione 214.
Praeparatio ad orationem 88.
Praesumptio vitanda in oratione 7.
Profectus spiritualis fit minuendo peccata et custodiendo vias Domini 16, 17, 27, 28, 33: magis cogitare debetis quid vobis desit, quam quid vobis adsit 137.
Profunditas orationis quid sit 101-105.
Prolixitas orationis 7.
Publicanus exemplar humilis orationis 49-51.

Q

Querelae contra efficaciam orationis refelluntur 165-170.

R

Rectitudo orationis 8. Cf. **Condiciones** orationis.
Refectio spiritualis in oratione 3.
Remissio peccatorum effectus orationis 177-183, 214.

S

Salus temporalis et oratio 133 sqs.; aeterna et oratio ib.
Sancti quomodo exaudiuntur in oratione 8.
Scientia quo sensu inflat 138; non fugienda, sed solidanda caritate 138, 139.
Situs corporis in oratione et regula tenenda 237-242.
Solacium orationis 171 sqs. 212, 213.
Superbia est amor excellentiae 138; et radix invidiae 138.
Symbolum prius traditur quam oratio Dominica 270; est regula fidei, brevis et grandis 270.

T

Temporalia bona cum modo petenda 140. Cf. **Divitiae**.
Tempus orationis 217-236; per noctem orandum est 217-220, 244; per diem 221, 244; ante et post prandium 221, 255-260; diebus festis 261, 262; Quadragesimae 222-228; praecipue hebdomada Sancta et Sabbato Sancto 229-235; ante et post communionem 250-255.

V

Vanagloria est maxime tyrannicus animi morbus 107, 110, 111.
Vigilantia in oratione 24, 90-96, 116; hostis nostri, diaboli 24.
Virtutes thesauri et gemmae non arcae, sed conscientiae 165.
Vita bona laudat Deum 19; beata completur actione et cognitione 66.